

37
28 C
15

TOMI TERTII
TRACTATUS
QUINTUS
DE
VIRTUTIBUS MORALIBUS.






INDEX

Titulorum Tractatûs quinti Tomi tertii Theologiæ universalis, de Virtutibus Moralibus.

APPEN-

APPENDIX

De vitiis & peccatis Virtuti Justitiæ oppositis. - 477.

TOMI TERTII
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS QUINTUS
DE
VIRTUTIBUS MORALIBUS.

Proœmium.

1 IN Ethica nostra seu Philosophia Morali cap. 2. §. 1. Virtutem moralem in genere definivimus, *Mentis institutum, & vigorem, quo ad ea, quæ bona esse credimus, facienda ferimur.* Ergo Virtutes morales circa actus humanos ut honestos, hoc est, circa actus naturæ rationali, & legi divinæ consentaneos, qui *Morum* nomine veniunt, immediatè versantur; in quo, ut jam alibi dictum, à Theologicis differunt; hæ enim circa Deum immediatè versantur, atque Deum pro immediato Objecto habent.

Porro facile est intelligere, quodnam sit utrumque, id est, tùm materiale tum formale Virtutum moralium Objectum; nempe Objectum materiale illarum sunt actus humani ut honesti & boni; formale verò, seu ratio, sub qua attinguntur illi actus, est ipsa honestas in illis actibus elucens. Quælibet autem virtus moralis seorsim sumpta habet pro Objecto materiali certos actus honestos sibi proprios, & pro Objecto formali specialem honestatem elucentem in suis actibus.

Inter Virtutes Morales præter *Religionem*, quam præcedenti Tractatu fusè satis, nî vehementer fallimur, explanavimus, quatuor principem locum obtinent, à quibus aliæ dimanant, vel quibus sunt annexæ, unde dicuntur *Cardinales*, nimirùm *Prudentia*, *Fortitudo*, *Temperantia*, & *Justitia*, quæ commendantur Sap. 8. his verbis: *Sobrietatem, & prudentiam docet (Sapientia) & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

2 De Virtutibus Moralibus, quæ Cardinalium Comites, seu iis annexæ dicuntur, nihil est, quòd hîc ultra ea, quæ in Ethica nostra cit. c. 2. adnotavimus, multa loquamur. Quantùm verò ad ipsas Virtutes Cardinales, de *Prudentia*, *Fortitudine*, & *Temperantia* pauca duntaxat iis, quæ de illis jam mox cit. cap. 2. Ethicæ nostræ disseruimus, hîc singulis §§. subnectimus, fusiùs dein de *Justitia* acturi, ut quæ ampliorem omninò tractationem sibi deposcat; & cui proinde præsentem Tractatum præcipuè destinamus. Sit igitur

§. I.

3
De Prudentia.

Prudentia nomen accipitur 1mo. latè pro ea omni veri cognitione, quæ aliqua ratione voluntatem ad bonùm honestum dirigit: eo sensu Fides, Theologia, & habitus Intelligentiæ, Prudentia dici possunt. Sumitur 2do. strictè pro notitia veri, quæ voluntatem dirigit, ut in his aut illis circumstantiis operetur.

Conformiter ad datam de ea in Ethica nostra sæpè jam cit. c. 2. definitionem dicimus, quòd sit *Virtus*, *qua certò novimus quid in quavis particulari actione agendum sit tanquam honestum*, *vel fugiendum tanquam turpe, in ordine ad finem ultimum.* Nam agitur hîc de perfecta Prudentia, quæ propositò verò & ultimo fine totius vitæ humanæ, nempe Deô, seu Dei gloriâ & possessione, præscribit media ad hunc finem apta.

Est Virtus moralis tùm objectivè, quatenùs versatur circa eandem materiam, decernendo & dictando, quid Virtus moralis prosequi, & quid fugere debeat: tùm directivè, quatenùs dirigit voluntatem ad eliciendos actus semper honestos, & fugiendos inhonestos.

Prudentia virtus alia est *Infusa*, *Acquisita* alia. Infusa reperitur in omnibus justis; hi enim habent gratiam sanctificantem. Atqui cum Gratia sanctificante infunduntur non tantùm virtutes Theologicæ, ut docet Concilium Tridentinum, sed etiam morales, ut ostendunt hæc verba Catechismi Romani ad Parochos, part. 2. tit. de Baptismo num. 50. *Hinc additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ cum gratia divinitùs infunduntur.* 4

Non est autem in iis, qui sunt in affectu peccati mortalis. Nam Prudentia infusa inclinat voluntatem ad opera, quæ in omni negotiorum genere recta sint; ac proinde supponit appetitum in omnibus negotiis rectum, cùm unusquisque, prout affectus est, judicare soleat. Atqui appetitus in omnibus rectus, non est in iis, qui peccati lethalis affectu laborant.

Acquisita Prudentia verò sæpè non est in justis, quamvis sit in peccatoribus: nam Prudentia acquisita ex frequenti exercitio actuum prudentiæ nascitur; unde ad sui generationem indiget tempore, & experimento, quæ multis etiam justis desunt. E contrà cùm in aliquibus peccatoribus sint nonnunquam tempus & experimentum, adsitque gratia actualis, reperiri in eis possunt frequentes Prudentiæ actus, qui prudentiam habitualem generent. Cætera quæ de Prudentia disseri possunt, jam discussimus in Ethica nostra citatò cap. 2. ubi vide.

§. II.

De Fortitudine. 5

Fortitudo ex data illius in Ethica nostra cap. 2. §. 4. definitione, est virtus, quæ animum secundùm rectam rationem & legem divinam moderatur, circa ea, quæ acerba sunt & terribilia &c. ita ut nec

nec pravo timore, nec temeritate quidquam agat, aut omittat contra rectam rationem & legem divinam: quare moderatur timorem, audaciam, & tristitiam in gravibus malis, & periculis, præsertim mortis. Ejus actus, ut diximus in Ethica nostra cap. 2. §. 4. sunt *aggressio*, & *perpessio*. Nam ratio nonnunquam exigit, ut, qui bonum impugnant, arceantur. Atqui arceri non possunt nisi per aggressionem, quæ fortis sit & prudens. Item necesse est, ut sustineantur incommoda, quæ virum virtute præditum sæpiùs premunt: proindè opus est illi perpessionis actu; qui quidem præstantior est aggressione; quia difficilius est stare immotus in periculis, quàm ipsa adire pericula: nec mirum; malum enim præsens magis movet quàm futurum. Unde concluditur Martyrium esse Fortitudinis actum præstantissimum, quippe quod non in aggressione, sed in perpessione totum positum sit.

6 Partes integrantes, quæ etiam potentiales dici possunt, id est, Virtutes Fortitudini annexas in Ethica nostra loc. cit. quatuor recensuimus, *Fiduciam* nempe, *Magnificentiam*, *Patientiam*, & *Perseverantiam*, aliqui Theologi iis *Magnanimitatem*, & *Humilitatem* adjungunt; verùm nos hanc Virtutem ibidem §. 5. ad Virtutem Temperantiæ retulimus.

Magnanimitas igitur est virtus ad contemptum rerum caducarum, & ad opera magna ac heroica qua talia in omni virtutum genere inclinans: quare licèt versetur circa opera ardua aliarum virtutum, est tamen specialis virtus; quia ad illa inclinat ex motivo proximo sibi proprio, nempe quia sunt magna & ardua, hoc est, consentanea animo magno & generoso, ad maximam dignitatem, perfectionem, ad amicitiam, ac filiationem Dei, beatitudinemque destinato, & magnis gratiæ præsidiis instructo.

Ex his abundè patet, quodnam sit hujus Fortitudinis Virtutis Objectum materiale, quodnam formale. Nempe illud sunt pericula & labores, utpotè circa quæ tota versetur: istud verò est difficultas superandi pericula, & tolerandi labores; nam in periculis adeundis, & laboribus tolerandis Fortitudo specialem difficultatem attingit. 7

§. III.

De Temperantia. 8

Temperantia ex dictis sæpè cit. c. Ethicæ nostræ §. 5. latè sumitur, & strictè. Latè sumpta dici potest *Virtus, quæ juxta rectam rationem & legem divinam operationes & passiones humanas moderatur:* Sive est *Virtus refrenans animi affectus, qui ipsum contra rectam rationem alliciunt, illosque moderans secundùm rectam rationem ac legem divinam.* Sed sic sumpta non est Virtus specialis; nam id præstat omnis Virtus moralis in sua materia; Justitia enim, e. g. affectum à furtis, & injuriis avertit.

Temperantia igitur strictè sumpta est *virtus, quæ secundùm rectam rationem, ac legem divinam moderatur appetitum & usum rerum, quæ delectationem sensuum, præsertim gustûs & tactûs pariunt,* qualia sunt esculenta, poculenta, & venerea.

Temperantiæ sic sumptæ Objectum materiale sunt omnes delectationes corporeæ, sed præsertim eæ, quæ ex cibo, potu, rebusque venereis, percipiuntur: nam circa omnes sensuum delectationes versatur: est enim in illorum usu specialis superanda difficultas, cùm sit periculum, ne homo illis utatur præter mensuram, aut propter finem indebitum. 9

Objectum verò formale est earum delectationum usus honestus. Nam Temperantia non ad aliud inclinat, quàm ad honestum delectabilium usum, seu rationi, & Legi divinæ consentaneum: per hoc enim à cæteris Virtutibus cardinalibus differt; in quo autem positus sit ille usus honestus docet S. Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ cap. 21. ubi sic loquitur: *Habet vir temperans in rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus, atque officiorum necessitatem, quantùm satis est, usurpet utentis modestiâ non amantis affectu.*

10 Partes subjectivæ seu species Temperantiæ quatuor in Ethica nostra cit. loc. enumeravimus scilicet, *Abstinentiam*, *Sobrietatem*, *Castitatem* & *Pudicitiam*. Tot enim sunt Generis alicujus Species, quot sunt diversa specie Objecta, quæ ab eo attinguntur. Atqui quatuor hæc diversa specie Objecta attingit Temperantia. 1mo. enim moderatur delectationes, quæ ex cibis percipiuntur per Abstinentiam; hæc enim est *Virtus moralis, quæ juxta rectam rationem moderatur appetitum & usum ciborum oblectantium; atque etiam potionis non inebriantis.*

11 2do. moderatur delectationes, ad quas potus movet per Sobrietatem, quæ est *Virtus moralis, quæ appetitum & usum potionis vim inebriandi habentis moderatur juxta rectam rationem;* supplendum semper, & *Legem divinam:* nam quidquid est contra rectam rationem, est etiam contra Legem Dei, cùm recta ratio sit intimatio Legis divinæ æternæ. Regula autem ac mensura cibi, potûs, ac somni, sumenda est ex fine proximo, ad quem ista per se referuntur, qui est bona corporis valetudo, & idonea mentis ad suas functiones obeundas dispositio seu habitudo, ad Dei gloriam ultimatò ordinata: nam finis est mensura eorum, quæ sunt ad finem.

3tio. Moderatur actum conjugalem per Castitatem, quæ est *Virtus, quæ cohibet vel moderatur appetitum & usum venereorum ac delectationis venereæ secundùm rectam rationem & Legem divinam.* 12

4to. Denique moderatur actus, quæ ad actum conjugalem ordinantur, ut sunt oscula, amplexus, aspectus, & tactus impudici, &c. per *Pudicitiam*, hæc enim est *Virtus, quæ bujusmodi actus, eorumque usum & delectationem cobibet aut moderatur juxta rectam rationem & Legem divinam.* Videtur esse eadem virtus ac castitas, vel ejus pars integralis.

Castitas triplex est, *Conjugalis* nempè, *Vidualis*, & *Virginalis*. Conjugalis est *Donum Dei, quo venereorum usus intra conjugii limites coercetur;* sive est *Constans & efficax voluntas abstinendi ab omni actione & delectatione venerea eum non conjuge, & eâ utendi cum conjuge semper juxta rectæ rationis & Legis divinæ regulam.* Libido, quæ in illo usu reperitur per se est mala; unde ejus experimentum voluntarium est illicitum, nisi fine honesto compensetur, generatione scilicet filiorum, & debiti redditione. 13

Conjugalis castitas porro immunis à variis ærumnis non est: scilicet conjugatos carnis tribulationem pati docet Apostolus 1. Cor. 7. Posita est autem illa carnis tribulatio in suspicionibus zeli conjugalis, in pravis affectibus erga non conjugem, in procreandis nutriendisque filiis, in timoribus & mœroribus orbitatis, &c.

Vidualis Castitas est *Dei donum, quo quis in perpetuum respuit veneris illecebras, quas expertus est, sive licitè sive illicitè,* sive est *propositum constans & efficax abstinendi inposterùm propter Deum ab omni actione & delectatione venerea percepta in conjugio aut alibi.* 14

Virginalis castitas definitur *Donum Dei, quo quis animæ & corporis integrita-* 15

gritatem Deo consecravit, seu est *Voluntas constans & efficax abstinendi ab omni actione & delectatione venerea per totam vitam.*

Non amittitur per quodlibet experimentum venereæ voluptatis; potest quippe contingere, ut virgo sit, quæ voluptatem veneream passa sit, sive dormiendo, sive per violentiam barbaricam, ut ait S. Augustinus lib. 1. de Civ. Dei, cap. 25. Sed, teste eodem S. Doctore, servata etiam corporis integritate, virginalis castitas deperditur ab eo, qui vel semel venereæ voluptati consensum præbet: *Neque enim*, ait, *virgo est, quæ ad receptorem suum vitianda pergit.*

De Virtutibus Temperantiæ annexis, seu partibus ejus potentialibus egimus in Ethica nostra cit. §. 4. ubi vide.

§. IV.

16 *De Jejunio Ecclesiastico.*

Ad Abstinentiam præcipuè spectat Jejunium, ut vocant Ecclesiasticum, utpote quod principalis ejus pars potentialis sit; undè, cùm nullibi commodior de eo agendi occursura sit occasio, instituti nostri ratio postulare videtur, ut de eo hìc disseramus.

Igitur per Jejunium Ecclesiasticum intelligimus *Abstinentiam à quibusdam certis & determinatis ciborum speciebus juxta præscriptum Ecclesiæ.*

De eo quæritur 1mo. utrum sit aliquo jure præceptum & quænam sit ejus obligatio. 2do. Utrum omnes jejunii lege teneantur. 3tio. An unica in die refectio ad jejunium requiratur, & qua hora solvi possit. 4to. An jejunantes carnibus, ovis, lacticiniis convenienter interdicantur.

17 Quantum ad primum, dicendum 1mo. Jejunium Jure naturali & Ecclesiastico præcipi. Prob. quantum ad jus naturale ratione S. Thomæ. Jure naturali quisque tenetur satisfacere pro peccatis præteritis, temperare à futuris, & spiritualia meditari. Ergo si ad ea necessarium sit jejunium, ut est aliquorum hominum respectu, jure naturali præcipitur.

Prob. etiam quoad Jus Ecclesiasticum, ex variis legibus, quas Ecclesia de jejunio sancivit, quasque in Jure Canonico legere est.

Dicendum 2do. Jejunii Legem seu præceptum Ecclesiasticum fideles in conscientia ligare, licèt humanum sit, prout ostensum est hoc Tomo Tract. 2. de Legibus; adeoque per se obligare sub mortali. 18

Prob. 1mo. ex consensu Doctorum & fidelium. 2do. Quia res præcepta capax est gravis obligationis (cùm sit opus virtutis in suo genere) & ab Ecclesia absolutè præcipitur: præcepta autem obligant pro gravitate materiæ, saltem dum Superior expressè non declarat se velle tantùm leviter obligare. 3tio. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, putà quia non vult se subjicere præcepto.*

Hinc peccat mortaliter, Qui die jejunii vel abstinentiæ vescitur cibis ab Ecclesia interdictis; nisi à mortali excuset materiæ parvitas, quæ communiter admittitur, eò quòd hujusmodi cibi prohibeantur, prout nutritivi sunt seu refectivi virium: at parum parum nutrit. Ergo etiam parum seu sub parva culpa, & non graviter prohibetur: hæc tamen parvitas difficilè constitui potest.

Tempora autem jejuniis ab Ecclesia destinata sunt 1mo. Quadragesimale tempus ex traditione Apostolica: Ratio est, quia Quadragesimale jejunium quovis sæculo observatum fuit à fidelibus, nec illius initium in aliquo Concilio reperitur; 19

tur: ab Apostolis igitur fuit determinatum, juxta S. August. regulam Ep. 118. à nobis tùm Tom. 1. Tract. 2. de Traditione, tùm alibi sæpiùs allegatam.

2do. Sunt quatuor anni tempora, quæ Ministrorum Ecclesiæ consecrationem præcedunt. Ea autem jejuniis destinata fuere, tùm ut singulæ anni partes pœnitentiæ consecrentur, tùm ut pio illo opere Deus moveatur, ut in messem suam optimos mittat operarios.

3tio. Denique sunt variæ vigiliæ festorum Domini & Sanctorum ejus, pro variarum Regionum more. Ut scilicet pia hac abstinentia & jejunio fideles se congruenter præparent, ad subsequens Domini vel Sancti ejus festum dignè celebrandum, & colendum.

20 Ad secundum quæsitum, dicendum est, quòd omnes fideles jejunii lege teneantur, nisi tamen adsit justa causa, quæ ab ea lege quempiam eximat.

Prob. 1ma. pars ex eo, quòd leges ferantur secundùm quod multitudini conveniunt: Unde Legislator in eis statuendis attendit id, quod communiter & in pluribus accidit. Adeoque Lex hæc est universalis, ut constat ex sensu Ecclesiæ; & causa hujus præcepti in omnibus locum habet, nam omnes egent mortificatione carnis, & castigatione corporis, ut subjiciatur spiritui, & Deo satisfiat pro peccatis.

Prob. altera pars, ex eo, quòd mens Legislatoris humani non sit ad ea obligare, quorum executionem æqua ac rationabilis causa impedit. Unde tunc in iis casibus non ligat jejunii lex, in quibus Legislator eam non tulisset, si hujusmodi casus menti occurrissent.

21 Hinc à Lege communi jejunii immunes sunt 1mo. Pueri usque ad tertium septennium. *Quamdiu*, inquit S. Thomas, *sunt in statu augmenti, quod est ut in pluribus usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad Ecclesiastica jejunia observanda. Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minùs secundùm modum suæ ætatis.*

Diximus pueros *eximi à lege communis jejunii*, non verò *specialis*, quod ipsis etiam pueris præcipitur, ut magna, quæ impendet calamitas avertatur: *Quandoque tamen*, inquit idem S. Thomas, *magna tribulatione imminente, in signum pœnitentiæ arctioris etiam pueris jejunia indicuntur.*

2do. à Lege jejunii eximuntur Peregrinantes & operarii, cùm tantus est eorum labor, ut sine valetudinis detrimento ab iis observari non possit: si tamen iter susceptum fuerit voluptatis causâ, aut labor differri possit sine detrimento, tunc nec peregrini, nec artifices lege jejunii liberantur. Hinc colligitur Ecclesiasticæ legis reos esse, & peccare Pictores, Tonsores, Sutores, Sartores aliique hujus generis artifices, quorum gravia non sunt opera, cùm non jejunant: item mulieres, quæ non jejunant, quòd capite, ut ajunt, nonnunquam laborent, quòd non dormiant, si incœnatæ decumbant; & à fortiori, quòd è sua forma exteriori, quam deperdunt, per jejunium excidant: Nec aut molliores Confessarii, aut impii Medici, qui illis lenocinantur, eas in foro conscientiæ tutas efficiunt.

3tio. Jejunii lege liberantur pauperes, qui ostiatim quærunt, & qui non habent, quod uni justæ refectioni sufficiat; secus illi, qui possunt habere, quod eis ad unam justam refectionem sufficiat.

4to. Mulieres prægnantes, & Nutrices lege jejuniorum eximuntur; nam egent cibô pro se & pro fœtu vel prole, & jejunium eis graviter noceret.

5to. Quoad Senes, quamvis aliqui putent, eos à jejunio eximi circa annum septuagesimum; tamen ex communi,

aut

aut saltem communiore, non est pro iis certum tempus constitutum, quo lege jejunii sint soluti, eò quòd alii citiùs, alii tardiùs viribus deficiant, cùm è contrà communiter crescant & firmentur homines usque ut annum vigesimum primum. Quare Senes non excusantur, nisi quando corporis vires deficiunt, ita ut pluribus modicis egeant refectionibus, aliàs grave nocumentum passuri.

6to. Denique à jejunio excusantur generatim omnes, qui sine gravi incommodo seu damno jejunare non possunt. Speciatim verò isti. 1mo. Ægroti, infirmi; item convalescentes, quos infirmitas valdè extenuavit: quia iis non sufficit una refectio, sed indigent crebriori & modicâ. De sufficienti gravitate infirmitatis consulendus est prudens Medicus; nam ratione officii & peritiæ ad ipsum spectat hoc judicium. Quòd si causa ei est dubia & incerta, auctoritate Superioris opus est, quia tunc necessaria est juris relaxatio, ad quam Medicus, vel Confessarius potestatem non habet. Hinc nemo se à jejunio eximere potest, nisi habeat evidentem causam, ut est gravis morbus, aut opus valdè laboriosum; consulimus tamen, ut, si fieri possit, pro jejunii relaxatione semper habeatur ad Superiorem recursus.

22 Ad tertium quæsitum, scilicet an unica in die refectio ad jejunium requiratur, & qua hora solvi possit?

Dicendum 1mo. Unicam in die refectionem ad jejunium requiri. Prob. Id in jejuniis semper fuit observatum, tùm apud Latinos tùm apud Græcos, ut unica in die refectio sumeretur. Illius usus meminit S. Thomas 2. 2. q. 146. a. 6. ubi sic loquitur: *Ecclesiæ moderamine statutum est, ut semel in die à jejunantibus comedatur;* quia, ut ait, unica comestione concupiscentia refrenatur, atque simul naturæ infirmitati consulitur. Eidem consuetudini patrocinatur lis, quam Sæculô undecimô Latini Græcis intentârunt; quòd serotinis horis cœnulam ex herbis & fructibus pararent.

Ecclesia igitur vult per jejunium corpus castigari, & concupiscentiam coërceri, ut tamen natura ipsa non notabiliter lædatur: multum autem læderetur, si una refectio non permitteretur; & corpus non castigaretur, nec concupiscentia satis coërceretur, si permitterentur duæ.

Hæc refectio debet esse continua, alioqui non esset una, sed repetita. Si quis tamen ob urgentis negotii causam ab illa nondum sufficienter sumpta discedat, potest, confectô negotiô ad eam redire, eamque perficere; quia spectatis circumstantiis, & ex intentione censetur unica moraliter refectio: secùs, si satis refectus ab ea discesserit.

Non licet autem diu protrahere prandium, nam hoc esset æquivalenter duplicem refectionem sumere: idem enim est in ordine ad nutriendum corpus sumere novam, aut diu continuare eandem refectionem, quæ re ipsa erit moraliter & virtualiter multiplex. Nec refert, quòd non semper edatur, sed fiat confabulatio; nam intereà concoquit stomachus cibos sumptos, qui sufficiebant pro integra refectione, & alii substituuntur.

Igitur Cœnula seu Collatiuncula, quæ præter dictam refectionem in diebus jejunii Ecclesiastici à plerisque, imò fermè ab omnibus fidelibus sumi solet, consuetudine est inducta, atque ab Ecclesia tolerâtur: ideoque ex probata piorum ac timoratorum consuetudine determinanda est secundùm quantitatem & qualitatem ciborum. De quantitate id universim dici potest, eam debere esse valdè modicam, imò parcissimam, quippe quæ adhibeatur ad refrigerium potiùs, quàm ad sustentationem, ne cœnula convertatur in cœnam; & juxta multos non debere esse eandem pro omnibus & ubique, sed diversam pro diversitate complexio- 23

plexionum, laborum, ac regionum, quarum aliæ aliis sunt callidiores: undè fit, ut alii minore cibo, quàm alii, indigeant. Quoad qualitatem prohibentur ii cibi, qui valdè nutriunt, qualia sunt ova, pisces, legumina cocta; quippe ignis coctio materiam nutritioni aptiorem efficit; ut proinde corruptela multis videatur, si sumantur legumina & pisces: nam cùm lex jejunii unicam refectionem permittat, inductaque sit consuetudine Cœnula, in hac iis solùm cibus uti licet, qui ipsa consuetudine sunt approbati, quales sunt leviores, ut fructus, &, pro more regionis, parum casei. Licet tamen sumere jusculum ex leguminibus coctis ob necessitatem, ita ut habeat rationem medicinæ potiùs, quàm cibi: nam ex S. Thoma medicinarum assumptio non solvit jejunium.

24 Quæritur etiam hîc, an ille jejunium violet, qui extra refectionem consuetam & Cœnulam aliquid bibit, vel comedit?

Respondet S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2. his verbis: *Jejunium Ecclesiæ non solvitur nisi per ea, quæ Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potûs, qui magis sumitur ad alterationem, licèt aliquo modo nutriat. Et ideò licet jejunantibus pluries bibere* (a). *Si autem quis immoderatè potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere: sicut etiam si immoderatè cibum in una comestione assumat.* Et ad 3. *Electuaria* (b) *etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Undè non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi fortè aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.*

Porro juxta omnes violatur jejunium, si extra hæc tempora sumatur jusculum, lac, vel similis potio, quæ ad nutriendum principaliter ordinatur: quia vetantur ea omnia, quæ per se ac principaliter ordinantur ad nutritionem, sive ea comedendo, sive bibendo, aut sorbendo sumantur; nam hæc cibi nomine veniunt; idem dic de pomis, piris, uvis recentibus, & omnibus aliis fructibus: nam hæc & similia sumere est juxta communem sensum re vera comedere, non bibere, & ex se nutriunt. Licet tamen ob necessitatem aliquid in parva quantitate sumere per modum medicinæ, quamvis nutriat. Sic mane hujusmodi aliquid sumere licet ei, qui aliter sine gravi incommodo non posset jejunare, vel functiones animi aut munera sua rectè obire: nam tunc id se habet per modum medicinæ, quæ non prohibetur diebus jejunii.

Item qui exiguum quid nutritivum sæpiùs eodem die sumit, & si sine proposito aliquid notabile sumendi, peccat mortaliter, cùm ad quantitatem notabilem scienter pervenit. Quia 1mo. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *In die jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* 2do. Plura illa modica constant simul

(a) Celebres Theologi ajunt hîc S. Thomam de eo tantùm potu loqui, qui parum nutrit, ut est aqua; quique, ut ipsemet S. Thomas loquitur, non ad nutritionem, sed ad alterationem corporis & digestionem ciborum sumptorum assumitur. Hinc patet eos à S. Doctoris hujus mente, imò ab ipsa humana ratione alienos esse, qui censent, haustô pluries vinô, etiam usque ad ebrietatem, peccari quidem contra virtutem Temperantiæ, non verò contra jejunii leges.

(b) v. g. Thée, &c.

simul magnam quantitatem, & producunt notabilem effectum, in quo uniuntur, scilicet notabilem nutritionem. Nam nutriunt perinde ac si magna quantitas continenter sumeretur; singulæ enim partes cibi sive simul, sive interruptè sumantur, addunt robur, & substantiam, quæ roboratio manet simul post sumptas omnes partes. Hinc non licet bibere pro arbitrio, & toties aliquid exiguum manducare, ne potus noceat; nam sic sæpius modicum quid comedendo, perveniretur ad quantitatem notabilem, ideoque violaretur jejunium. Nec à peccato veniali excusatur, qui rogatus ab amico exiguum quid comedit, ne inurbanus videatur; nam non est hæc justa ac legitima causa solvendi ex parte jejunium; nec unquam vel etiam leviter licet peccare.

25 2do. Dicendum, non licere jejunium solvere nisi circa horam meridianam, seu juxta antiquum Romanum computum, ante horam sextam aut circiter.

Prob. ex eo, quòd sic ferat, quæ nunc servatur Ecclesiæ consuetudo, ex cujus proinde mente tempus refectionis lege vel consuetudine universali statutum, est conditio pertinens ad substantiam præcepti, vel ad illius modum substantialem. Undè cap. *Solent* de Consec. Dist. 1. *Nullatenus jejunare credendi sunt, si antè manducaverint, quàm vespertinum celebretur officium.* Et ex Concilio Rothomagensi an. 1072. celebrato cap. 21. *Nullus*, inquit, *in Quadragesima prandeat, antequam horâ nonâ peractâ, Vespertina incipiat. Non enim jejunat, qui ante manducat.* Item, *Hactenus*, ait S. Bernardus Serm. 3. de Quadrag. *usque ad horam nonam jejunavimus soli. Nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum universi, Reges & Principes, Clerus & populus, Nobiles & ignobiles, simul in unum dives & pauper.* Denique S. Thomas in 4. Dist. 15. q. 3. a. 4. q. 3. *Ille jejunium solvit, qui Ecclesiæ determinationem non servat. Undè cùm Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.* Equidem in determinatione horæ, qua jejunium solvi possit modò discessum est ab instituto veteris Ecclesiæ, prout patet ex allatis textibus, non tamen in eo, quòd certa hora servetur, quam non liceat comedendo prævenire; adeoque *ille jejunium solvit*, ut optimè notat S. Thomas, *qui Ecclesiæ determinationem*, juxta quam modò non licet solvere jejunium ante horam meridianam, *non servat.*

Undè multi celebres Theologi, quibus tamen alii contradicunt, tuentur eos peccare, non tantùm venialiter, prout, spectata nempe hodierna Ecclesiæ consuetudine, aliqui contendunt; sed etiam mortaliter, qui sine justa causa tempus refectionis notabiliter anticipant: atque jentaculum matutinis horis adhibent, & comestionem amplissimam sub vesperam parant; nisi, ut diximus, subsit justa causa, qualis est iter necessariò faciendum; nam tunc juxta multos refectionis anticipatio omni culpâ vacat.

Ad quartum quæsitum, scilicet Quibus cibis jejuniorum diebus uti liceat? 26
Dicendum, Jejunantes carnibus, ovis, ac lacticiniis interdici. Nam hæc sunt etiam prohibita jure communi, eò quòd ex carne originem ducant, & multum nutriant, Can. 6. Dist. 4. ubi *Par est*, inquit S. Gregorius, *ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus: à lacte videlicet, caseo, & ovis.* Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.*

Verùm hac in re spectanda est cujusque Regionis legitima consuetudo, nam quibusdam in locis esus ovorum, & la-

lacticiniorum omnibus jejuniorum diebus prohibetur, in aliis verò solùm in Quadragesima; imò in aliis, ut in Germania nostra, ne quidem in Quadragesima. *In jejunio Quadragesimali*, inquit S. Thomas, 2. 2. q. 147. a. 8. ad 3. *interdicuntur universaliter etiam ova & lacticinia. Circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos* (existunt etiam circa ipsum Quadragesimale jejunium) *quas quisque observare debet secundùm morem eorum, inter quos conversatur.*

27 Porro urgente causa justa, ut carnes jejuniorum diebus comedantur dispensare possunt cum sæcularibus Episcopus, vel etiam Parochus, juxta cujusque Diœcesis consuetudinem; nam potestas dispensandi in hac lege sæpè occurente potest ex consuetudine esse ei concessa, cùm bonum animarum id postulet. Cum Regularibus verò Superior localis: quia in suos potestatem habet quasi Episcopalem. Confessarii autem, sicut & Medici, possunt solùm declarare obligationem jejunandi non esse, ubi id constat, & causam dispensandi sufficientem esse, vel non esse: qui graviter peccabunt, si imprudenter, & nimia facilitate id declarent.

Denique apprimè notandum venit, quòd, qui dispensantur, ut jejuniorum diebus carnes manducent, non ideò à jejunii lege liberentur. Ratio est 1mo. quia ii, qui, ubi abstinentia ab ovis & lacticiniis jejuniorum diebus præcipitur, dispensantur, ut iis utantur, ob id non censentur eximi à jejunii lege. Ergo nec ii, quibus indulgetur, ut carnibus utantur. 2do. Ecclesia & jejunium, & abstinentiam à carne prohibet. Atqui is cui duplex onus impositum est, & qui uno ex iis per dispensationem liberatus est, non censetur alio liberari. 3tio. Papa Romæ, & Episcopi in variis Diœcesibus, cùm dispensârunt in abstinentia carnis ob causam pro ea sola sufficientem, declarârunt se non dispensare in abstinentia à pluribus refectionibus, sed ejus obligationem relinquere. Et dicitur extare Authentica de hoc Innocentii XII. declaratio; ut & Benedicti XIV. nunc feliciter regnantis pro universa Ecclesia. 28

Cætera, quæ circa tum Prudentiæ, tùm Fortitudinis, tùm Temperantiæ virtutes morales Cardinales, eisque annexas, hîc adhuc addi possent, sufficienter, nî fallimur, in sæpè citata Ethica nostra seu Philosophia morali explanavimus. Modò igitur ampliori tractatu nobis agendum est

29

De Justitia & Jure.

Justitia sumitur in S. Scriptura 1mo. pro complexione omnium virtutum: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*, inquit Christus Matthæi 5. 2do. pro quibuslibet pietatis operibus: *Attendite*, ait idem Christus Matth. 6. *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.*

Idem *Justitia* nomen apud Patres accipitur 1mo. pro Deo, ut in se est, id est, sine ordine ad creaturas: *Quando timore pœnæ, non amore Justitiæ, fit bonum, nondum benè fit bonum*, ait S. Augustinus lib. 2. ad Bonifac. c. 9. *Est ille summus Deus vera Justitia*, inquit idem S. Doctor Ep. 222. 2do. Sumitur *Justitia* pro virtute reddente alteri debitum ad æqualitatem: *Justitia est virtus, quæ sua cuique tribuit*, ait S. Augustin. lib. 19. de Civ. Dei c. 21. De illa in isto sensu accepta hîc disseremus; atque tractationē nostram in quatuor Capita distinguemus. In primo de Justitia ipsa. In secundo de Jure. In tertio de Contractibus. Et in quarto denique de Virtutibus Justitiæ annexis agemus.

CAPUT



30

Caput Primum

De Justitia in se spectata.

Tribus paragraphis præsens Caput absolvimus. In 1mo. investigabimus, Quid sit Justitia. In 2do. Quotuplex distinguatur. In 3tio. Quænam sint ejus causæ. Sit ergo

§. I.

De Essentia Justitiæ.

Justitiam, prout est Virtus moralis, in Ethica nostra sæpe cit. cap. 2. §. 3. ad mentem Jurisconsultorum definivimus, quòd sit *Constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* Clariùs tamen & magis ad Logicæ regulas definiri potest, *Virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuò reddendum alteri jus suum ad æqualitatem.*

Dicitur 1mo. *Virtus moralis*, quæ verba hujus definitionis genus exprimunt: enimverò *Virtutis* nomen ita Justitiæ competit, ut aliis quoque Virtutibus competat, etiam *moralibus*, undè additur *moralis*, quo vocabulo innuitur, eam secundùm genus suum etiam convenire cùm cæteris Virtutibus moralibus. Ergo Justitia est *virtus moralis*, *Virtus* quidem, *Virtus* enim, juxta S. Thomam 2. 2. q. 58. a. 3. est habitus naturæ modo, & rationi consentaneus, hominemque & hominis opus bonum efficiens. Atqui Justitia est talis habitus: Quid enim naturæ & rationi magis consentaneum, quàm ut homo omnem implendo justitiam, alteri reddat, quod ei debet. *Moralis* verò: neque enim est Virtus Theologica, cùm Objectum ejus immediatum non sit Deus, sed jus alteri reddendum, adeoque aliquid creatum & finitum; quod propriè est de ratione Virtutis moralis. Additur *Firmans voluntatem perpetuò.* Quibus verbis exprimitur propositum habituale constans & perpetuum voluntatis exercendi id quod naturæ modo, & rationi consentaneum est quod reliquis Virtutibus etiam ingenitum est.

Dicitur 2do. *Ad reddendum alteri jus suum ad æqualitatem;* quæ vocabula illius differentiam exprimunt, atque eam ab omnibus aliis distinguunt virtutibus; quæ vel non sunt *ad alterum*, sed hominem disponunt in ordine ad semetipsum, ut *Temperantita*, quæ effectum, usumque proprii gustûs & tactûs moderatur; vel alteri jus suum *ad æqualitatem* reddere non possunt, ut *Religio*, & *Pietas*, quæ nunquam Deo aut parentibus tantum reddere possunt, quantum iis debetur; vel denique Objectum ab Objecto Justitiæ diversum habent, ut virtutes Theologicæ, quæ circa Deum versantur, cùm Justitia circa jus alteri debitum tota occupetur.

Porro nota, *Jus* hîc non sumi formaliter, prout est legitima facultas ad aliquid; sed objectivè, prout est debitum rigorosum, seu res alteri debita, propter illam, quam habet, facultatem ita de ea re in proprium commodum dispo-

disponendi, ut nemo alius de ea pariter, ipso rationabiliter invito, disponere possit, quin ad restituendum teneatur.

Per *æqualitatem* autem, quæ in Justitia servari debet, intelligitur commensuratio rei, quæ reddi debet, cum jure alterius. Hinc qui centum nummos solvit creditori suo, servat æqualitatem, quia reddit summam juri creditoris commensuratam; Atque ea est ratio, cur Justitia dicatur attingere *medium rei*, quod semper idem est respectu cujuscumque personæ: sive enim agatur de Principe, sive de homine plebejo, servat Justitiam, qui centum debens, centum reddit; At verò aliæ Virtutes servant *medium rationis*, quod, pro personarum varietate & diversitate, varium est & diversum: sic Temperantia infirmo aliter, aliter sano mensuram alimentorum determinat, quod enim uni, putà infirmo, nimium est in ratione potùs, id robusto parum est & angustum.

Cæterùm Justitia non tam est virtus, quæ semper reddat *ad æqualitatem*, quàm quæ semper inclinet ad eam reddendam seu servandam: quapropter justè agere dicitur, qui centum debens, non reddit nisi quinquaginta, quia præ penuria nihil ampliùs reddere potest. Neque etiam vox ista *ad æqualitatem* grammaticè sumenda est, quasi semper exprimat duo, quorum alterum ab altero re ipsa distinguatur: unde æquale reddere dicitur, qui eundem, quem furatus est, equum, restituit.

§. II.

De Divisione Justitiæ. 31

In Ethica nostra cit. §. 3. dividimus Justitiam in binas Species, quas partes Justitiæ subjectivas nominavimus, quòd Justitiæ universaliter sumptæ subjiciantur tanquam Species suo Generi, nempe in *Commutativam*, & *Distributivam*. Hîc eis addimus Justitiam illam, quam *Legalem* vocant; quamvis hanc Justitiæ partem subjectivam, seu Speciem, aliqui tùm ad alias virtutes, putà *Fortitudinem*, & *Prudentiam*, tùm ad *Obedientiam*, & *Pietatem*, quæ Justitiæ annexæ sunt virtutes seu partes illius potentiales reducant.

Justitia ergo adæquatè dividitur in *Commutativam*, *Distributivam* & *Legalem*. (c) Totuplex enim est justitia, quotuplex est ordo, in quo statui potest æqualitas, quæ, ut §. sequenti dicemus, est de ratione Objecti formalis Justitiæ. Sed triplex tantùm est hujusmodi ordo in Republica; totius nimirùm ad partes, partium ad totum, & partium ad se invicem. Pro priori ordine statuitur Justitia Distributiva, quæ præmia aut bonum commune civibus dispensat. Pro altero constituitur Justitia Legalis, per quam unaquæque pars se gerit, prout bono totius expedit. Pro tertio tandem ordine est Justitia Commutativa, per quam pars Comparti, quod ejus est, tribuit.

Igitur Justitia Distributiva est Virtus moralis firmiter inclinans Communitatem, vel eum, qui ei præest eamque repræ-

(c) Theologi solam Justitiam commutativam propriè Justitiam esse dicunt, utpotè quæ propriè & adæquatè ad alterum sit. Justitia autem Legalis non est sufficienter ad alterum; cùm per Justitiam legalem civis ad communitatem, cujus est pars, & quatenùs est pars, ordinetur: sicut nec Justitia Distributiva, quia officia & bona communia Reipublicæ non sunt strictò jure debita, &c.

repræsentat, ad servandam debitam proportionem inter ea quæ distribuuntur, & conditionem personarum, quas distributio respicit.

Duplex est *Renumeratoria* nempe, quæ in distribuendis officiis & præmiis juxta meritum occupatur, & *Vindicativa*, quæ circa irrogandas pœnas juxta modum culpæ versatur (*d*). Æqualitatem seu proportionem Geometricam duntaxat servat, prout in Ethica loc. cit. observavimus.

Justitia Legalis est virtus firmans voluntatem ad tribuendum Reipublicæ debitum, scilicet procurando bonum Reipublicæ præ bono privato.

Duplex etiam est. Prima Nomothetica seu imperans dicitur: Altera exequens seu Ministerialis. Illa residet in Principe, vel in Magistratu, & Superiore, quatenùs actus sibi subditorum dirigit ad bonum commune: Hæc verò in civibus & inferioribus, quando amore boni communis obediunt & observant ea, quæ legibus continentur.

Ergo sicut Charitas comites habet omnes virtutes, quia proprius ejus effectus est servare omnia mandata, juxta illud Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit;* sic nec Justitia Legalis consistere potest sine cæteris virtutibus, cùm omnes concurrere debeant ad bonum publicum.

Justitia denique Commutativa est Virtus moralis firmans privatum ad reddendum alteri quod suum est, seu quod ei debitum est in contractibus, permutationibus, aliisque ejusdem generis actionibus aut rebus, juxta proportionem arithmeticam, seu ad æquale, id est numeri ad numerum, prout jam in Ethica nostra sæpè citatô §. 3 adnotavimus.

§. III.

De Causis Justitiæ. 32

Causa cujuslibet Virtutis, non secùs ac cujuslibet Disciplinæ, Scientiæ, vel Artis, prout passim tùm in Philosophia nostra tùm in Theologia animadvertimus, quadruplex assignari solet; *efficiens* nirùm, *finalis*, *materialis*, & *formalis*.

Ex alibi tùm in Philosophia tùm in Theologia dictis, Causa efficiens est principium influens esse in effectum: Causa finalis est ipsemet finis seu ratio, cujus gratiâ aliquid fit: Causa formalis, seu forma, est ratio quidditatis, id est, ratio essentiæ rei alicujus constitutiva: Causa materialis duplex adhuc distinguitur, nimirum *circa quam*, & *in qua*: prima nihil aliud est quàm Objectum Virtutis; secunda est Subjectum in quo ea Virtus residet.

Causa efficiens Justitiæ est Deus, à quo omne donum descendit, & homo, quatenus Deo cooperatur. Causa finalis est ipsemet Justitiæ finis, seu actus Justitiæ, per quos unicuique jus suum tribuitur. Causa formalis ipsa Justitiæ definitione comprehenditur. Causa materialis Justitiæ circa quam, seu Objectum illius duplex est, materiale scilicet, & formale. Materiale est res vel actio debita & reddenda. Illud enim est Objectum materiale alicujus Virtutis, circa quod ea virtus ita versatur, ut circa id ipsum aliæ quoque virtutes versari possint. 33

(*d*) Sunt qui Justitiam Vindicativam ad *Commutativam*, de qua mox agemus, reducant, quia, inquiunt, Respublica, seu qui eam repræsentat, puniens malefactorem, recuperat honorem, quem ille per legis infractionem læserat. At hoc non obest, quin tali pœna pro modo culpæ suâ distribuatur, seu irrogetur, & sic ad Justitiam Distributivam reducantur, æque ac ad commutativam.

possint. Atqui Justitia circa rem debitam versatur, ita ut aliæ quoque virtutes circa eandem rem versentur; nam Religio, Pietas, Gratitudo versantur etiam circa res Deo, patriæ, aut parentibus, & proximo debitas. Formale verò est res prout strictè debita, & ad æqualitatem reddenda. Nam Objectum formale virtutis alicujus est ipsum Objectum materiale, prout consideratur sub respectu quodam speciali, sub quo ab aliis virtutibus non attingitur. Atqui aliæ virtutes, quæ versantur circa rem debitam, non eam attingunt prout strictè debitam eo, quo nunc intelligimus sensu: Pietas v. g. præcisè ut sic, versatur quidem circa rem maximè debitam, non ita tamen, ut qui contra Pietatem peccaverit, teneatur ad restituendum: qui enim parenti pauperi non succurrit, debet quidem succurrere in posterum ex Legibus pietatis, non autem tenebitur ad refundendum æquale pro præterito.

Causa materialis in qua, seu subjectum Justitiæ vel in quo Justitia residet, est ipsa voluntas. Enimverò Justitia nihil est aliud quàm firmum & constans propositum unicuique tribuendi quod suum est. Atqui, ut patet propositum hoc non ad intellectum sed ad solam voluntatem pertinere potest. Hoc supposito quæri hìc solet 1mo. An in homine respectu sui ipsius, 2do. An inter Deum & hominem, 3tio. An inter Patrem & Filium sit justitia propriè dicta, id est, quæ propriè & strictè ad alterum ordinetur. Qua de re sit

34 CONCLUSIO.

Nec ejusdem hominis ad se ipsum, nec inter Deum & hominem, nec denique inter Patrem & Filium Justitia propriè & strictè dicta reperitur.

Prob. Stricta & propriè dicta Justitia tres conditiones ipsi essentiales includit; 1mo. debet esse ad alterum. 2do. debitum supponit. 3tio. debet constituere æqualitatem. Atqui prima non reperitur in eodem homine respectu sui ipsius; nec enim idem homo alter est à se ipso. Nec eadem conditio, ut & nec tertia reperiuntur inter creaturas & Deum, Filium & Patrem: Nam 1mo. Creaturæ sunt effectus Dei, Filii partes Parentum: ac proinde nec Deus, nec Pater sunt perfectè aliquid aliud ab ipsis. 2do. Nec creaturæ Deo, nec Filii Patribus æquale reddere possunt. Ergo.

Eadem ratio militare videtur quantùm ad servos respectu Dominorum; servi enim sunt instrumenta Dominorum, adeoque hi etiam non sunt perfectè aliquid aliud à servis suis (e). 35

Nihil tamen obest quin imperfecta & impropriè dicta justitia inter eos intercedere dicatur. Nam 1mo. Patres asseruerunt Creaturam per suum peccatum sibi, & Deo inferre injuriam, & consequenter infringere justitiam. Ergo supposuerunt in Creatura respectu sui ipsius, Deumque inter & ipsam, Justitiam aliquam, & saltem secundùm quid, reperiri. 2do. Filius, qui necessaria Patri negat, reus sit violatæ Justitiæ; quippè qui id elargiri detrectet, quod naturali jure debet. 3tio. Servus, qui, invitô Dominô, fugit, incidit in peccatum furti, rapit enim bonum alienum (f), invitô rationabiliter Dominô. Atqui furtum est contra Justitiam. Ergo, &c. 36

Solvun-

(e) Idem quoque dicendum de marito & uxore qua talibus, quia sic sunt una caro & unum veluti totum, cujus vir est caput, & uxor corpus.

(f) Scilicet se ipsum, qui ad Dominum suum pertinet, estque illius non sui ipsius.

37 *Solvuntur Objectiones contra Conclusionem.*

Ob. 1mo. Contra 2dum. Membrum Conclusionis. Si in Deo respectu creaturæ non esset Justitia propriè dicta, tunc vel maximè ideò, quia id supremo, & perfectissimo, quod in creaturas habet, & quo se spoliare non potest, dominio repugnat. Atqui hæc ratio nulla est. Prob. Etsi Deus creaturis aliquid stricto jure deberet, perfectum tamen in eas dominium habere non desineret, quia dominium hoc ligatum non esset nisi ex Dei voluntate. Ergo sicut non desinit dominium Dei in Angelos, ex eo quod Deus, ex suppositione sui decreti, non possit nunc Angelos destruere, sic nec desineret idem dominium in mercedem, v. g. Angelis destinatam, ex eo, quòd Deus illam stricto jure iisdem Angelis deberet.

Resp. 1mo. neg. maj. arg. & dicimus, Nos asserere in Deo respectu creaturæ perfectam Justitiam non reperiri, quia Deus non est perfectè aliud ab ipsis, nec hæ ipsi æquale reddere possunt; quæ conditiones tamen requiruntur ad perfectam Justitiam; non præcisè quia Deus perfectissimum in creaturas habet dominium, &c.

Resp. 2do. neg. min. Ad ejus prob. neg. ant. Nam tunc Deus plenè & perfectè non haberet (*g*), quia jam re sua sine alterius injustitia uti non posset, in quo tamen consistit ratio pleni & perfecti dominii. Nec valet paritas, quæ additur: dominium enim non est facultas utendi re sua sine infidelitate, aut inconstantia; sed facultas utendi re sua sine alterius injuria. Quare licèt Deus non possit promissam Angelis immortalitatem negare, quia infidelis esse non potest; perfectè tamen Dominus est, quia etsi per impossibile vitam Angelis auferret, non auferret iis nisi id, de quo sine cujuscumque injuria disponere potest. Si homo qui die Veneris gallinam suam sine peccato inobedientiæ comedere non potest, non desinit esse verè Dominus gallinæ, quia eam sine alterius injuria comedere potest.

Ob. 2do. Scriptura & Patres sæpissimè Deo justitiam attribuunt. Sic 2. Tim. 4. v. 8. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus Judex.* Heb. 6. vers. 10. *Non enim injustus est Deus, ut oblivisçatur operis vestri.* 38

Eundem in sensum locuti sunt SS. Patres. Sic Augustinus lib. de nat. & grat. *Non enim injustus est Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ.* Et S. Ambrosius in Psal. 118. Serm. 7. *Vult Deus conveniri, ut si quis. . . . benè certaverit, fructum remunerationis expectet, quin etiam exigat.* Atqui hi omnes textus de justitia strictè sumpta intelligi debent: textus enim, qui tam frequenter idem dicunt, proprio & naturali sensu intelligi debent, nec ad metaphoram detorqueri possunt, nisi gravis urgeat ratio, quæ hic planè nullatenùs occurrit. Ergo, &c.

Resp. dist. maj. Scriptura & Patres Deo attribuunt justitiam, ut exprimant Deum id, quod justum est & bonum, facere, imò & ad id teneri ex fidelitate, conc. Ut exprimant Deum ad id faciendum teneri ex stricto creaturarum jure, neg. maj. Itaque Deus Sanctos remunerans multiplici sensu justus nuncupatur, 1mo. Ratione fidelitatis, quia, ut loquitur S. Augustinus, Serm. 16. de verb. Apost. cap. 1. *Debitor factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.* 2do. Ratione æqualitatis, quam servat: quantum enim meren-

(*g*) Intellige, supremum & perfectissimum in creaturas dominium.

merentur opera, tantum, imò plus retribuit, juxta illud S. Pauli Rom. 8. v. 13. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Sed Deus non eo sensu dicitur justus, quòd creaturis quidpiam strictè jure debeat. Hinc S. Anselmus in Prosol. cap. 10. *Justus es*, inquit ad Deum, *non quia nobis reddis debitum, sed quia facis, quod te decet valdè bonum.* S. Bernardus Serm. 1 de Annuntiatione: *Si Deus merenti negaret, præjudicium nulli faceret.* Et demum S. Augustinus lib. 4. Confess. cap. 4. *Reddis debita, nulli debens.*

Ad prob. Resp. Scripturam sine metaphora explicari debere, quoties id rerum natura patitur. Atqui Dei natura non patitur, ut justitia, de qua loquimur, Deo adscribatur, cum ea imperfectionis aliquid includat, quatenùs supponit Deum aliquid strictè debere creaturis: hæc enim debendi ratio supremū Dei dominiū omninò subvertit: Si enim Deus alicui ex justitia obligatus esset, tunc sine injustitia non posset id, quod illi debet, in alterius dominio reponere, adeoque sine illius, cui illud debet, injuria, aut injustitia de eo ad libitum disponere, illudque ei denegare; quod supremo, & perfectissimo Dei in creaturas dominio repugnat, utpote de cujus ratione est, ut, quemadmodum jam adnotavimus, Deus de aliqua, imo qualibet re uti possit, ut nulli fiat injuria.

39 Ob. 3tio. In eo est Justitia strictè sumpta, in quo est constans & perpetua voluntas unicuique jus suum tribuendi. Atqui in Deo est talis voluntas, cùm ea nihil involvat imperfectionis. Ergo.

Resp. neg. min. Per eas enim voces, *jus suum*, intelligitur id, quod stricto jure debitum est: sed aliquid alteri stricto jure debere, imperfectionem arguit. Ergo.

Inst. Ideò jus illud quod ex debito Dei acquireret creatura, imperfectionem argueret in Deo, quia rem, quam deberet Deus, alto ejus dominio (*b*) subtraheret. Falsùm consequens. Ergo. Prob. min. Non magis alto Dei dominio subtraheretur res, quam Deus creaturæ deberet, quàm alto Regis dominio subtrahatur res, quæ à Rege subditis donatur, aut venditur. Atqui res à Rege subditis donata, aut vendita, non ideò desinit subjacere alto Principis dominio, cui semper licitum est de bono & personis disponere, prout exegerint Reipublicæ commoda. Ergo. 40

Resp. neg. min. ad ejus prob. 1mo. neg. maj. Longè enim majus est Dei dominium in bona creaturæ, quàm Principis in subditorum bona: de iis enim Princeps nonnisi certis in casibus disponere potest, extra quos idem committit scelus quod Achab, cùm vineam Naboth vi & dolo occupavit, 3. Reg. cap. 21. Quis dominium Dei tam finito hominis dominio comparare ausit? 2. Resp. neg. min. Nam Princeps etsi jus altum in vendita subditis bona conservet, amittit tamen dominium illud proprietatis, vi cujus eadem vendit bona; unde ea deinceps vendere nequit, nisi id postulet Reipublicæ utilitas. Ergo Princeps vendendo, aut donando quædam bona, excidit à quodam jure; ergo etiam Deus, si velut cogi posset ad rem in alterius dominio ponendam, potiora supremi dominii sui jura amitteret.

Ob.

(*b*) *Dominium altum* seu *jus altum* illud dicitur, quod juribus & dominiis particularium prædominatur, atque illis derogat, quatenus, non obstante jure, quod habent particulares in sua bona, potest ille, qui communitatis seu Reipublicæ præest, privatorum bonis & fortunis uti, prout postulat Reipublicæ utilitas.

41 Ob. 4to. S. Thomas. lib. 1. cont. Gent. cap. 93. sic loquitur: *Non competit Deo commutativa Justitia: sed solùm distributiva.* Ergo saltem in eo erit justitia distributiva respectu creaturæ.

Resp. dist. textum: Justitia distributiva latè sumpta Deo competit, conc. strictè, & ut à nobis hîc accipitur, neg. ant. Itaque cùm frequenter satis per justitiam distributivam ea intelligatur, quæ multis secundùm proportionem geometricam, reddit id, quod ipsorum est, sive id districto jure debeatur, sive non; hinc est, quòd Justitia distributiva Deo faciliùs tribuatur, quàm commutativa, quia re ipsa reddit Deus unicuique secundùm opera ejus. Eadem de causa Justitia vindicativa Deo inesse dicitur, non ut exprimatur tantam Deo incumbere puniendi criminis necessitatem, ut si hoc condonet, injuriam alicui faciat; benè verò ut significetur eum tantum peccatori daturum esse luctûs & tormenti, *quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit*, Apoc. 18. vers. 7. Utramque Justitiam hoc sensu in Deo locum habere lubenter fatebimur; sed tunc à strictiori utriusque idea recedendum erit.

42 Ob. 5to. Esto in Deo respectu creaturæ non reperiri justitiam strictè & propriè sumptam, ea tamen est in homine respectu Dei. Ergo malè dictum in Conclusione eam non reperiri in creaturis respectu Dei. Prob. ant. Ex S. Augustino lib. 19. de Civ. Dei cap. 21. ubi sic loquitur: *An qui fundum aufert ejus à quo emptus est, & tradit ei, qui nihil in eo habet juris, injustus est; & qui se ipsum aufert dominanti Deo, à quo factus est, & malignis servit spiritibus, justus est?* Unde sic conficitur argumentum: Quia hominem re sua spoliat, strictè & propriè loquendo injustus est. Atqui ex S. Augustino qui se ipsum Deo subtrahit, ut malignis serviat spiritibus, se habet, ut ille, qui hominem fundô suô spoliat. Ergo.

Resp. neg. ant. ad ejus prob. transf. miss. S. Augustini textu dist. min. Qui se ipsum Deo subtrahit, &c. se habet quodammodò & secundùm quid ut ille, qui hominem fundô suô spoliat, conc. se habet omninò & secundùm omnia, neg. min. Qui hominem re sua spoliat, illius dominium omninò ab eo tollit: Qui verò per peccatum à Deo recedit, atque diaboli servus efficitur, à supremo Dei dominio se nec omninò subtrahit nec subtrahere potest. Similitudini ergo, quam hîc affert S. Augustinus, idem accidit, quod cæteris plerisque evenit, nempe claudicat, atque in sensu latiori & cæteris paribus accipienda est.

Inst. In eo potest esse Justitia respectu Dei, qui verè & propriè potest esse in Deum injustus. Atqui homo in Deum injustus esse potest: ille enim in Deum injustus esse potest, qui jus Dei violare potest. Atqui homo &c. Sicut enim jus hominis violat, qui eum falsi criminis reum postulat; ita jus Dei violaret, qui eum injustitiæ & crudelitatis accusaret. Ergo tunc læderetur non solùm Religio, sed etiam Justitia. 43

Resp. 1mo. neg. maj. Nam longè plura requiruntur ad perfectam & propriè dictam Justitiam, quam ad injustitiam; nempe ad perfectam Justitiam requiritur, ut sit ad alterum, & ut ponat æqualitatem, quæ in homine respectu Dei, minimè reperiuntur: ad injustitiam verò sufficere videtur læsio juris alieni. Unde etsi concederetur hominem in Deum verè & propriè injustum esse posse; non tamen ideò sequeretur, in eo respectu Dei propriam & strictam esse posse justitiam.

Resp. 2do. neg. min. scilicet hominem in Deum verè & propriè injustum esse posse, 1mo. quia non fit injuria seu injustitia propriè dicta nisi invito: Deus autem



autem erga nullam eventum invitus esse potest propriè loquendo, quia quod permittit, avertere potest. 2do. Quia per injustitiam propriè dictam jus, quod alter habet, eidem omninò tollitur. Atqui homo per suum peccatum seu erga Deum injustitiam jus, seu dominium, quod Deus in illum habet, minimè aufert, aut auferre potest. 3tio. Sicut Justitia perfecta & propriè dicta est ad alterum, sic & injustitia propriè & strictè sumpta. Atqui ex dictis justitia, quæ inter Deum & hominem intercedit non est propriè ad alterum. Ergo nec injustitia.

44 Ob. 6to. contra 3tium. Conclusionis membrum. Inter Patrem & Filium potest esse vera amicitia. Ergo & justitia strictè sumpta: non enim minùs amicitia est ad alterum, quàm Justitia.

Resp. neg. conf. Ratio est, quia major distinctio requiritur ad fundamentum justitiæ strictè sumptæ, quàm ad fundamentum amicitiæ; ista enim aliquo modo, per affectum scilicet, identificat personam amatam cum amante.

45 Ob. 7mo. Filius per emancipationem redditur alter à patre. Ergo saltem in eo casu in patrem & ipsum potest esse perfecta & strictè sumpta justitia.

Resp. dist. conf. In eo casu potest esse inter patrem & filium perfecta justitia in bonis civilibus, conc. in debitis jure naturæ, neg. conf. Ratio est, quia emancipatio non tollit unitatem naturæ: igitur non efficit, ut in rebus, quæ ad naturam pertinent, filius & pater sint perfectè distincti.

46

Caput II.

De Jure.

Juris nomen sex præcipuè modis sumitur. 1mo. Pro Arte Juris seu Jurisprudentia; quia quemadmodùm ars medicamentorum *Medicina* dicitur, sic Ars & Scientia Juris vocatur *Jus*. Jus autem sic sumptum definitur, *Ars æqui & boni, justi & injusti scientia.*

2do. Pro loco, in quo Jus dicitur; hoc pactô dicimus aliquem in Jus vocari.

3tio. Pro Judicis sententia, licèt nonnunquam injusta; sic Judex dum pronuntiat, dicitur Jus dicere.

4to. Pro lege, quæ est regula, qua diriguntur actiones justitiæ; quo sensu Jus dividi solet in Jus naturale & positivum, hoc est, in legem naturalem & positivam, de quibus speciali tractatu egimus.

5to. Pro actione vel re justa, seu pro Objecto Justitiæ, quo sensu res ad nos pertinens dicitur jus nostrum.

6to. Pro legitima facultate, quam habet quis ad utendum re aliqua, atque eam certô modô possidendam; sic dominus fundi dicitur habere jus circa fundum. Et hoc ultimô modô hîc sumitur nomen Juris.

Itaque Jus, de quo nunc loquimur, definiri potest, *Legitima potestas disponendi de re aliqua tanquam sua, per se efficiens, ut nemo, nobis rationabiliter invitis, de eadem re disponere possit.* 47

Dicitur 1mo. *Legitima potestas* hoc est, vel Legi conformis, quia alioqui vis & injuria esset, non verum jus: vel concessa è lege, sive naturali, uti est jus ad tuendam vitam; sive divinâ, uti est jus ad percipienda Ecclesiæ Sacramenta; sive demùm humanâ, uti est jus præscribendi, item jus hæreditarium, &c.

Dicitur 2do. *Potestas*, quæ est habitudo ad id, circa quod jus habere dicimus. Hæc autem potestas, licèt aliquando supponat aliquid physici, ut patet in potentia docendi, quæ scientiam supponit; per se tamen non est aliquid physicum, sed morale, prout secundùm communem hominum

minum æstimationem sufficit ad varios effectus producendos: unde pro effectuum illorum natura nunc concipitur per modum potentiæ activæ; ut cùm agitur de jure, quod habet Judex ad ferendam sententiam: vel per modum potentiæ passivæ; ut cùm dicitur, filium habere jus, ut à Patre nutriatur: vel denique per modum potentiæ resistendi, quale est jus, quo quis alium impedire potest, ne ædificet in tali loco, ne altiùs ædificet, &c.

Dicitur 3tio. *Disponendi de re tanquam sua.* Ubi nomen *Rei* latè sumitur pro eo omni, quod utcumque ad nos pertinere potest, sive sit ipsa substantia boni; quo sensu dicitur filius habere jus in hæreditatem paternam: sive sit simplex rei usus; quomodò dicitur jus habere in hortum, qui ejus usum habet à proprietate distinctum: sive sit mera functio, v. g. juris dicendi seu pronuntiandæ sententiæ: aut quasi functio, ut retinendi dominii aut functionis seu conditionis, in qua sumus; vel negatio functionis, ut non militandi, non solvendi tributum, ad quod alii obligantur. Per verbum *disponere* autem non id tantùm significatur, quod actu possidemus possessione facti, ut ajunt; sed id etiam, quod possidemus possessione juris, id est, quod ut nobis jam debitum & obligatum prosequi possumus.

Dicitur 4to. *Efficiens, ut nemo &c.* Si enim res verè mea sit, injuriam facit mihi, qui de ipsa contra voluntatem meam absque legitima causa disponit.

48 Jus ita definitum dividi solet in *Jus in re* seu *reale*, quod est *legitima potestas circa rem sibi obligatam, & suam factam*; ideoque dat actionem in rem ipsam, ita ut possit res illa vindicari, ac repeti, ubicumque fuerit; & in *Jus ad rem*, quod est *potestas legitima ad obtinendam, sibique obligandam rem nondum sibi obligatam seu suam factam*; ideoque non parit actionem in rem, sed in personam, quæ illam debet. Sive paulò breviùs, Jus in re est *Jus, quod quis habet in re, ut jam sua facta*, & dat actionem realem. Jus ad rem est *Jus, quod quis habet ut res aliqua sua fiat*, & parit actionem personalem. *Actio* autem hîc est *Jus prosequendi in judicio id, quod suum est, vel quod sibi debetur.*

Ad *Jus ad rem* velut species refertur 49
Jus, quod quis habet ad Beneficium per electionem, postulationem, & præsentationem; de quibus egimus in Tractatu de Religione cap. 5.

Ad *Jus in re* verò tanquam species infimæ revocantur Dominium, Usufructus, Usus, Habitatio, Emphiteusis, Feudum, Libellus, Superficies, Servitus, Pignus, & Hypotheca, quibus affinis est possessio. De quibus omnibus duabus Sectionibus in varios paragraphos distinctis agemus, quarum prima de *Dominio*, utpote de quo plura scitu utilissima dicenda occurrunt; Altera verò de Reliquis *Juris in re* speciebus tractabit.

SECTIO I. 50

De Dominio.

Dominium generatim definiri potest, *Jus gubernandi vel disponendi de re aliqua tanquam sua.* Duplex est, *Jurisdictionis* & *proprietatis*: Dominium jurisdictionis est *potestas gubernandi subditos in illorum commodum, præcipiendo scilicet, probibendo, judicando, puniendo, &c.* Illud quoque duplex est, aliud *politicum* seu *sæculare*, quod est *potestas gubernandi subditos in rebus temporalibus*, qualis est in Regibus & aliis Principibus: aliud *Ecclesiasticum*, quod est *potestas gubernandi subditos in ordine ad bonum spirituale*, qualis est in Papa & Episcopis, &c.

Dominium proprietatis, de quo solo hîc agimus, est *Jus disponendi de re aliqua, tanquam sua, seu suo nomine, arbitratu, & auctoritae, nisi lex vel pactum obsistat.*

Dicitur 1mo. *Jus &c.* Quia Dominium verè est Jus aliquod &c. Dicitur 2do. *Nisi lex vel pactum obsistat.* Quia ejus usus potest lege vel pacto impediri: sic pupillus non potest bona sua alienare, licèt eorum sit Dominus, quia id ei legibus, quæ legitimis de causis manus eidem ligaverunt, vetitum est; nec debitor pignus potest alienare, quamvis sit ejus Dominus, ob pactionem cum creditore initam.

51 Dividitur 1mo. in *Altum*, quod habet Respublica, seu Princeps, disponendi de bonis & actionibus privatorum ad bonum commune; & in *Humile*, quod quisque privatus habet disponendi de suis bonis in proprium commodum.

52 2do. In *plenum* seu *perfectum*, quod est *Jus disponendi de re & fructibus ejus tanquam suis*; & *non plenum*, quod est *Jus disponendi vel de sola re, vel de solis ejus emolumentis:* undè subdividitur in *Directum*, *quo quis habet solam proprietatem rei sine jure percipiendi ejus fructus*, & in *Utile*, quod est *jus disponendi de fructibus & emolumentis rei, non de ipsa re.*

53 Porrò ad acquirendum Dominium rei, quæ nullius est, sufficit sola rei apprehensio facta animô illam faciendi suam, *quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur.* lib. 3. ff. *De Acquir. Rer. Domin.* Nisi aliter specialï aliqua lege, vel consuetudine statutum sit.

54 Ad acquirendum verò dominium rei, quæ habet Dominum, jure naturæ sufficit mutuus consensus signô externô expressus; sed jure positivo duo ordinariè requiruntur, scilicet *titulus* & *traditio*, ex lib. 20. Cod. de pact. *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis, transferuntur.* Juncta Lege 31. ff de Acquir. Rer. Domin. *Nunquam nuda traditio transfert dominium: sed ita, si venditio aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.*

Titulus autem est fundamentum & radix dominii, sive ratio & causa, propter quam Dominium alicui competit, ut venditio: per eum tamen non habetur dominium aut jus in re, sed solùm jus ad rem, nisi accedat *traditio*, quæ est veluti conditio à jure requisita, ut vi tituli acquiratur dominium. *Traditio* verò duplex est, alia *realis*, qua res ipsa datur in manus; & alia *ficta* seu *civilis*, quæ fit per instrumentum, ut per traditionem clavium, aut similem aliam actionem lege vel consuetudine institutam. 55

Dixi *ordinariè*, quia licèt ad acquisitionem dominii rei alicujus semper requiratur *titulus*, tamen lex in sequentibus casibus ad eam *traditionem* non requirit. 1mo. In hæreditate, cujus dominium acquiritur sola hæreditatis acceptatione, *lib. 23. ff. de De acquir. vel amitt. poss.* 2do. In Legato, cujus Dominium acquiritur, ubi primùm hæres hæreditatem adiit. *Leg. 66. ff. de furt.* 3tio. In Beneficiis, in quibus jus in re per solam collationem & acceptationem acquiritur. 4to. Ex titulo donationis, venditionis, aliove simili acquiritur Dominium civitatibus, Ecclesiis, aliisque similibus piis locis, ob speciale privilegium. 56

Circa Dominium proprietatis sic definitum & divisum tria præcipuè inquiri solent: 1mo. Quodnam sit illius Objectum. 2do. Quodnam Subjectum. 3tio. Quot & quibusnam modis Dominium rerum acquiratur. Quæ singulis paragraphis examinabimus.

Priùs

Priùs tamen quædam de Dominiorum origine ac divisione pauca præmittenda esse duximus.

57 Igitur velut certum & re ipsa constans supponimus factam esse rerum divisionem, ita ut quæ unius sunt, non sint alterius. Hinc tres nascuntur quæstiones: 1ma. an divisio rerum & Dominiorum justa sit & conveniens? 2da. Quo tempore facta sit rerum divisio? 3tia. Quo jure ea rerum & terrarum divisio facta fuerit?

58 Ad 1mam. dicendum, justam & convenientem esse rerum & Dominiorum divisionem. Justa quidem est, ut patet 1mo. ex S. Scriptura, quæ mentionem facit tùm de divisione bonorum facta inter viros justos, v. g. inter Abraham & Loth; tùm de emptionibus, donationibus, aliisque ejusdem generis; quæ bonorum divisionem supponunt. 2do. Ex damnatione *Apostolicorum* sæculi 12mi. hæreticorum (*i*), quorum error in eo situs erat, quòd negarent, quemquam salvari posse, nisi omnibus divitiis & dominiis renuntiaret. 3tio. Quia justum est, quod communi gentium consensu constitutum est; Atqui, ut mox dicemus, bonorum divisio sic introducta fuit. Ergo.

59 Deindè eadem divisio conveniens fuit. 1mo. Quia per eam paci & concordiæ consultum est: si enim Abraham & Loth, viri justi, *nequibant habitare communiter*, Genes. 13. vers. 6. eò quòd substantia eorum multa foret, & quasi indivisa, quid de aliis minùs piis futurum fuisset? Quot bella, quot lites, dum unusquisque rem communem, cùm eâ esset utendum, suam facere vellet? 2do. Quia agri inculti remansissent; homo enim naturâ segnis & tardus ad laborem, non raro propria negligit, quantò magis communia negligeret?

Ad 2dam quæstionem dicimus, Rerum divisionem cœpisse ab initio mundi, sive Adam & Noë, ut Patres omnium hominum, qui suo tempore erant, decretum de dividendis dominiis ediderint, quo eorum filii obligarentur; sive homines in eam divisionem unanimi consensu conspiraverint. Quidquid sit, videtur, quòd Abel & Cain Adami filii ex bonis sibi propriis sacrificia Domino obtulerint, ac proindè diversa habuerint Dominia. Docet etiam S. Epiphanius hær. 66. Noë, post diluvium, mundum in tres partes filiis suis divisisse, eosque juramentò obligasse, ut eorum nullus alterius possessiones invaderet (*k*). 60

Ad 3tiam. Respondemus, Rerum terrarumque divisionem factam esse partim jure gentium, partim jure naturali; partim denique in variis regionibus jure civili & politico. 1ma. pars patet, quia jus gentium consistit in omnium populorum aliqua de re consensu. Atqui eo consensu vel expresso vel tacito factum est, ut alii hanc, alii istam terræ partem sibi retinerent, quam ipsi priores occupaverant, aut excoluerant. Ergo. 2da. pars prob. 1mo. Quia illud dici potest jure naturali factum, quod jus naturale vehementer suadet, & aliquatenùs præcipit. Atqui talis est rerum divisio in præsenti miseriæ statu, in quo frater fratrem occidisset, nisi habuisset unusquisque partem aliquam boni sibi specialiter devinctam. Ergo. 3tia. pars habetur ex eo, quod Jus civile invexerit primogeni- 61

(*i*) Sæculô Ecclesiæ 3tio, circa annum Christi 260. nempè, jam prodiêre hæretici dicti *Apostolici* seu *Apotactici*. Matrimonium damnabant; bona omnia & divitias abjiciebant. S. Epiph. hær. 61. S Augustin hæres. 40.

(*k*) Initio æqualis inter omnes facta fuit rerum divisio saltem secundùm proportionem Geometricam. Quòd autem nunc & olim alii amplissimas opes habeant, & habuerint; alii fame & inediá consumpti pereant & perierint; id præscriptione, aut aliis titulis factum est, quibus, quod primò iniquum fuit, evasit æquum.

geniturae, praescriptionisque Jura, necnon multas particulares leges, quae in diversis locis diversas efficiunt dominiorum & bonorum divisiones. Ergo &c. modò sit

§. I.

62 *De Objecto Dominii; seu quaenam sit Dominii materia, id est, quaenam res aut bona hominis Dominio subjaceant?*

Velut certum supponimus, hominem in statu innocentiae rerum sublunarium omnium dominum fuisse: id enim apertè innuit Scriptura, Genes. 1. *Faciamus hominem, ut praesit &c. Replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris.* Psal. 8. *Omnia subjecit sub pedibus ejus.* Quod dominium, post hominis lapsum, in ipso humano genere permansit (*l*), non tamen in quolibet individuo; quia post peccatum facta fuit rerum divisio, quam leges humanae, & consuetudo confirmârunt. Unde in statu naturae corruptae non omnes in omnia sublunaria habent dominium; nec etiam in iis, qui eo fruuntur, aequè perfectum est, ac erat priùs.

Quaeritur ergo hîc praecipuè 1mo. An homo respectu alterius hominis sit Objectum Dominii, id est, an homo alterius hominis Dominus esse possit? 2do. An proprium corpus & fama respectu cujuslibet sit Objectum Dominii; seu an homo sit proprii corporis seu vitae suae, & suorum membrorum, item famae propriae Dominus?

Conclusio. I. 63

Homo potest esse Objectum Dominii, seu potest esse servus & mancipium alterius hominis; adeoque homo alterius hominis Dominus esse potest; licetque homini hominem servum facere, aut habere.

Prob. 1mo. ex S. Scriptura tùm veteri tùm nova. In veteri quidem legimus, apud Judaeos fuisse servos tam ex Israelitis, quàm ex Gentilibus; cum hoc tamen discrimine, quòd isti jure haereditario transferrentur in posteros, illi verò, expletô septenniô, deberent dimitti, Exod. 21. & Levit. 25. In novo autem Testamento: S. Petrus Ep. 1. cap. 2. praecipit, ut servi conversi ad fidem Dominis, etiam discolis, obediant. S. Paulus 1. Cor. 2. haec ait: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es, non sit tibi curae.* 1. Tim. 6. vers. 1. hortatur idem Apostolus, *ut quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur*, sive fideles sint sive non. Undè etiam Onesimum Philemonis servum ad ipsum remittit, non remissurus utique, si servitus illicita foret.

Prob. 2do. Ex Conciliis, & Patribus. Nullum Concilium, nullus S. Pater ex iis, qui à Christo usque ad saeculum 12mum. scripsêre, damnavit ut illicitam, etiam apud Christianos, servitutem legalem. Vide in Jure Canonico Caus. 12. q. 2. Cap. *Injustum* 55. & seq.

Prob. 3tio. Ratione. Ad majus & praecipuum bonum conservandum licet illud profundere, quod minus est. Ergo cùm vita sit pretiosior libertate, licitum est

(*l*) Hoc indicant haec Genes. 9. v. 2. *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terrae . . . . tradidi vobis omnia.* Item haec Psal. 113. *Terram autem dedit filiis hominum.*

est saltem ad conservationem vitæ, libertatem vendere.

64 Notandum hîc 1mo. Jus Dominorum in servos ultra rationabile servitium non extendi; undè injusta erat veterum agendi ratio, qui servos pro nutu morti dabant: imò S. Thomas, & post eum alii multi negant servum per vim & fraudem à contrahendo matrimonio impediri posse. Posset tamen impediri à suscipiendis Ordinibus, quia tunc efficeretur liber; posset & impediri ab ingressu Religionis, ad quem si transiret invitô Dominô, furtum sui Domino faceret, deberetque ei restitui, si ante finem triennii eum repeteret. Caus. 17. q. 2. cap. *Si quis* III.

Not. 2do. Aliquem alterius servum effici posse dupliciter, 1mo. *Voluntariè*. 2do. Ex *justa necessitate*. *Voluntariè* quidem, ut si homo se ipsum vendat, sive ut ab infeliciori statu se liberet, sive ut proximo succurrat, quod S. Gregorius refert factum fuisse à S. Paulino Nolano Episcopo, qui servum se fecit, ut viduæ cujusdam filium à servitute redimeret. Ex necessitate verò, quod tribus modis evenire potest, 1mo. Ratione nativitatis: sic jure communi filius matris ancillæ, etiamsi patrem habeat liberum, servus est, *Inst. Justin. L.* 1. *c.* 3. 2do. Ratione delicti, ut si quis servitute puniatur ob crimen, quod admisit, aut saltem in pœnam peccati publici, quomodò servi fieri possunt, qui capiuntur in bello. 3tio. Jure paterno, ut si pater ob ingruens famis periculum filium vendat, Ex *l.* 1. & 2. *ff. De patribus, qui filios suos distraxerunt.* Quod jus, utpotè odiosum, non solet ad matrem extendi. Compelli autem potest pater ad redimendum filium, si ad meliorem fortunam pervenerit.

Not. 3to. Christianos eximi quidem per charitatem à servitute Diaboli, non tamen à servitute hominum; unde Christiani servi infidelium esse possunt. Et verò si possint in bello justo Infideles vitam auferre Christianis, cur non possint iisdem libertatem auferre?

Not. 4to. quòd, juxta Sylvium q. 66. a. 1. tametsi Hebræis olim licitum fuerit Hebræos servos emere, nulli tamen Christiano jam permissum sit emere Christianum.

Not. 5to. Olim multis modis servos libertatem consecutos fuisse: v. g. per honorem mensæ: per Epistolam, per manumissionē, sive gratis, sive pretiô factam: per conversionem servi Judæi, vel Gentilis, Domino remanente infideli: item per *jus postliminii*, cùm servus bellô captus fugiebat, aut in eas se recipiebat urbes vel Provincias, ubi liberi fiebant loci privilegiô, quicumque in eas confugissent. 65

Hac occasione quæritur, an licitum sit servis fugere? Porro quæstio hîc non est de servis, qui se in servitutem vendiderunt, aut ex matre aliter, quàm per bellum servâ, servitutem contraxerunt: ejusmodi enim servi tam numerantur inter res Domini sui, quàm cæteræ ejus possessiones. Neque etiam de iis sermo est, qui ad infidelitatem, ad fornicationem, aut quodlibet aliud mortale peccatum periculosè sollicitantur, aut quos Dominus occidere vellet, vel quibus necessaria ad vitam auxilia denegaret: ii enim omnes jus habent potius jure Domini sui, ad vitam suam seu corporalem, seu spiritualem tuendam. Præcipua ergo difficultas est utrum servo, qui in bello captus est, *jure postliminii* fugere liceat. *Jus* autem *postliminii* est jus recuperandæ rei suæ ab extraneo, & in pristinum statum restituendæ. Pro quo sit 66

CON-

67 CONCLUSIO II.

Servi bellô etiam justô capti fugere possunt ad suos: non tamen Dominis persequentibus vi resistere.

Prob. 1ma pars 1mo. Ex Instit. lib. 2. tit. 1. *De rerum divisione* §. 17. *Item ea:* ubi sic loquitur Justinianus: *Si servi evaserint nostram potestatem, & ad suos reversi fuerint, pristinum statum recipiunt.* 2do. Quia servitutis, quæ communi gentium consensu introducta est, conditiones non magis onerari debent, quàm consuetudine totius orbis sit receptum. Atqui consuetudo ubique recepta habet, ut servi bellô capti ad suos sine conscientiæ scrupulo fugere possint: is enim ubique est usus eorum, qui bella gerunt, ut nunquam petant, aut mittant pretium eorum, qui fugâ libertatem recuperavêre. Ergo.

Dictum est in hac prima Conclusionis parte 1mo. *bellô etiam justô &c.* Quia certum est eos, qui bellô, de cujus injustitia posteà constaret, capti fuissent, ad suos sine pretio remitti debere; ideoque à fortiori ipsis licitum esse, ut sibi fugâ consulant. 2do. *Servos posse fugere ad suos.* Hæc enim sola fuga permittitur, qua libertatem recuperare possint: non possunt autem libertatem recuperare, quamdiu intra hostium, à quibus capti sunt, confinia morantur.

Prob. etiam 2da. pars. Quia Dominus habet verum jus eos retinendi, quamdiu extra hostium fines non pervenerint. Ergo cùm bellum utrinque justum esse non possit, non possunt vi se tueri, cùm supponere debeant se justô bellô captos fuisse. Sic reus fugere quidem potest, non tamen justitiæ Ministris persequentibus vi resistere. Prout passim docent Theologi.

CONCLUSIO III. 68

Homo nec vitæ suæ, nec membrorum sui corporis est Dominus: benè autem famæ suæ.

Prob. 1ma. pars. Homo non potest pro lubitu de sua vita, aut de membris sui corporis disponere. Unde Deus Deut. 32. hæc ait: *Ego occidam, & ego vivere faciam*, id est, solus ego sum vitæ & necis Dominus. 2do. S. Thomas 2. 2. q. 64. a. 5. asserit, quòd occidens se ipsum non solùm peccet contra charitatem sed etiam contra justitiam; nocet nimirùm Reipublicæ, cujus est vita hominis privati.

Nihil tamen obstat, quin dicamus, hominem in vitam & membra sua habere dominium indirectum & utile: ad hoc enim satis est, ut homo sine cujusquam injuria vitâ & membris uti possit ad omnem usum lege permissum (*m*).

Prob. altera pars. 1mo. Auctoritate SS. Patrum. S. Ambrosius dicitur perditas mulieres excepisse propria domo, ne Mediolanensium Episcopus eligeretur. S. Hieronymus Ep. 47. lapsum suum scriptis mandavit. Varia sua occulta peccata S. Augustinus propalavit in libris Confessionum. Ergo illi SS. Patres existimârunt detrimentum voluntarium famæ non esse contra justitiam, quæ enim sunt contra justitiam, in nullo casu sunt licita. 2do. Ex S. Thoma 2. 2. q. 73. a. 4. ad 1. ubi docet, *in arbitrio uniuscujusque esse pati detrimentum suæ famæ, nisi id vergat in alterius nocumentum.* 3tio. Ratione. Ille est famæ suæ Dominus, cui competunt primarii actus Dominii circa famam. Atqui cuilibet homini &c. Potest enim homo famam proprio labore sibi comparare; ablatam proprio nomine ut rem suam repetere; ac deni-

(*m*) Hac de re fusiùs infrà in Appendice, ubi de homicidio.

denique ejus restitutionem sine cujusquam injuria condonare. Ergo &c.

69 Hoc tamen hominis in famam suam dominium aliquando ligatum est, cùm nempe vergit in alterius nocumentum. Vergit autem 1mo. cùm ex nostri diffamatione sequitur alterius infamia: sic fama patris, Superioris, Prælati vix violari potest, quin inde etiam infametur filius, vel communitas. 2do. cùm ex læsione famæ sequitur scandalum proximi; & hoc maximè locum habet in Sacerdotibus, ad quos præcipuè referri potest illud Eccli 41. *Curam babe de bono nomine*; quique satis ponderare nequeunt hæc S. August. verba lib. de bono viduit. c. 21. *Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra* (*n*). Imo qui se ipsum infamat peccat contra charitatem sibi debitam, nisi id fiat 1mo. ad pertendum consilium. 2do. ad sui humiliationem, vel ad misericordiæ divinæ commendationem. 3tio. ad ædificationem aliorum, & ad satisfaciendum pro peccatis. 4to. ad vitandum peccatum imminens &c.

70 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. contra 1mam. Conclusionem. Servitus juri naturali est contraria, cùm omnes homines nascantur liberi. Ergo est illicita.

Resp. Dist. ant. Servitus repugnat juri naturali sumpto pro prima hominum institutione, conc. Sumpto pro lege prohibente, neg. ant. Neque enim servitus est intrinsecè mala, sicut est peccatum; undè nullum jus aut lex naturalis Servitutem prohibet, &c.

71 Ob. 2do. Servitus repugnat Legi Christianæ, dicente Domino Matth. 17. *Liberi sunt filii.* Ergo.

Resp. neg. ant. Ad textum dicimus, libertatem, de qua Matth. 17. vers. 25. esse libertatem à peccato seu servitute diaboli; non autem à subjectione legali. Nec enim Lex nova jus gentium abrogavit, imò Christus suos illi subjecit Discipulos, dicens: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

Ob. 3tio. Nulli videntur esse justi tituli dominii in homines. Ergo &c. 72

Resp. neg. ant. 1mo. Licitus est titulus belli; nam cùm bellum det jus interficiendi homines, qui hostes sunt, à fortiori dat jus redigendi captos in servitutem. 2do. Æquus est nativitatis titulus, quando quis nascitur ex matre serva; justa quippe est hæc lex, *Partus sequitur ventrem.* 3tio. Æquus etiam est titulus condemnationis ob delicta, quorum quis reus est. 4to. Denique Justitiæ legibus non repugnat titulus emptionis; nam cùm quisque sui ipsius Dominus sit, potest se alterius obsequio mancipare.

Ob. 4to. contra Conclusionem 2dam. 73
Non licet privare quempiam justa sua possessione. Atqui servus fugiendo privat Dominum justa sua possessione; servus enim ante fugam, justò, ut supponimus, belli titulô possidetur. Ergo.

Resp. dist. maj. Non licet aliquem privare possessione sua absoluta, si nempe res possessa jus non habeat recuperandæ libertatis, conc. Si res possessa jus habeat se in pristinum statum restituendi, neg. maj. &c. Itaque habent Domini jus in servos, ut eos retineant, iisque opportunitatem fugæ eripiant; sed non habent jus, ut servi ea, quæ aliquando se offert, fugiendi occasione non utantur: jus enim Gentium eis concedit, ut libertatem, si possint, ambabus ulnis ample-

(*n*) Addit adhuc S. Thomas 2. 2. q. 73 a. 3. fieri etiam aliquando non debere detractionis condonationem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ne de cætero talia attentet, juxta illud Prov. 26. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.*

amplectantur; adeoque cùm fugiunt, suo, Gentiumque jure utuntur.

74 Ob. 5to. Servus se ipsum suaque debet victori, qui ei vitam reliquit: servitus enim non tam à serviendo, quàm à servando dicta est, ut monet S. Augustinus. Ergo peccat, si fugit.

Resp. Dist. ant. Servus se Domino suo seu Victori debet, ut ei fideliter serviat, quamdiu in manibus ejus est, conc. Ut ibi perpetuò remaneat, neg. ant. & conseq.

75 Ob. 6to. Non magis servus bellô captus fugere potest, quàm è carcere fugere possit malefactor morte vel exiliô damnandus. Atqui posterior fugere non potest absque peccato. Ergo &c.

Resp. 1mo. neg. maj. Longa enim est inter servum bellô captum, & malefactorem disparitas: hic dum plectitur, debitam criminibus suis pœnam recipit; ille verò non ut reus, sed armorum sorte damnatus est servitute omnium minùs ignominiosa: unde non valet illatio à malefactore ad servum, quorum tam diversæ sunt conditiones.

Resp. 2do. Dist. min. Atqui malefactor &c. fugere non potest &c. Si juraverit se non exiturum, conf. Secus, neg. min. Tuentur communiter Theologi reum carcere inclusum, nisi juraverit se non exiturum, fugere posse, etiam post justam Judicis sententiam, qua damnaretur ad mortem; triremes; flagra; carcerem perpetuum, non tamen temporalem. Ratio est 1mo. Quia reus tunc utitur jure sibi ad suam conservationem concesso à natura, cui nulla lex humana præjudicare potest. 2do. Quia nemo tenetur facere aliquid, unde sua mors sequatur; imò debet, quantùm & quamdiu potest vitam suam conservare; ut qui à Judice damnatus est, ut fame pereat, tenetur cibum clàm oblatum sumere, ne se interimat.

Ob. 7mo. contra Conclusionem 3tiam. Ex eo, quòd homo remittere possit restituendæ sibi famæ obligationem, non sequitur, quòd habet ejusdem famæ dominium. Ergo probatio in Conclusione ultimò allata non valet. Prob. ant. Homo, qui passus est mutilationem membri, potest ejus restitutionem condonare. Atqui tamen non inde sequitur, hominem esse Dominum membrorum. Ergo à pari. 76

Resp. ad 1mum. neg. ant. Ad 2dum. dist. maj. Potest condonare restitutionem membri, secundùm quod habet illius dominium, conc. secùs, neg. maj. Homo habet dominium membri duntaxat utile, quatenus ad nutum membrô uti potest; & secundùm hoc potest nullam exigere reparationem: at verò si membrum secundùm se restitui posset, ille, cui membrum abscissum fuisset, non posset restitutionem ejus remittere, quia hoc esset membrum quasi iteratò abscindere, quod omninò non licet, quia nemini concessit Deus dominium in membra sua. Porro non ita est, cùm agitur de fama: hæc enim secundùm se restitui potest, adeoque verè illius Dominus esse debet, qui illius restituendæ obligationem remittit.

Ob. 8vo. Honor pretiosior est vitâ. Ergo si homo non sit vitæ suæ Dominus, à fortiori nullum habet in famam Dominium. 77

Resp. dist. ant. Honor, qui in vera coram Deo justitia positus est, conc. Qui positus est in æstimatione & judicio hominum corrupti hujusce sæculi, neg. ant. Nam 1mo. hanc honoris speciem appetere non licet: *Saniùs videt qui & amorem laudis vitium esse cognoscit*, inquit S. Augustinus, lib. de Civ. Dei cap. 13. 2do. Juxta S. Thomam licet occidere vitæ invasorem, servato moderamine inculpatæ tutelæ: non licet tamen interficere injustum honoris invaso-

rem,

rem, ut definiisse videtur Innocentius XI. proscribens hanc propositionem: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.*

78 Ob. 9no. Bona fama à nobis non pendet, sed ab aliorum hominum opinione, in quam nihil omninò possumus. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Bona fama à nobis pendet casualiter, quatenùs scilicet ea possumus agere, quæ ex se apta sunt ad illam conciliandam, & ad movendum proximum, ut benè de nobis opinetur.

§. II.

79 *De Subjecto Dominii.*

Subjectum dominii est illud omne cui competit habere dominium.

Supremum omnium rerum dominium Deo titulô creationis & conservationis competere certum est: res enim est illius, à quo accipit esse. Hoc Dei dominium dignè explicat Regius Psaltes his verbis: *Domini est terra, & plenitudo ejus.* Hinc summa ea Dei potestas, qua de rebus omnibus disponit ad nutum, juxta illud Job. 9. v. 17. *In turbine conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa.*

Certum item ex dictis præcedentis §. initiô ea ratione homini convenire post Deum hîc in terris rerum dominium, qua ibidem exposuimus.

80 Quæritur ergo hîc 1mo. An peccatores & infideles sint capaces Dominii, Wiclefus namque & Hus id negaverunt, quorum error his verbis conceptus, *Nullus est Dominus civilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali*, proscriptus fuit à Concilio Constantiensi Sess. 8. 2do. An parvuli & amentes sint capaces Dominii. 3tio. An Filii familias habeant in certa quædam bona dominium. 4to. Utrum maritus & uxor habeant dominia distincta. 5to. Utrum servi sint capaces dominii. De Dominio Clericorum sæcularium egimus in Tractatu de Religione cap. 5. De Dominio autem Clericorum Religiosorum abundè tractatum est in Tractatu de Statu Religioso Philosophiæ nostræ præfixo, ubi vide. Cætera, quæ indicavimus, capita singulis conclusionibus prosequemur. Sit igitur

CONCLUSIO. I. 81

Peccatores & infideles sunt capaces Dominii.

Prob. 1mo. ex S. Scriptura. Exod. 9. agnoscitur Pharao Dominus Ægypti, & quidem legitimus: *Posui te regem, ut ostendam in te fortitudinem meam.* Danielis 2. v. 37. dicitur Nabuchodonosori, *Deus cœli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi* 1. Reg. 10. v. 1. Saul ex præcepto Dei à Samuele ungitur in Regem: *Ecce*, inquit ad eum Propheta, *unxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem.* Matth. 22. v. 21. jubet Christus censum dare Cæsari, quem velut Judæorum Principem agnoscit &c. Atqui peccatores & impii erant Pharao, Nabuchodonosor, Saul à Deo reprobatus, Cæsar, & alii id genus, & tamen ii omnes verum in Imperio quisque suo dominium habebant, ita ut v. g. de factô justitiam læsisset, qui Cæsari non reddidisset ea, quæ ipsius erant. Ergo.

Prob. 2do. Ex S. Augustino lib. 5. de Civ. Dei, cap. 21. ubi, *Deus*, inquit, *dat felicitatem in regno cœlorum solis piis; regnum verò terrenum & piis, & impiis, sicut ei placet, cui nihil injustè placet.* Item ex Concilio Constantiensi sa-

prà citato adductam ibidem Wiclefi & Joannis Hus propositionem damnante.

Prob. 3tio. Ratione. Si peccatores & infideles dominium non haberent, tunc maximè ideò, quia fides & gratia essent fundamentum, & radix Dominii. Atqui falsum consequens. Fundamentum enim Dominii manifestum esse debet, ut Dominium probari possit. Atqui fides & gratia non sunt aliquid manifesti. Ergo nec fundamentum & radix Dominii esse possunt, sed Dominium fundatur in successione, donatione, aut similibus manifestis titulis: sicut debita reverentia filii in patrem non in probitate, sed in paternitate fundatur.

Confirm. Si fidei aut Sanctitatis defectus aliquem Dominiô privent, jam licebit resistere Dominis, præsertim discolis, iis poterit tributum negari: quia & eorum bona usurpare licebit, eo prætextu, quòd exciderint à gratia. Atqui hæc expresse tùm à Christo, tùm ab Apostolo, & passim in S. Scriptura sunt prohibita. Ergo.

82 Dices ex Apostolo Rom. 13. vers. 1. *Non est potestas nisi à Deo.* Sed impii non habent potestatem à Deo juxta illud Osee 8. v. 4. ubi *Ipsi regnaverunt*, inquit Deus, *& non ex me.* Ergo.

Resp. dist. min. Non habent potestatem à Deo inspirante & excitante, conc. A Deo permittente, neg min. Deus quidem non promovet impios ad Prælaturas, quia indigni sunt, & prohibet indignos eligere; sed permittit eos eligi, & jam electos functiones sacras obire, sacrificia offerre, & Sacramenta ministrare, quæ quamvis illicitè, validè tamen præstant. Et hoc postulat divinæ providentiæ ordo, ne sub prætextu alieni peccati cuique liberum sit contra Superiores rebellare, res alienas invadere, & omnia miscere.

Ad textum Osee dicimus, quòd ibidem mali dicantur non regnasse ex Deo, non quia non fuerunt Reges legitimi, sed quia non regnaverunt secundùm Dei voluntatem: undè statim additur, *Principes extiterunt, & non cognovi*, id est, *non approbavi.* Adde, quòd Propheta alludere potuerit ad eos, qui ut Amri, & Sellum, tyrannicè regnum invaserunt. Hebraica lectio pro *Regnaverunt*, habet, *Reges faciunt*, id est, *constituunt.* Unde nihil ad rem.

CONCLUSIO II. 83

Parvuli & amentes sunt capaces Dominii.

Prob. 1mo. ex Apostolo Galat. 4. v. 1. ubi *Quanto*, inquit, *tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit Dominus omnium.* Atqui hæres & Dominus sine dominio concipi non possunt. Ergo.

Prob. 2do. Ratione. Tùm quia parvulis & amentibus injuriam facit, qui eorum bona usurpat; tùm quia bona eorum nec sunt Reipublicæ, nec Principis, nec Curatorum, aut Tutorum. Ergo superest ut parvuli ipsi & amentes eorum habeant proprietatem.

Dices: Ad dominium requiritur potestas liberè utendi vel abutendi. Atqui infantes & amentes hanc potestatem non habent.

Resp. Sufficere ad dominium potestatem disponendi de re, sive per se, sive per alium, qui de ea non suo, sed alterius nomine disponat: hoc enim est evidens dominii signum, si alter rem ut tuam tractet, non ut suam; tunc enim supponeris habere dominium, ille verò meram administrationem.

CONCLUSIO. III. 84

Filii-Familias seu non emancipati habent in certa quædam bona dominium, aliquando plenum, aliquando non plenum, aliquando autem solam eorum admini-

ministrationem; scilicet in bona castrensia aut quasi castrensia plenum & perfectum; in bona adventitia proprietatem solam non usumfructum; in profectitia verò nec usumfructum, nec proprietatem, sed solam administrationem.

Ita Jus commune, atque expressè definitum est Inst. lib. 2. tit. 9. & Lege *Cùm oportet*. Cod. *de bonis, quæ liberis*. Ubi derogatur antiquiori juri, atque illius severitas temperatur, quo bona filiorum in plenum pertinebant ad patres.

85 Hîc ergo ad pleniorem positæ Conclusionis intelligentiam notandum duntaxat venit, 1mo. Filium emancipari, cùm paternæ potestati subducitur atque definit esse Filius-familias: unde quamdiu paternæ potestati subest, non emancipatus vocatur, & Filius-familias. Porro duobus modis fit Emancipatio. 1mo. Expressè, cùm coram Judice postulat pater, ut filius extra paternam potestatem ponatur, suorumque jurium Dominus constituatur. 2do. Tacitè, cùm fit vel ratione Dignitatis à filio adeptæ, vel propter lapsum ætatis, scilicet viginti quinque annorum, vel propter matrimonium, saltem jure communiori; nam consuetudines aliquæ filium nobilem minorem viginti quinque annis emancipatum nolunt per matrimonium, nisi emancipatio expressa fuerit.

86 2do. Bona castrensia ea esse, quæ filius-familias in militia vel occasione militiæ acquisivit, qualia sunt stipendia militum, prædæ de hostibus, donativa Ducum aut commilitonum, testamenta & legata occasione militiæ, mobilia à parentibus vel ab aliis data eunti ad militiam intuitu militiæ. Castrense etiam dicitur id omne, quod acquirit filius-familias in obsequio & aula Principis, sive Principis largitione, sive propriâ industriâ; in castelli aut arcis custodia etiam tempore pacis, & quidquid ex iis bonis provenit per contractum legitimum, ut si filiis-familias ex illis emat fundum frugiferum, ludat, negotietur, atque lucretur.

3tio. Bona quasi castrensia sic dicta, quia gaudent privilegiô castrensium, acquiri ratione militiæ sacræ, vel litteratæ. In hoc ordine numerantur ea, quæ à filiis familias post Clericatum acquiruntur, sive ex Beneficio Ecclesiastico, sive aliundè: unde quidquid in aliis filiis adventitium foret, illud post Clericatum quasi castrense est: bona tamen ante Clericatum possessa, post ipsum ejusdem sunt conditionis. Sunt etiam quasi castrensia ea, quæ acquiruntur ratione alicujus officii publici non mechanici, putà Judicis, Assessoris, Notarii, Advocati, Tabellionis, vel ex professione alicujus ex artibus liberalibus, multò magis Theologiæ, Jurisprudentiæ: item quod datur a Rege vel Regina, aut à supremis Principibus.

4to. Bona adventitia esse ea, quæ non proveniunt à patre, neque ejus causâ vel intuitu principaliter dantur filio. Talia sunt ea, quæ filius acquirit vel proprio labore non ex rebus patris; vel successione, vel donatione facta alio intuitu, quàm patris; vel quæ filio casu fortuito obveniunt, ut si inveniat thesaurum; aut quæ ex propria industria comparat, ut si ex pecunia mutuò accepta negotiando lucretur. Bona hæc dicuntur adventitia respectu patris, quia ab eo minimè proveniunt.

5to. Denique Bona profectitia ea esse, quæ filius acquirit, vel ex bonis patris, v. g. ex iis negotiando, aut ea administrando; vel intuitu patris, ut si quis, ob amicitiam aut obsequium patris, filio bona quædam largiatur; secus si hæc daret ob amicitiam filii, putà quia filium patris negotia strenuè gerentem amavit: tunc enim pater esset causa nimis remota, ut bona hæc illius intuitu filio concessa judicarentur.

87 Igitur filius-familias de bonis castrensibus & quasi castrensibus potest pro nutu disponere, ea alienando, donando, &c. Pater verò, si quid ex iis subtrahat, tenetur ad restitutionem.

88 Sed de bonis adventitiis filius, secluso patris consensu, non potest disponere, quia eorum utilitas pertinet ad patrem: Pater verò, si eorum bonorum substantiam dilapidet, tenebitur ad restitutionem per se vel per hæredes suos, quia proprietas eorum penes filium manet: quòd si dilapidatio fructus tantùm concernat, nulla erit restitutionis obligatio.

89 Excipiuntur aliqui casus, in quibus pater bonorum adventitiorum filii non habet usumfructum. 1mo. Si Pater talem usumfructum remittat filio. 2do. Si filio-familias relicta sunt illa bona, hac lege, ut ususfructus non acquiratur patri. 3tio. Si pater cum filio succedat alteri filio in bonis adventitiis; tunc enim pater non acquirit usumfructum in parte, in qua filius succedit, citata lege, *Cùm oportet.* 4to. Quando pater noluit assentiri filio adeunti hæreditatem: quia non est æquum, ut inde pater commodum reportet. 5to. Quando pater incestas nuptias contraxit, si factus fuerit Judæus, vel Hæreticus, qua de re tamen videndæ sunt locorum consuetudines. 6to. Si ususfructus alicujus rei filio relictus fuerit, tunc pater nihil habebit, quia sicut servitus servitutem non habet, sic nec ususfructus alterum usumfructum habere potest.

90 Porro filius, qui præ cæteris fratribus patri inservit, ac rei familiaris curam gerit, pòtest sibi retinere aliquid instar salarii, si sit emancipatus; quia filius emancipatus respectu patris, est veluti persona extranea. Secùs verò si nondum sit emancipatus; quia talis filius debet patri ejusmodi servitia: si tamen protestetur vel expressè, vel tacitè se velle salarium, nec teneatur patrem alere, lucrum expetere potest ex suo labore, maximè si laboret aliis fratribus otiantibus. In qua hypothesi bona, quæ ex ejus labore proveniunt, dici possunt adventitia; quia ea acquirit suâ industriâ, quæ proprium est ipsius bonum.

Cæterùm filius, qui bona patris usurpat & furatur, si notabilem eorum quantitatem usurpet, peccat mortaliter, colligiturque ex c. 20. Prov. ubi habetur: *qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps est homicidæ*, id est, *nihil differt à latrone*: imò graviùs peccat, si à parentibus indigentibus subripiat: quia non solùm violat justitiam, sed etiam pietatem, ex qua parentibus indigentibus subvenire tenetur. 91

Qualis verò quantitas requiratur, ut filius hujusmodi bonorum patris usurpatione & furtô mortaliter peccare censeatur, id prudentis Confessarii est judicare. Habebit autem rationem statûs & conditionis personarum; nam si filius subtrahit patri prædiviti, non statim damnandus est peccati mortalis, sicut damnandus esset, si res paterna esset angusta. Porro conveniunt omnes Theologi, majorem quantitatem requiri ad furtum mortale filii, quàm extranei; sive quia pater non est ita invitus, ac si extraneus acciperet: sive quia sæpè non tam invitus est ratione rei acceptæ, quàm modi accipiendi, aut finis, ad quem accipitur, nempe ad ludum & compotationes.

Filium etiam à bonorum fortunæ restitutione Theologi communiter eximunt 1mo. Si constet cæteros tantundem expendisse. 2do. Si fratres posteà sibi invicem remittant. 3tio. Si tacitè, vel expressè pater ipse remittat, ut ferè remittit, cùm in ejus notitiam veniunt filii libidines. Sed notandum, aliud esse, remisit pater, si postulasset filius; aliud, remisisset: primum non absolvit filium, quia pater re vera non remisit.

CON-

92 CONCLUSIO IV.

Uxor jure communi habet proprietatem & administrationem bonorum paraphernalium: In dotem verò proprietatem seu dominium directum duntaxat; maritus verò administrationem & usumfructum.

Prima pars habetur Cod. *de pactis conventis.* Sed in hoc servanda est consuetudo locorum. Bona paraphernalia, sunt bona extra dotem; ut si uxor in contractu matrimoni sibi quædam reservavit, non solùm quoad dominium, sed etiam quoad usumfructum & administrationem. Paraphernalia etiam dicuntur, quæ uxor contractô matrimoniô acquisivit, sive donatione, sive legato, sive alia ratione.

Prob. 2da. pars, quia matrimonii contractus est quædam species societatis. Atqui in societate singuli habent proprietatem eorum bonorum, quæ contulerunt. Ex quo sequitur maritum peccare contra justitiam, & teneri ad restitutionem, si dilapidet dotem uxoris, eâ invitâ, aut ad consentiendum coactâ.

3tia. pars constat ex lege 7. ff. *Dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas suggerit.* Cùm enim ipse onera matrimonii subeat, æquum est, eum etiam fructus percipere.

93 Ex his habetur 1mo. Etsi inter maritum & uxorem qua tales non possit esse justitia, prout jam suprà cap. 1. §. 3. dictum est; quia sic sunt una caro & unum veluti totum, cujus vir est caput, & uxor corpus; adeò ut viri sit regere familiam, uxoris verò subjacere viro, eique obsequi, quemadmodum membra subserviunt capiti, atque sub hac ratione vir & uxor non sint satis distincti, ut inter eos justitia intercedere possit; attamen inter eos justitiam intercedere posse, si considerentur, ut personæ distinctæ, quia sic habent jura distincta, putà in propriam vitam, membra, & famam, quia & per contractum matrimonii alter acquisivit potestatem in corpus alterius; undè maritus injustus est, si uxorem occidat, mutilet, infamet, si adulterium committat, aut neget debitum conjugale: similiter & uxor.

2do. Habetur, uxorem peccare contra justitiam, & esse furti ream, si aliquid subripiat ex bonis communibus, sive etiam ex dote, insciô, aut invitô maritô; quia etsi dotis proprietatem habeat, facit tamen contra jus mariti, ad quem administratio, & ususfructus pertinet. 94

3tio. Si eadem bona consumat in ludo, ornamentis superfluis, & nimis pretiosis, marito non consentiente, nisi quia aliter non posset obtinere pacem in familia, quomodò mutuo accipiens consentit in usuras, ne repulsam ab usurario patiatur.

4to. Maritum dilapidantem bona communitatis, illæsa dote, & servatis bonis paraphernalibus, licèt peccet graviter, tamen injustum non esse, nec ad restitutionem teneri, quia ex dictis est dominus illorum bonorum.

Nota tamen, sæpè à furto excusari uxorem, quæ, insciô maritô, disponit de bonis communitatis, 1mo. Si capiat, ut faciat eleemosynas & donationes communes, quas fœminæ paris conditionis facere solent; quia his maritus consentire censetur, vel saltem non est rationabiliter invitus. Dicimus *communes*; nam excessum damnat S. Augustinus Ep. 199. relatâ cap. *Quod Deo.* Caus. 33. q. 5. his verbis: *Nihil ergo de tua veste, nihil de tuo auro vel argento, vel quacumque pecunia aut rebus terrenis tuis sine arbitrio ejus* (viri) *facere debuisti.* 2do. Si quid capiat ad vitandum damnum mariti; quia tunc mariti negotium utiliter gerit. 3tio. Si maritus amens sit, & curatorem non habeat; tunc enim administratio bonorum uxori competit. 95

4to. Si

4to. Si maritus sit prodigus, potest uxor abscondere, quod sibi familiæque est necessarium. 5to. Cùm maritus est absens, nec cuiquam reliquit administrationem familiæ, potest uxor re domestica uti, sicut maritus uteretur. 6to. Potest mulier è bonis communibus aut è sua dote subtrahere quod det pauperibus parentibus, aut filiis ex alio matrimonio natis, quia jure naturæ debet iis succurrere, si potest, & illi jus habent ad petendum ab ea alimentum. Tenetur tamen uxor ea, quæ sic dedit in suam partem referre, cùm ad partitionem cum hæredibus mariti venitur.

96 CONCLUSIO V.

Servi seu mancipia, etsi in propriam vitam & membra dominium non habeant, utpotè qui, quidquid sunt, Domini sint, unde potest Dominus illos vendere, donare, & iis uti, ut libet, ad propria commoda; tamen sunt Dominii alicujus capaces, ac proinde Domini possunt in eos esse injusti. Nam 1mo. Servus est Dominus propriæ famæ. 2do. Bonorum spiritualium, qualia sunt gratia, fides; & sic injustè ageret Dominus, si servum ad peccatum cogeret. 3to. Dominus est eorum bonorum 1mo. quæ Dominus ei concessit. 2do. eorum, quæ ei data sunt ea conditione, ut non acquirantur Domino. 3to. eorum, quæ servo restituuntur pro injuria ei illata in illis, quæ non subjacent Domini potestati, ut in fama. 4to. eorum, quæ servus de bonis suis ludô, aut aliqua negotiatione sine præjudicio Domini acquisivit.

§. III.

97 *De variis modis acquirendi Dominium.*

Bona quæ à nobis comparantur, multiplicis generis esse dignoscuntur: enimverò quædam sunt, quæ nunquam Dominum aliquem habuêre, aut saltem nunquam habuisse censentur, ut feræ complures, Insulæ hactenùs inhabitatæ, metalla, gemmæ, &c. Quædam verò sunt, quæ Dominum habuerunt, vel jam pridem, ut thesauri; vel non ita pridem, ut bona defectu hæredum & testamenti vacantia; item bona derelicta vel nuper amissa. Demùm quædam habent Dominum, & nihilominùs absque ejus consensu in alterum transferuntur.

Bona quæ nullius fuerunt, dicuntur occupari: quæ jam pridem possessore carent, aut nuper amissa sunt, dicuntur inveniri: quæ verò sine Domini consensu ad alium deveniunt, dicuntur præscribi. De his atque aliis quibusdam Dominii acquirendi modis singulis titulis hîc agere animus est.

I.

De occupatione animalium, gemmarum, venarum auri & argenti, thesauri, de pascuis & sylvis. 98

Animalium seu Bestiarum aliæ naturâ suâ feræ sunt, ut Cervi, Lepores; aliæ cicures, ut Oves, Gallinæ; aliæ ex feris cicures fiunt, ut Cervi; aliæ verò ex cicuribus feræ evadunt, ut quandoque Capræ. His præsuppositis, circa animalium occupationem, cujus præcipua species est venatio, varia quæri solent, 1mo. An liceat occupare bestias naturaliter mansuetas & cicures, cùm effugerint? 2do. An feræ à nullo apprehensæ, sint primi occupantis? 3tio. An ii peccent, qui venantur, cùm venatio prohibita est ratione utilitatis, atque ad restitutionem teneantur? 4to. An ii quoque peccent, & ad restitutionem teneantur, qui in alterius fundo muris aut sepe circumcluso venantur? 5to. An etiam illi, qui invitô Dominô venationis jus habente, in ejus loco licet haud circumcluso venantur. 6to. Cu-

6to. Cujus sit fera ab uno vulnerata, & ab alio capta. 7mo. Quibus potissimùm personis venatio sit interdicta. 8vo. denique Quibus diebus sit prohibita. Ad quæ singula breviter respondemus, & quidem

99 Ad 1mum. Quæque animalia naturaliter mansueta & domestica, etiamsi Dominorum potestatem longius evaserint, occupari ab alio non possunt. Ita habetur Inst. lib. 2. *De rer. divis.* tit. 1. § *Gallinarum* 16. ubi dicitur furtum committere, qui hæc animalia detinet, cùm effugiunt, adeoque ad restitutionem teneri. Idem sentiendum de animalibus cicuratis, quamdiu præsumuntur reversura; secùs, si censentur recepisse priorem libertatem, nec ampliùs esse in prioris Domini potestate. Porro libertatem recepisse censentur, si non impeditæ consuetis horis domum redire non soleant; quamvis facilè judicari non possit, quandonam animalia revertendi animum exuerint: unde hoc viri prudentis arbitriò definiri debet. Columbæ, quæ tribus aut quatuor diebus continuis ad columbarium non revertuntur, videntur amisisse revertendi animum; secùs dicendum de cervis, capreolis, apris, &c. qui etsi per dies aliquot juxta domum vagentùr, & spontè non redeant, facilè se reduci permittunt.

100 Ex his sequitur 1mo. Eos ad restitutionem teneri, qui horum animalium domesticorum, ut etiam cicuratorum, quæ revertendi animum nondum exuerunt, lanam, plumas, ova, sibi appropriare voluerint. 2do. eos, qui in columbario ponunt illebrebras, ut aliorum columbas retineant, etiam teneri ad restitutionem; secùs verò si duntaxat melius pabulum columbis suis præbeant, aut columbarium in loco commodiori ædificent. 3tio. peccare rusticos etiam pauperes, qui sementis tempore columbas agros depascentes occidunt; unde potiùs eas includere, si capi possint, vel earum Dominum urgere, ut damnum ab iis illatum reparet; eadem est ratio de cuniculis. Ratio est, quia, cùm columbaria & vivaria cunicularia ob publicam Reipublicæ utilitatem jure Romano & communi licitum sit omnibus habere, rerum ordo & æquitas postulat, ut privati ex eis aliquid damni patiantur propter bonum publicum: hujusmodi enim onera censentur à Republica imposita; præsertim cùm columbæ notabile damnum non pariant, sed non vulgarem etiam afferant utilitatem; utpotè quæ vescantur non tantùm bonis, sed etiam malis seminibus, quæ sata suffocarent, ut loliô, melanthiô, &c.

Ad 2dum. Feræ à nullo apprehensæ, sunt primi occupantis, nisi lex peculiaris, aut loci consuetudo obstet; quia, ut ait Justinianus Inst. lib. 2. suprà cit. num. 12. *quod nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur.* Diximus, *nisi lex peculiaris, aut loci consuetudo obstet;* nam aliquando leges prohibent in flumine publico piscari, & in agris venari, aut aucupari. Eadem est ratio de animalibus feris, quæ naturalem libertatem recuperaverunt: eam autem recuperasse censentur, quando difficilis est eorum prosecutio, sicut anteà erat, priusquàm prima vice occuparentur. Ita Justinianus loc cit. 101

Ad 3tium. Peccant, qui venantur, cùm venatio prohibita est ratione utilitatis. Quia licitum non est communi bono nocere. Tenentur iidem ad restituendum, si damnum, quod inferunt Reipublicæ, ejusdem judiciô magnum & grave sit: nam Respublica non censetur consentire in id, quod magnum sibi præjudicium affert. 102

Ad 4tum. Qui in alterius fundo muris, aut sepe circumcluso venantur, peccant, & tenentur ad restitutionem animalium, quæ ibidem capiunt. Ratio est, quia Dominus fundi verè Dominus est hujus- 103

hujusmodi animalium, quæ, cùm vult, facilè apprehendere poteſt, quæque naturalem libertatem re ipſa amiſerunt. Hinc piſcari in alieno ſtagno, vivario, & quolibet loco clauſo, furtum eſt.

104 Ad 5tum. Peccat qui invitô Dominô venationis jus habente, in ejus loco non circumcluſo venatur; non tamen tenetur ad ferarum reſtitutionem.

Ratio 1mi: eſt 1mo. Quia alteri rationabiliter invito facit injuriam. 2do. Quia peccat, qui ſe gravi pœnæ exponit; quam in hujusmodi venatores, germanicè Wild-Schützen, decernunt Principes, & Domini jus venationis habentes. Ratio 2di. autem eſt, quòd animalia, quæ ex uno fundo & loco in alium quotidie tranſmigrant, ut ſunt feræ ſylvaticæ, in ſua naturali libertate conſtitutæ, re ipſa nullius Dominii ſint, nec ſint fructus ſylvarum aut agrorum, adeoque ſint primi occupantis. Excipiuntur tamen columbæ, cuniculi, phaſiani, & alia id genus, quæ & magis impenſis aluntur, & non magis à dumetis ſuis diſcedunt, quàm columbæ à columbario: hujusmodi enim ferarum venatores fures eſſe, & alienæ rei invaſores, adeoque ad reſtituendum obligati cenſentur.

105 Ad 6tum. Feram ab uno vulneratam, & ab alio captam capientis eſſe ait Juſtinianus: verùm hæc deciſio nullibi, quantùm ſcimus, viget, ſed ubique fera cenſetur ejus eſſe, qui eam vulneravit, & perſequitur; quia tunc cenſetur eſſe moraliter apprehenſa: unde qui feram in proprio fundo vulneravit, eam poteſt in alieno inſequi, donec vel capta ſit, vel omninò evaſerit. Cæterùm fera laqueô capta, ejus eſt, qui laqueum inſtruxit, non ejus, qui feram deprehendit in laqueo. Item fera, quam proſequor, ſi fortè in laqueum tuum inciderit, non deſinet eſſe mea, ſi aliter hanc occupaturus eram; quod ex inflicto ei vulnere dijudicari poteſt: ſi verò occupaturus non eram, tua erit. In dubio melior eſt conditio poſſidentis, ſeu primò occupantis, juxta multos; juxta alios, tutius eſt cum altero dividere, quod tam alterius eſt, quàm tuum.

Ad 7mum. Jure communi Venatio, 106 quæ fit cum ſtrepitu canum, armorum, & vocum, Clericis & Monachis eſt interdicta: ut patet ex cap. 2. (*o*) *De Clerico Venatore*, quod ſumptum eſt ex Concilio Aurelianenſi IV. cujus hæc ſunt verba: *Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum, canes aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet: quòd ſi quis talium perſonarum in hac voluptate ſæpiùs detentus fuerit, ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus; ſi Presbyter duobus; ſi Diaconus ab omni officio ſuſpendatur.* Item ibid. cap. 1. hæc habet Nicolaus Papa (*p*): *Quorumdam relatione fidelium noſtris auribus intimatum eſt, quod Landfredus Epiſcopus, qui & juvenis eſſe dicitur, venationi ſit deditus: quod vitium plurimos etiam de Clericali catalogo, genere duntaxat Germanos, & Gallos irreverenter implicat. Verùm iſte, ſi ita eſt, ut audivimus, meritò juvenis dicitur, qui juvenilibus deſideriis occupatus, nulla gravitate conſtringitur. Nam ut beatus Hieronymus dicit ad cap. 5. Michea, & in Pſal. 90. Venatorem nunquam legimus ſanctum. . . . Oportet ergo fraternitatem tuam Synodale cum Epiſcopis, & Suffraganeis tuis convocare Concilium, & hunc ſalutaribus eloquiis Epiſcopum convenire, atque illi paſtorali auctoritate præcipere, quatenùs ab omnium beſtiarum vel volucrum venatione penitùs alienus exiſtat . . . Quòd ſi parere contempſerit, & . . . vobis admo-*

(*o*) Diſtinct. 34.
(*p*) Ep. ad Albinum Archiepiſcopum.

monentibus obedire distulerit, à vestro collegio excommunicatus abscedat &c.

107 Innocentius III. (*q*) *Venationem*, inquit, *& aucupationem universis Clericis interdicimus; undè nec canes, nec aves habere præsumant.*

108 S. Hieronymus relatus Dist. 86. cap. *Esau*, 12. in Psal 90. *Esau*, inquit, *venator erat, quoniam peccator erat. Et penitùs non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem.*

109 Concilium Moguntiacum an. 813. celebratum canone 14. qui refertur c. 1. (*r*). *Ne Clerici vel Monachi &c. Ministri altaris Domini, vel Monachi, nobis placuit, ut à negotiis sæcularibus omninò abstineant . . . . Canes & aves sequi ad venandum, in omnibus quibuslibet sit causis superfluum esse. Ecce talia & his similia ministris Altaris Domini; necnon & Monachis omninò contradicimus: de quibus dicit Apostolus: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

110 Concilium Nannetense an. 1264. celebratum, *Quia nullum*, inquit, *venatorem invenimus sanctum, præcipimus, ut Prælati solliciti sint & intenti in puniendo Clericos venatores, & præcipuè Presbyteros, & Religiosos, de quibus majus scandalum generatur.*

111 Concilium item Trecense (*s*) jam anteà Templi militibus seu Templariis, eò quòd Religiosi essent, interdixerat, *ne in bosco cum arcu aut balista jaculari auderent, & ne cum illo, qui hoc fecisset pergerent.* Quantò magis id censeri debet prohibitum Clericis, qui armorum usum & consuetudinem, ut Templarii, non habent.

112 Concilium Viennense an. 1311. sub Clemente V. celebratum speciali constitutione quæ refertur Clementinarum lib. 3. tit. 10. cap. 1. §. *Porro.* specialiter Monachis Benedictinis, seu, ut tunc vocabantur, Nigris sub pœna suspensionis omnem venationem prohibet his verbis: *Ne in agro Dominico, sacra videlicet Monachorum nigrorum religione indecorum aliquid obrepat, aut vitiosum quicquam perniciosè in segetem coalescat . . . à venationibus & aucupationibus omnes semper abstineant, nec eis interesse, aut canes, vel aves venaticas, per se, vel per alios tenere præsumant, nec à familiaribus secum morantibus teneri permittant, nisi saltus, vivaria, vel garenas* (*t*) *proprias, vel jus venandi in alienis haberent, ... quo casu eis permittitur: dum tamen intra Monasteria seu domos, quas inhabitant, aut eorum clausuras, venaticos canes non teneant, nec venationi præsentiam exhibeant personalem.*

Concilium Ravennatense IV. an. 1317. 113 Rubricâ 17. sic loquitur: *Licet ex dictis Sanctorum & ex Scriptis Conciliorum omnibus servis Dei venationes cum canibus & avibus sint interdictæ: nonnulli tamen Religiosi, sicut fide dignorum relatione accepimus, hoc minùs pensantes, honestatis laxatis habenis, monachali modestiâ prorsùs abjectâ, monasterii claustrum abhorrentes; sine quo Monachus vitâ carere describitur, sicut pisces vitâ carent sine aqua; more laicorum ipsis intendunt, in gravem Religionis offensam, opprobrium & scandalum plurimorum. Volentes igitur prædictorum statui periculoso & detestabili salubriter occurrere, hoc sacro approbante Concilio, districtiùs inhibemus Religiosis omnibus, cujuscumque status, conditionis, religionis, vel ordinationis existant, ne de ceterò venari, seu ad venandum exire præsumant. Si quidem Abbates,*

Qqq 2

(*q*) In Concilio Oecumenico Lateranensi IV. an. 1215. celebrato Can. 15.
(*r*) Lib. 3. Decret. Greg. Tit 50.
(*s*) Annô 1128.
(*t*) *Garenæ* idem ac vivarium conicularium.

bates, Priores, vel Præpositi, seu alias administrationes habentes fuerint, per annum ipso facto sint suspensi ab omni administratione, donec ad mandatum Ordinarii plenè satisfecerint. Inferiores verò sint ineligibiles, & ultimi semper in choro habeantur; donec ad mandatum Abbatis, Prioris, vel Præpositi, sufficienter pænitentiam egerint de commissis.

114 Concilium Aquileiense an. 1596. Can. 11. de vita & honestate Clericorum: *Dicit Canon*, inquit, *Esau venator erat, quia peccator erat: quàm verò modestiâ clericali indignum, qui paulò ante Breviarium manibus tractabat, & sacræ lectionis studio intendebat . . . . eum inter canum latratus & multitudinem versari, & incomptis obstrepere vocibus; sacri Canones declarant, omnes verò facilè intelligunt. Consequitur autem, ut panis, qui miserorum pauperum victui sufficeret, panis, inquam, de reditibus Ecclesiasticis collectus, quod est patrimonium Christi, ad bestiarum cibum indignè transferatur: cujus criminis ratio districtè in die Domini reddetur. Quod ut longè à Clericorum vita & honestate removeamus, omnibus Clericis cujuscumque conditionis & gradus sint, venatorium studium interdicimus, & districtè prohibemus: ac in eos graviùs per illorum Ordinarios procedendum statuimus: ac si contumacia fuerit obstinatior, & inhibitionis mollioris ratio contemptui esse cœperit, graviori etiam animadversione prospiciendum mandamus.*

115 Neque hìc prætermittendum est Concilium Germancium auctoritate S. Bonifacii celebratum an. 742. *Venationes*, inquit Can. 2. *& sylvaticas vagationes cum canibus omnibus servis Dei interdicimus, &c.*

116 Denique ut complura alia tùm Conciliorum tùm Summorum Pontificum decreta prætermittamus, Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. cap. 12. *Ab illicitis venationibus*, inquit, *abstineant Clerici.* scilicet a clamosis illis venationibus, quæ cum strepitu canum & armorum fiunt, atque toties repetitis sacrorum Conciliorum & Summorum Pontificum decretis tam severè prohibitæ sunt.

Prob. etiam rationibus Theologicis, 117 ex adductis SS. Conciliorum & Summorum Pontificum decretis præcipuè depromptis. 1mo. Quia hæc venatio multùm abstrahit ab officiis divinis, tempus optimum & curas tribuit insectandis, & capiendis feris; cùm è contrà Clericorum, præcipuè Religiosorum, munus unicum sit, ut omne tempus & curas suas in id duntaxat impendant, quo tùm propriam tùm proximi salutem promoveant. 2do. Quia hujusmodi venatio dedecet gravitatem ac modestiam Clericorum, atque scandalo occasionem præbeat. 3tio. Quia præsefert feritatem aliquam & crudelitatem, necnon belli speciem mansuetudini & quieti Clericalem statum præprimis decenti minùs convenientem. 4to. Quantùm ad Religiosos: quia cùm Religiosus, per tria solemnia vota, Religionisque suæ professionem, se Religioni & Dei obsequio totum mancipaverit, alia opera exercere nequit, quàm ea, quæ sacra, quam professus est, Religio ab ipso exigit, quæ profectè longè alia sunt, quàm feras venatione clamosâ persequi, & venari. 5to. Quia si Clericus sæcularis, qui adhuc in mundo vivit, nec statum pœnitentiæ arripuit, nihilominùs ab illicitis venationibus, prout præcipit Concilium Tridentinum, abstinere debet, quantò magis ab iisdem se continere debebit Religiosus, qui sæculum penitùs reliquit, statui pœnitentiæ se mancipavit, ac totum se divinis obsequiis consecravit. 6to. Denique, quia Religiosus sub gravi mortalique peccato tenetur tendere ad perfectionem: at ubi inveniemus Monachum venationi deditum, qui non magis sollicitus sit, quomodò capere feras possit, quàm apprehendere virtutes, & eradicare vitia; imò

verò

verò dum totam diem, imo plures feris capiendis & trucidandis impendit, ne aut ne vix quidem momentum piis exercitiis ac animæ suæ saluti concedit. Meritò sane post S. Hieronymum inquiunt Summi Pontifices, *Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitùs non invenimus sanctum aliquem venatorem.*

Mittimus hîc alias contra hujusmodi clamosam & frequentem venationem afferre rationes, quas quisque, qui judiciô utitur, facilè apprehendere potest, quas-
118 que docet experientia.

Equidem, si ad ea, quæ hodiedum contra allatos Ecclesiæ Canones & Decreta, passim à Clericis tam sæcularibus, quàm Religiosis factitantur, tantisper animum advertere quis velit, dubitare posse videtur, num Doctrina modò tradita teneat; ut quæ Canonibus fulta sit, qui, propter plerorumque Ecclesiasticorum, sivæ sæcularium sive regularium etiam Episcoporum & Prælatorum praxim & usum iisdem è diametro contrariam, haud ampliùs vigere vi-
119 deantur.

Verùm dubium istud ultrò solvi videtur: 1mo. Quia Doctrina, quæ Clericis venationem prohibet, ab omnibus Theologis & ubique adhuc traditur, nec vel unus invenietur, qui eidem contradicat, quamvis eam, prout insinuabimus, paululum emollire aliqui videantur. 2do. Quia rationes, quæ Patres impulêre, ut venationem Clericis interdicerent, etiamnum hodie adhuc subsistunt. Et verò an nunc Clericos præsertim Religiosos minùs decet gravitas, modestia, mansuetudo, tranquillitas? an minùs nunc obsequio divino adstringuntur? an minùs propriæ & proximi saluti prospicere & incumbere tenentur? verbo, an nunc minùs sunt Clerici & Religiosi, quàm prioribus illis, quibus hæc contra Venatores Clericos lata sunt decreta & Leges, temporibus? apagè ineptias. 3tio. Quia, licèt à multis Clericis laudati Canones de facto & in praxi non serventur, sed eis contraveniatur, non tamen sequitur eos esse abrogatos, nec ampliùs vigere: nisi simul dicere quis malit, multos alios Canones non modò Ecclesiæ disciplinam, sed & mores fidemque ipsam spectantes etiam abrogatos esse, necnon in desuetudinem abiisse, eò quòd etiam à multis haud serventur; quod dicere quàm absurdum sit, ne quid ampliùs dicamus, nemonon videt. Ergo Canones isti, quibus Clericis venatio interdicitur hodie adhuc vigent, & abolita esse minimè dici possunt, præsertim, cum jure novo Concilii Tridentini suprà citati confirmata esse perhibeantur. Sola ergo temporum iniquitas, Ecclesiasticorum licentia, &c. illorum observationem improbè negligit, & detrectat; Superiorum verò ignavia, ne quid ultrà addamus, illos urgere non finit. 4to. Quia etsi dubium foret, cùm Canones illi adhuc vigeant, tamen eos servare tenerentur Clerici. In dubio enim, prout in Tract. de Act. Hum. c. 4. §. 3. ostendimus, lex est servanda, juxta illud effatum: *In dubio melior est conditio possidentis:* Lex autem præsumenda est possidere, quando non probatur eam fuisse abrogatam.

Porrò tenent communiter Theologi 120
memoratos Canones, quibus Clericis venatio interdicitur, obligare sub mortali; quia, inquiunt, gravitas peccati colligitur tùm ex gràvitate pœnæ, quam lex imponit, aut minatur, aliàs esset injusta; tùm ex modo, quo præcepti executionem urget Legislator. Atqui citati Canones gravem minantur pœnam & censuram, illiusque præcepti executionem omnibus modis urgent, ut eos legenti patet, &c.

Notandum tamen 1mo. Pœnam illam seu Censuram non esse latæ sententiæ sed ferendæ duntaxat. 2do. Non esse ulli infligendam, nisi frequentiùs hac voluptate deti-

detineatur. 3tio. Citatos Canones de venatione clamosa loqui : conveniunt enim omnes cum S. Raymundo, non prohiberi Clericis ponere laqueum vel rete in silentio, dummodo tamen divinum officium, Scripturæ sacræ lectio, Theologiæ studium, infirmorum visitatio, pia exercitia quotidiana, &c. non negligantur. 4to. Quietam venationem passim etiam à Doctoribus permitti Clericis, nec obscurè indulgere Tridentinum loc. cit. ubi non omnes, sed tantùm *illicitas* statumqueClericalem dedecentes venationes & aucupia prohibet: quamvis in quo hujusmodi quieta venatio consistat, non exprimant, nec dicant an sclepetô, ut ajunt, ea exerceri possit. 5to. Denique ajunt quidam non exiguæ notæ Theologi, quòd consuetudo Venationem etiam clamosam, si non sit nimis frequens, careat scandalô, & fiat sine magno dispendio temporis ad Officium cultumque divinum ordinati, & pro recreatione, excuset saltem à peccato mortali : cùm Venatio etiam clamosa, de se & ex natura sua non sit mala, sed indifferens.

121 Ad 8vum. Denique Respondemus. Venationem quamcumque prohiberi 1mo. diebus jejuniorum cap. *Anputatis.* Dist. 86. *An putatis*, inquit S. Ambrosius, *illum jejunare, fratres, qui primò diluculô non ad Ecclesiam vigilat, non beatorum Martyrum sancta loca perquirit, sed surgens congregat servulos: disponit retia: canes producit: saltus, sylvasque perlustrat: servulos, inquam, secum pertrahit fortasse magis ad Ecclesiam festinantes; & voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto; quàm de perditione servorum.* Et cap. *Quid prodest*, ex eodem S. Ambrosio, *Quid prodest jejunare visceribus, & luxuriari venatibus; abstinere à cibis, & errare peccatis.* 2do. Prohibetur etiam diebus festis, colligiturque ex cap. *Licet*, tit. *de feriis*, ubi *Indulgemus*, ait Alexander III. Archiepiscopo Triburiensi, *ut liceat parochianis vestris diebus Dominicis, & aliis festis (præterquam in majoribus anni solemnitatibus) si balecia terræ se inclinaverint, eorum captioni ingruente necessitate intendere, ita quòd post factam capturam Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem.* Ergo ex his Canonibus habemus, venationem non convenire sanctificationi diei festi, & pœnitentiæ, quæ observari debet diebus jejuniorum, adeoque prohibitam esse. Adde quòd plures graves Theologi censeant venationem per se esse opus servile.

Quod occupationem gemmarum, venarum auri & argenti spectat dicimus, Lapillos & gemmas, & cætera, quæ in littore maris inveniuntur, jure naturali & gentium fieri inventoris. Ita Justinianus lib. 2. tit. 1. §. 18. Idem dicendum venit de venis auri & argenti, etiamsi in alieno agro reperiantur; quia æquum non est res pretiosas accedere fundo vilissimo. §. *littera.* Inst. *De rerum divisione.* Jure tamen civili in variis locis venæ auri & argenti in fundo privatorum repertæ, sunt partim Principis, partim inventoris. Possunt autem Principes ob bonum commune sibi jus hæc metalla effodiendi vindicare, & concedere privatis jus ea inquirendi ubilibet etiam in agris alienis, & eruta fisco applicandi ad sustinenda onera Reipublicæ compensato solo damno, quod loco infertur. Hæcque de omnibus metallis etiam sunt intelligenda. 122

Thesaurus autem jure naturali & gentium totus est inventoris : nam quæ nullius sunt, fiunt jure naturali & gentium primi occupantis. Thesaurus autem nullum habet dominum, nam leg. *Nunquam* 31. ff. *De acquirendo rerum dominio*, definitur, *Vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat.* Ubi per pecuniam intelliguntur quævis opes mobiles, ut vasa, gemmæ, annuli, catenæ aureæ, &c. Dicitur autè *vetus depositio*; nam si non sit vetus, non censetur 123

ſetur theſaurus, ſed res inventa, quæ, ut mox dicemus, Domino, &, in ejus defectum, illius hæredibus, reſtitui debet, qui ſi cognoſci nequeant, impendi debet in uſus pios, quia ſunt bona incerta.

124 Jure tamen civili communi obligante in conſcientia hæc ſtatuta ſunt de theſauro. 1mo. Theſaurus eſt totus illius, qui eum in proprio ſundo reperit. *Inſt. de Rer. Dom.* Si tamen arte magica ibi inventus ſit, totus pertinet ad fiſcum, ſaltem poſt ſententiam Judicis. 2do. Qui fortuitò theſaurum in fundo alieno reperit, ſit Dominus dimidii, alterum verò dimidium tenetur ante ſententiam Judicis tradere Domino ſpeciali fundi, ſive ſit Princeps ſive privatus, ex *Inſt. de rer. diviſ.* quæ diſpoſitio non eſt pœnalis, ſed definitiva proprietatis rerum. 3tio. Theſaurus de induſtria quæſitus in fundo alieno ſine conſenſu Domini totus eſt Domini *leg. Unicâ Cod. de theſauris.* Varii tamen putant inventorem non teneri, ante ſententiam Judicis, tradere niſi dimidium, ob hæc verba Legis ex ea parte pœnali: *totum locorum Domino reddere compellatur.* 4to. Si theſaurus inveniatur in platea, foro, vel via publica juxta multos dividi debet cum fiſco, juxta alios totus eſt inventoris. 5to. Qui emit agrum, in quo eſt theſaurus reconditus, ſi ante emptionem invenit theſaurum, putà fodiendo, media ejus pars pertinet ad Dominum fundi; quia theſaurus inventus eſt in fundo alieno: ſi autem ſcivit, ſed nondum effodit, quando emit, multi exiſtimant, quòd talis acquirat dominium totius theſauri; quia re vera in proprio fundo invenit theſaurum. Et hoc ipſum Chriſtum innuiſſe dicunt Matth. 13. his verbis: *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo, præ gaudio vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum illum.* Item quia pretium agri & rei cujuslibet non præcisè ex majori ejus utilitate, ſed ex communi hominum æſtimatione ſumi debet. Sed qui emit agrum, de quo nunc agitur, ſupponitur pretium ejus ſecundùm communem hominum æſtimationem ſolvere. Alii tamen id negant. 6to. Sarcinator, qui in veteri ad alium pertinente veſte gemmas invenit, ſuppoſitô, quòd ille, ad quem veſtis pertinet, ignoret hujus theſauri originem, mediam illius partem retinere ſibi poteſt; quia nihil refert, an theſaurus in terra lateat, an in re mobili; quandiu enim latet nullius eſt.

Atque hæc de theſauris dicta ſunt ſecundùm jus commune; cùm enim theſauri propriè nullius ſint, poſſunt per aliquam legem particularem Principi aut Reipublicæ appropriari. In his ergo ſicut & in aliis ſpectandæ ſunt ſpeciales locorum leges, vel conſuetudines, & ſervandæ.

Circa paſtionem attendendum eſt, quid 125 ferat conſuetudo cujusque regionis; nam alicubi, niſi ager ſit circumſeptus, Dominus non poteſt prohibere paſtionem poſt primam herbam ſublatam, aut ſegetes collectas. Nihilominùs Reſpublica ſive Princeps poteſt prohibere paſtionem & lignationem in paſcuis & ſylvis ad Urbem, communitatem, aut Rempublicam pertinentibus; quia id aliquando expedit bono publico. Notant quidam Theologi, tùm non eſſe obligationem reſtituendi, cùm urbs aut pagus, cujus ſunt paſcua, non ſolet exigere damni reparationem, ſed ei ſatisfit, ſi comprehenſi mulctam luant.

Pauperes verò, qui ligna cædunt in ſyl- 126 vis privatorum, ſi domini conſentiant, non peccant, nec ad reſtitutionem tenentur, cùm eis volentibus non fiat injuria. Sed ſi eis invitis cædant, tunc peccant, & ad reſtitutionem tenentur, quia auferunt alienum invitô Dominô. Excipe, niſi ſint in extrema neceſſitate, tunc enim omnia ſunt communia, adeoque nec peccant, nec ad reſtitutionem tenentur.

Adver-

127 Advertendum etiam, eos, qui possident sylvas, prohibere aliquando, ne pauperes colligant ligna inutilia, non quòd velint ea sibi retinere; sed quia timent, ne colligentes damnum inferant sylvis, & cædant ligna utilia, in quo casu pauper, qui talia inutilia ligna in sylva sine damno Domini proprietarii colligeret, ad restitutionem non teneretur.

II.

128 *De rebus inventis.*

Agitur hîc de bonis seu rebus nuper amissis, quorum Dominus ignoratur. Qua de re dicimus 1mò. Res inventa non transit in dominium inventoris, quando Dominus inveniri potest; imò hujusmodi res inventa non est inventoris, etsi Dominus inveniri non possit; sed impendenda est in pauperum, aut piorum locorum usus; nisi extet aliqua lex municipalis, quæ illam tribuat Domino territorii, in quo inventa est. Prima pars habetur Deut. 22. his verbis: *Non videbis bovem fratris tui aut ovem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum; duces in domum tuam, & erunt apud te, quamdiu quærat frater tuus, & recipiat: similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit. Si inveneris eam, ne negligas quasi alienam.* Et Leg. *Nunquam* §. *Inventoris*, tit. *De acquir. rer. Dom. Donec probari potest Dominus rei inventæ, in alterius potestatem transire nequit.* Unde S. Augustinus Hom. 6. lib. 50. Homiliarum sic scribit: *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti: quantùm potuisti, fecisti; quia plus non invenisti, ideò plus non rapuisti. Qui alienum negat, si posset, tolleret, quòd non tollis, timor te cohibet.*

129 Secunda pars prob. 1mo. ex Authentica *Omnes peregrini*, Cod. *Communia De success.* ubi statuitur ut, *si peregrini intestati decesserint, ad hospitem nihil deveniat; sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in pias causas erogentur.* Atqui eadem est ratio de bonis inventis, ut patet. Ergo &c.

Prob. 2do. ex. S. Carolo Borromæo, qui in Concilio Mediolanensi IV. præcipit, *ut res inventa pauperibus, aut piis locis erogetur, si Dominus diu requisitus non appareat.* Idem expressè statuit Catechismus Romanus part. 3. num. 7.

Prob. 3tio. Ratione. Ut res inventa pauperibus erogari debeat, duo sufficiunt: 1mo. ut, qui rem amisit, remaneat ejus Dominus. 2do. ut legitimè præsumatur, hanc esse illius voluntatem, ut res illa pauperibus distribuatur, aut in pios usus impendatur. Atqui utrumque verum est, 1mo. quidem qui rem amisit, illius rei amissæ Dominus remanet: eâ enim non spoliatur vel lege aliqua, nulla enim citari potest, quæ rei perditæ dominium transferat in inventorem; vel per propriam voluntatem, nam quantùm est de se vult, ut res sua sibi reddatur, & si eam ipsi reddi contigerit, reddenti gratias habebit. Deinde non potest assignari temporis spatium, quo rei suæ dominium amitteret: an post rem perditam mense uno? an anno uno vel duobus? neutiquam utique. Ergo. 2do. Legitimè præsumitur eam esse perditoris voluntatem, ut res amissa pauperibus distribuatur; legitimè enim præsumitur eam esse Domini voluntatem, ut res, quam recuperare nequit, expendatur aptiori modô, sibique & Reipublicæ utiliori. Atqui sic expenditur, cùm datur pauperibus; pessimè è contrà expenderetur plerumque, si remaneret penes inventorem, qui de bona fortuna gaudens, eâ ut plurimùm abuteretur, aut certè ita uteretur, ut nihil indè perditor, vel Respublica perciperent utilitatis. Ergo &c.

Dici-

130 Dicimus igitur 2do. Rei inventæ Dominum sedulò inquirendum esse. Ita monet Concilium Cenomanense annô 1284. habitum. Hæc autem inquisitio fieri debet expensis rei restituendæ, si agatur de possessore bonæ fidei; si verò de possessore malæ fidei, impensis ejusdem possessoris qui damnum, quod patitur, sibi debet imputare.

Neque inventor sibi aliquid pro præmio inventionis retinere potest, nisi labor in rei inventione impensus fuerit; Ratio est, quia nullum justum habet titulum sibi quidquam retinendi. Potest quidem Dominus, si appareat, dare aliquid titulô gratitudinis; sed inventor id non potest exigere; imò nec præmium, quod Dominus fortè inventori promisit, si rem perditam deferat, etiam ultrò oblatum acceptare, nisi omnimodam libertatem Domino reliquerit gratificandi vel non; ratio est, quia communiter præmium illud est secundùm quid involuntarium, offerturque à Domino, qui timet rem perditam omninò amittere, nisi hoc modô alliciat inventorem; & hoc explicari potest exemplô lucri ultrò oblati ab eo, qui mutuô indiget, quod, qui mutuo dat acceptare non potest, nisi constet illud ex mera gratitudine offerri.

Atque hanc fuisse primorum Christianorum praxim patet ex historia quam S. Augustinus Serm 21. de verb. Apost. & lib. 83. quæst. quæst. 71. refert de homine pauperrimo Mediolanensi, qui ibidem ducentorum solidorum sacculum invenerat, his verbis: *Memor ille legis, proposuit pittacium publicè, Qui solidos perdidit, veniat ad locum illum & quærat hominem illum. Ille, qui perdiderat, lectô pittaciô venit ad hominem... & quærens vicem rependere, tanquam decimas obtulit illi viginti, quos noluit accipere; obtulit vel decem, noluit accipere; saltem rogavit, vel quinque acciperet, noluit. Ille stomachabundus homo projecit sacculum, nil perdidi, inquit, si non vis aliquid à me accipere. Victus tandem ille, quod offerebatur accepit, & continuò totum pauperibus erogavit, unum solidum in sua domo non dimisit.* Exemplum hoc, quod auditoribus suis imitandum proponebat S. Præsul, utinam & ea, qua vivimus, ætate posset utiliter proponi!

III. 131

De bonis vacantibus & derelictis.

Bona vacantia sunt ea, quæ relinquit aliquis ab intestato decedens sine hæredibus, qui ei juxta legem ab intestato succedant.

Bona derelicta verò sunt ea juxta Justinianum lib. 2. t. 1. n. 46. quæ Dominus ea ratione seu animo abjicit, ut ea in numero rerum suarum esse noluit; ideoque statim Dominus illorum esse desinit. Censetur autem nolle, si facilè possit rem suam recuperare, & taceat, ac negligat. Quòd si dubium sit de ejus voluntate, non est præsumendus rem à se abdicare. Unde sequitur bona, quæ naufragantur, vel quæ per incendium ejiciuntur, vel quæ eluvione aquarum auferuntur, non habenda esse pro derelictis; quia Dominus ea abdicare non censetur. Idem dicendum de rebus certò perituris, nisi è periculo eriperentur, ut frumentum e. g. farina &c. è flumine erepta, aut ovicula è faucibus lupi vindicata; quia res nostra, quantumcumque periclitetur, sub nostro dominio est, quamdiu subsistit.

Bona vacantia Fisco applicantur, ex leg. *Vacantiâ.* Cod. *De bonis vacantibus.* Bona tamen mobilia peregrinorum per Episcopum loci ad pios usus sunt distribuenda, ex Authentica *Omnes peregrini* sup. cit.

Bona autem derelicta Jure Romano sunt primi occupantis, nisi aliter jura privata statuant. Patet ex Inst. *De rerum divis.* §. *Alia sanè.*

IV.

132 *De usucapione seu præscriptione.*

Usucapio & *præscriptio* minimè inter se differunt sed sunt termini Synonimi; nonnullis tamen *usucapio* est circa mobilia, *præscriptio* autem circa immobilia: verùm hoc falsum esse videtur ex *Inst. De Usucapionibus.* Sanè Theologi utramque communiter accipiunt.

Porro nobis hîc de præscriptione agentibus sermo non est, de illa *præscriptione* latè sumpta, quæ alio nomine *exceptio* dicitur, seu ratio, quæ opponitur ad excludendam *actionem* ab *actore* seu *accusatore* intentam contra *reum*: quæque duplex est, *dilatoria* nimirum; ut si opponas Judicem non esse competentem, testes esse infames, actorem excommunicatum; & *peremptoria*, v. g. si opponas, te solvisse quod petebatur, te sententiam fuisse executum. Sed de *præscriptione* strictè sumpta, & ea *exceptionis* specie, qua quis contra petitionem alterius defendit id, quod per certum tempus quoddam legitimè possedit; undè definitur *Acquisitio dominii & juris, per possessionem legitimo tempore continuatam ex legis præscripto.*

Circa eam varia resolvenda veniunt.

133 Ac 1mo. quidem, num per *præscriptionem* acquiratur dominium rei alienæ, tam in foro interiori & conscientiæ, quàm in foro exteriori; ita ut, qui legitimè præscripsit, non teneatur restituere priori Domino repetenti rem præscriptam, & probanti certis rationibus illam ad se olim pertinuisse.

Etsi quidam id negent ex rationibus infrà adducendis, videtur tamen quòd sic. Atque prob. 1mo. ex allata *præscriptionis* definitione omnibus Theologis probata, & ex qua id patet. 2do. Quia legitimum est illud dominium, quod ut legitimum approbant Jus Civile & Canonicum. Atqui dominium, quod præscriptione comparatur, ut legitimum approbant Jus Civile, & Canonicum. Jus Civile quidem Leg. 1. ff. *de Usucapionibus* seu *præscriptionibus.* Ubi hæc habentur: *Constitutionem promulgavimus, qua cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem, id est, inter præsentes, decennio, inter absentes viginti annis, non capiantur, &c.* Eadem habentur Leg. ult. ff. *Pro suo.* & Leg. 3. *de usucap.* Jus verò Canonicum causâ 16. q. 3. *De præscriptionibus.* & alibi passim. Sic cap. *Ad aures 6. De præscript.* Alexander III. ab Episcopo Mauritaniæ consultus super decimis, quas una parochia præ altera possidebat: *Tuæ*, inquit, *fraternitati innotescat, quod de jure divino & humano melior est conditio possidentis, quia quadragenalis præscriptio omnem prorsùs actionem excludit.*

Prob. 3tio. ratione. Illud dominium legitimè transfertur, quod transfertur autoritate Reipublicæ seu Principis, iisque in casibus, in quibus Respublica seu Princeps illud potest. Atqui Dominium, quod quis præscriptione acquirit, in eum transfertur 1mo. auctoritate Reipublicæ seu Principis, nempe per leges ab ea vel ab eo conditas. 2do. Transfertur in iis casibus, in quibus Respublica seu Princeps id potest: nam Respublica &c. privatis sua bona auferre potest, cùm id bonum commune & civium pax postulat; cùm id necessarium judicant ii omnes, qui pietate & scientia, tùm in Ecclesia tùm in Sæculo primas partes obtinent. Atqui transferri præscriptione dominium ab uno in alterum postulant bonum commune; tùm ut puniatur eorum socordia, qui res suas ab aliis possessas repetere negligunt; tùm ut tollatur incertitudo dominiorum alioqui futura, si res ab aliis diu possessas repetere liceret, sæpè enim legitimi possessores suis deturbarentur & privarentur bonis; quia non rarò contingit, ut quò quis magis legitimè rem possidet, eò minùs possit possessionis suæ validitatem probare, cùm antiquarum conventionum

tionum contractus & instrumenta sæpè excidant, & pereant, nihilque sit facilius, quàm falsa instrumenta pro veris supponere. Ergo par & æquum fuit, ut Respublica seu Princeps, inducta præscriptionis lege, tot malis, tot injustis litibus occurrent. In hanc autem legem conspirarunt undequaque non populi solùm, sed & Romani Pontifices, ac ipsa demùm Ecclesia, quæ causas tribunali suo oblatas semper diremit ex præscripto legum Imperialium. Ergo dominium, quod per præscriptionem comparatur, legitimè tam in interiori conscientiæ, quàm in exteriori Justitiæ foro comparatur.

134 Qui verò contrariam tuentur opinionem, qui hodiedum paucissimi sunt, ob. 1mo. Sine culpa nemo re sua est privandus, ex Regula 23. Juris in 6. Ergo.

Sed Resp. neg. ant. Sic enim habet citata Regula: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Atqui mox probatum est, multiplicem esse causam, cur homini præscribendo res sua auferatur.

135 Inst. Ex Reg. 48. ibid. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.* Atqui id per præscriptionem fit. Ergo.

Resp. dist. textum regulæ: Locupletari non debet ex jactura alterius facta per injuriam & auctoritate privata, conc. Locupletari non debet utendo beneficiô legis. neg.

136 Ob. 2do. SS. Patres negaverunt præscriptione legitimum conferri dominium. Sic S. Augustinus relatus causâ 33. q. 5. cap. 4. *Si, inquit, unquam tenuisses ejus assensum, numerus te nullus defendisset annorum.* Et lib. de fide & oper. cap. 7. *In jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum; cùm verò sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur, tunc justè injustus vocatur.* 2do. S. Raymundus, de hac quæstione in sua Summa agens: *Consulerem, ait, ei, qui aliquid bona fide præscripsit, ut restitueret, saltem propter ambiguum duplicitatis: si nollet acquiescere, non auderem illi dare securitatem, quòd sit in statu salvandorum.* Ergo cùm in dubiis pars tutior tenenda sit, prout ostendimus in Tract. de Act. Hum. cap. 4. §. 3. non licet uti beneficiô præscriptionis.

Resp. 1mo. Certum esse, quòd varias in partes abierint Theologi circa præsens negotium: verùm prævaluit opinio affirmans, Pontificum & Principum legibus omniumque hominum agendi ratione comprobata.

Resp. 2do. Quod objicitur ex S. Augustino nullius est momenti. In primo enim textu non loquitur de bonorum externorum dominio, sed de mutua, quam in corpora sua conjuges habent, potestate, quæ nisi uterque consenserit, semper perseverat. Hinc post objecta verba sic pergit: *Si post quantumlibet tempus me consuluisses, nihil aliud tibi responderem, nisi quod ait Apostolus: Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir.*

Ad id, quod additur ex lib. de fid. & oper. Resp. Adverbium istud *tamdiu* intelligendum esse ante legitimam præscriptionem; quia id, quod post hujusmodi præscriptionem possidetur, non dicitur alienum; *Certè*, enim, ait idem S. Augustinus Ep. 54. *Hoc alienum non est, quod jure*, id est, legum auctoritate, *possidetur.*

Ad auctoritatem S. Raymundi Resp. 1mo. eum quæstionem de qua agitur, dubiam reliquisse, nam statim post verba ex illo objecta addit: *Non audeo etiam præcisè definire eum teneri, vel esse propter hoc in statu damnandorum;* fatetur insuper, quòd opinio affirmans *videatur servari per universum Orbem, quocumque se diffundit Ecclesia.*

Resp. 2do. Quòd, si nonnulli auctores S. Raymundi ætate præscriptionis legem, quoad forum interius non valere cen-

censuerint; alii, & quidem insigniores, qui posteà scripserunt, contrarium docuerint; inter quos sic loquitur S. Thomas quodlibetô 12. art. 24. *Dicendum est*, inquit, *quòd si quis præscribat, bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem.* Scotus verò in 4. Dist. 15. q. 2. *Si lex justa*, inquit, *potuit justè determinare prima dominia, & non minor est auctoritas legis post divisionem dominiorum quàm ante: Ergo propter eandem causam, & eundem finem potest justè transferri dominium. Ex hoc dico, quòd præscriptio in immobilibus, & usucapio in mobilibus est justa translatio.* Hos binos Scholæ Principes omnes propè Theologi, qui post eos scripsère, secuti sunt.

137 Inst. Ex mox citato S. Thomæ textu sequitur ad summum, tunc valere præscriptionem, cùm Dominus in recuperanda re sua negligens fuit; statim enim causam subjungit, cur talis qui per præscriptionem aliquid possidet, illud restituere non teneatur, scilicet, *quia*, inquit, *lex potest aliquem pro peccato & negligentia punire in re sua, & illam alteri dare.* Ergo sublata hac negligentia, non licet, etiam juxta S. Thomam, uti præscriptione.

Resp. neg. ant. Nam S. Thomas unam assignans causam, propter quam præscriptione res justè acquiritur, non negavit alias, quæ sunt ne dominia maneant incerta, ne lites multiplicentur, ne viri titulorum & instrumentorum fictores aliena bona invadant. Atqui finis iste non obtineretur, si attendendum esset ad culpam illius, contra quem præscribitur; semper enim, aut ferè semper incertum remaneret, an alter esset in culpa, necne.

138 Ob. 3tio. Non magis, quî, post elapsum præscriptionis tempus, rem alienam esse cognoscit, eandem retinere potest, quàm possit quis rem judiciali sententiâ sibi adjudicatam retinere, cùm agnoscit non esse suam. Atqui non potest rem retinere, quantumvis judiciali sententiâ sibi adjudicatam, qui agnoscit eam non esse suam, sed alterius. Ergo. Min. constat. Maj. facilè probatur: quia in utroque casu supponitur bona fides per aliquod tempus; in utroque etiam casu reperitur Judicis aut Legis auctoritas. Ergo par utrobique ratio.

Resp. neg. maj. Judex enim per sententiam nec transfert, nec intendit transferre dominium rei ab uno ad alium, sed solùm pronuntiat ad quem secundùm allegata pertineat res, de qua litigatur: at verò lex præscriptionis, ob varias rationes, quæ bonum commune spectant, verum in præscribentem transfert dominium; undè patet disparitas Legem inter & Judicem, qui falsâ nititur præsumptione.

Inst. Ideò non potest quis retinere bonum sibi à Judice adscriptum in casu proposito, quia sententia Judicis nititur falsâ præsumptione. Atqui pariter lex in qua fundatur præscriptio, nititur falsa præsumptione; nam ea lex supponit hominem potuisse impedire ne curreret præscriptio. Atqui suppositio hæc plerumque falsa est, putà si quis nescierit fundum ab altero possessum esse suum. Min. patet. Maj. prob. Quia ex ipsa lege contra impotentem & legitimè impeditum non currit præscriptio. Ergo. 139

Resp. neg. min. ad ejus prob. neg. maj. ad illius prob. dist. ant. Contra impeditum & impotentem non currit præscriptio in casibus jure exceptis, v. g. si quis mente captus sit, si quis sit pupillus aut minor, conc. In cæteris casibus, neg. ant. Quapropter non teneris reddere rem ei, qui invincibiliter ignorans eam esse suam, non impedivit, quominùs præscriberes; atque si præscriptionis beneficium ignorans, eam reddidisses, posses eam repetere ut tuam.

Ob. 4to. Proferri non potest ratio propter quam Imperatores Legem de præscriptionibus justè condere potuerint. Ergo &c. Resp. 140

Resp. neg. ant. cujus falsitas patet ex dictis præsertim prob. 3tia. argumenti affirmativi. Nam promulgata fuit illa lex, ut jam diximus, propter bonum publicum, quietem scilicet civium & familiarum. Cùm antiquarum conventionum instrumenta non raró evanescant; cùm nihil sit facilius, quàm falsa instrumenta pro veris supponere, mortuis scribâ & testibus; par fuit, ut Principes præscriptionis lege, tot tantisque malis occurrerent, impedirentque, ne iniqui injustis litibus, & falsis testibus cives & familias vexarent.

141 Ob. 5to. Est de jure naturali, ut Respublica invitos cives bonis non spoliet, nisi in duplici casu, 1mo. Cùm ipsa Respublica civium suorũ facultatibus ad bonum commune indiget. 2do. Cùm cives propter nefandum aliquod scelus bonorũ jacturâ mulctari debent. Atqui si in foro conscientiæ valeret præscriptionis lex, sine prævio delicto, & sine urgente Rempublicam necessitatis casu, inviti nonnunquam suis bonis spoliarentur, ut patet. Ergo, &c.

Resp. neg. maj. Hinc argumento jam passim responsum est, præsertim in responsione ad ob. 1mam. Enimverò præter duplicem hîc in Objectione allatum casum est adhuc tertius, nempe cùm id exposcunt pax & tranquillitas publica, ut re vera exposcunt in causâ præscriptionis: est enim de jure naturali, ut bonum privatum publico postponatur.

142 Ob. 6to. Probationes ex Jure Civili & Canonico in favorem præscriptionis suprà allatæ solùm probant eam valere in foro externo, nihil autem concludunt pro interiori conscientiæ foro. Ergo.

Resp. neg. ant. Nam Gregorius Papa cap. *Sanctorum*. 3. *De præscript.* statuit, *Secudùm SS. Patrum sanctiones, ut bona præscripta quietè & sincerè perpetuò teneantur*: sed quod in foro conscientiæ retineri non posset, nec *quietè* nec *secundùm SS. Patrum sanctiones* teneretur, aut possideretur. Et certè proprius Canonum finis est, ut vitetur peccatum coram Deo, quod etiam SS. Pontificum sanctiones præcisè attendunt: & ideò in Concilio Lateranensi (*u*) decernitur, ut nemo rem mala fide possessam præscribere ausit, quia hoc sine peccato mortali fieri non potest. Ergo Concilium istud supponit, bonæ fidei possessorem rem præscriptam sine peccato retinere posse; alioqui monere debuisset possessorem bonæ fidei non magis esse in conscientia tutum, quàm possessorem malæ fidei; utrique enim favebant leges Civiles, quas dum Synodus abrogavit quoad possessorem malæ fidei, tutas esse supposuit respectu possessoris bonæ fidei.

2do. Resolvendum venit, quænam conditiones ad legitimam præscriptionem requirantur. Quinque passim numerari solent.

Conditiones ad legitimã præscriptionem requisitæ.

Prima est, ut res sit præscriptibilis, id est, ut res, quæ præscripitione acquiritur, à jure prohibeatur præscribi: nam ff. *De Usucap. & Usurpationibus*; & tit. *De præscript.* nonnulla præscribi nequeunt: ut 1mo. non præscribitur adversùs hominem liberum, ut fiat servus, ex Leg. *Usucapionem*, ff. *De Usurpationibus & Usucapionibus*. 2do. Nec etiam adversùs Superiorem præscribitur; quia subditi tenentur obedire Superiori jure naturali, adversùs quod 143

Res præscriptibilis, prima conditio.

(*u*) Concilium Lateranense IV. an. 1215. celebratum est. In eo Can. 41. decernitur ut nemo rem mala fide possessam præscribere ausit &c.

non præscribitur, *cap. ult. de consuetudine*, in Decretalibus. Hinc subditi non possunt præscribere adversùs Prælatum, ut non visitentur; quia Prælatus non potest absolvi à sollicitudine erga subditos, quem ut præstet, necessaria est visitatio. Similiter non præscribunt subditi, ut non solvant procurationem Prælato debitam, dum ab eo visitantur, ex cap. *Cùm ex officii.* Tit. *De præscrip.* Potest tamen ex eodem capite Prælatus adversùs alium Prælatum præscribere, ut ad ipsum ejus subditi pertineant. Item potest aliqua Ecclesia, v. g. Collegiata præscribere adversùs Archidiaconum, ut ab eo non visitetur, quia ejus dignitas non est Juris divini, sed humani. Atqui adversùs jus humanum præscriptio valet. 3tio. Non præscribitur res publicis usibus deputata, ut sunt viæ, fontes, &c. 4to. Jus decimarum, primitiarum, oblationes, aliaque jura spiritualia à Laicis non præscribuntur, tit. *De præscrip. Cap. Causam.* Et ratio est, quia hæc à Laicis possideri non possunt; de ratione autē præscriptionis est legitima possessio rei præscriptæ. Eadem verò jura præscribi possunt à personis Ecclesiasticis; cùm ea possidere possint. Porro quamvis contra decimas præscribi non possit à Laicis, potest tamen præscribi contra quantitatē earum, & solutionis formam; ad quod requiruntur. 40. an. Denique sunt decimæ quædam, quæ *infeudatæ* dicuntur, quæ à Laicis ante Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. an. 1179. celebratum possessæ, ab iis legitimè retinentur. 5to Non præscribuntur tributa, functiones publicæ, census, jus appellationis, &c. quæ Principi solvuntur aut competunt in signum supremæ potestatis, ex Leg. *Comperit.* Cod. *De præscript. triginta & quadraginta annorum.* Nihil enim præscribitur, nisi permittat lex Civilis, vel Princeps: at Principes non consentiunt præscriptioni juribus suis contrariæ. 6to. Non præscribuntur res sacræ. Etenim si res Principi propriæ non præscribuntur, à fortiori ea, quæ Dei sunt, quæque alienare vetat Imperator in Institutis §. *Sacræ res*, tit. *de rer. divis.* 7mo. Præscribi non possunt res ejus, qui adeò impotens est, aut impeditus, ut rem suam in judicio petere non possit. Hinc, prout suprà jam dictum, contra mente captum, minores viginti quinque annis, filium sub potestate patris existentem, & uxorem, cujus vir administratione privatus non est, non præscribitur. 8vo. Non præscribuntur fines Provinciarum, Episcopatuum, & Parochiarum, quando constat de eorum limitibus, ut habetur Cap. *Dilectio* 16. q. 3.

Advertendum, multa, quæ dicuntur non præscribi, intelligenda esse de præscriptione, quæ fit ordinario tempore, nempe spatiô decennii, aut viginti annorum, nam præscribuntur præscriptione longissimi temporis, putà triginta, aut plurium annorum; tales sunt res fisci, fundus in dotem datus, & res furtivæ, leg. *Omnes*, & leg. *Sicut in rem*, Cod. *de præscrip. triginta annor.*

Secunda ad legitimam præscriptionem conditio est, ut res, quæ præscribitur, possideatur; nam sine possessione præscriptio non procedit, ex *Reg.* 3. *de Reg. Jur in* 6. *Possessio.* 144 Secunda ad legitimam præscriptionem conditio.

Possessio autem definitur, *Rei actualis, vel juridica detentio*, seu *Actus, aut jus detentionis rei.* Actus detentionis vocatur *possessio facti*; jus detentionis vocatur *possessio juris.* Res autem detenta, seu

seu possessa, vel corporalis est, ut ager, domus, &c. vel incorporea, ut beneficium, census, servitus, &c.

Possessio facti est *rei detentio adminiculò corporis, & animi, & juris.* Dicitur 1mo. *Detentio;* id est, apprehensio vel prima, vel continuata. 2do. *Rei;* quo nomine intelligitur quidquid possideri potest. 3tio. *Adminiculò corporis;* quia ut res incipiat possideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi vel verè seu apprehensione *vera*, quæ fit vel manibus vel pedibus; vel *fictâ*, ut est ea quæ fit oculis, quibus vel etiam eminùs res possidenda aspicitur, vel cum traditur scriptura seu instrumentum, in quo cùm res ipsa contineri videatur, & ipsa quoque videtur apprehendi. 4tò. *Animi;* quia rem non possidet, nisi qui eam apprehendit, & occupat animô possidendi: hinc depositarius non dicitur possidere depositum, quia illud non detinet animô sibi retinendi. 5to. Denique *Adminiculò etiam juris:* quia ad possessionem requiritur, ut Jus seu leges non impediant, ne detentio rei censeatur possessio ejus: Unde detentio rei sacræ à Laico facta, ne quidem est possessio facti, lege id prohibente. Detentio autem rei furtivæ prophanæ, licèt injusta, est tamen vera possessio, quia Jus non impedit ne detentio talis rei sufficiat ad possessionem.

145 *Possessio juris*, est *jus insistendi rei tanquam suæ, non probibita possideri.* Dicitur *Jus*, nempe verum vel præsumptum, prout nimirùm oritur ex possessione facti vel justâ in se, vel quæ justa præsumitur in foro externo, licèt in se justa non sit. Item *Jus insistendi rei &c.* id est, rem ut propriam perseveranter tenendi, in ea se manutenendo contra perturbantes. Additur denique, *Non probibita possideri* per Juris dispositionem scilicet, per quam prohibetur v. g ne locus publicus à privato, vel sacer à Laico possideatur.

Possessio sic exposita multipliciter dividitur. Nam 1mo. alia est quæ fit *proprio nomine*, ut in proprietario, alia est quæ fit *nomine alieno*, ut in depositario. Alia est *precaria*, quæ supplicatione & precibus obtinetur. 2do. Alia est *justa*, quæ fundatur in titulo, qui justus sit sive in se, sive ex bona fide; alia est *injusta*, quæ legitimô titulô destituta est. 3tio. Præcipuè, alia est *Civilis*, alia *Naturalis*. Prior est detentio rei adminiculô solius animi: quamvis enim ad inchoandam possessionem civilem requiratur adminiculum corporis simul & animi, ad eam tamen continuandam sufficit solus animus retinendi rem, & ab ejus possessione non desistendi: hinc verè possidet is, qui, corpore absens à rebus suis, eas tamen animô retinet & occupat. Possessio hæc *civilis* dicitur, tùm quia fundatur in Jure Civili, secundùm quod dicitur quis possidere rem, à qua procul distat; tùm quia parit effectus civiles, nempe rei ùsucapionem, & dominium fructuum. 146

Possessio *naturalis* est ea, qua res corpore simul & animô ocupatur; ut cum quis rem occupat de facto, quam etiam retinere cupit. Possessio naturalis sæpè separatur à civili; nam fur v. g. rem meam possidet naturaliter, ego autem civiliter. Possessio naturalis, etsi infirmior sit civili, ad hoc tamen valere potest, ne possessor deturbari possit ab extraneo, & interdum ne ab ipso quidem Domino sine publica auctoritate.

Addunt

Addunt hic aliqui tertiam possessionis speciem, quam civilissimam vocant: hæc autem possessio ex sola legis dispositione acquiritur, etiam ab inscio, adeoque sine corporis & animi adminiculo: Sic hæres parvulus defuncti hæreditatem possidet. &c. His prænotatis

147 Dicimus 1mo. Necessaria est ad præscriptionem possessio. Nam sine possessione præscriptio non procedit, ut suprà dictum, ex Reg. 3. Jur. in 6. 2do. Requiritur possessio, quæ sit proprio nomine: hinc tutor, curator, aut Monasterii procurator, quia non sibi sed aliis possident, non sibi sed aliis præscribunt. 3tio. Non sufficit possessio precaria; quia quod accipitur precariò, non possidetur ut proprium. 4to. Non sufficit possessio naturalis: nam depositarius, colonus, creditor habens pignus, imò & fur, naturaliter possident; nec tamen præscribunt. 5to. Requiritur possessio continuata per totum illud, quod lex exigit, tempus. Præscriptio enim, quæ Jure solùm positivo acquiritur, acquiri non potest nisi cum conditionibus in Jure expressis. Atqui una è conditionibus à Jure expressis est, ut res præscribenda certo quodam continuato tempore possideatur. Ergo. Hinc si quis re, quam per aliquod tempus legitimè possedisset, justè privaretur, & eam iterum obtineret ac possideret, non posset prioris possessionis annos computare, & conjungere cum annis subsequentis possessionis, quia possessio non esset continuata. Non est tamen necessarium, ut possessio ab eadem persona continuetur; potest enim secundus possessor annos, quibus possedit, conjungere cum iis, quibus possedit auctor ejus seu prædecessor.

Tertia ad legitimam præscriptionem conditio est *titulus legitimus*, sive verus, sive probabiliter præsumptus, id est, qui bona fide putetur validus, etsi in rei veritate talis non sit. 148

Titulus. Tertia ad legitimam possessionem conditio.

Titulus definitur, *Ratio legitima, propter quam quis censetur justè possidere rem aliquam;* v. g. habeo hunc librum, quia bona fide illum emi.

Ad legitimam igitur rei alicujus possessionem requiritur *titulus:* nam translatio dominii sine causa ad translationem sufficienti non fit; hæc autem causa est *titulus*. Circa quem

Not. 1mo. Titulum, ut mox dictum, alium esse verum, ut si à vero Domino emeris; alium præsumptum seu coloratum & apparentem, qui scilicet verus prudenter judicetur; ut si emeris ab eo, quem probabiliter putas verum Dominum.

Not. 2do. Duplicem esse præscriptionem, aliam longi temporis, aliam longissimi: illa est triennii, decennii, & vicennii; ista verò triginta, quadraginta & aliquando centum annorum. His præsuppositis

Dicimus 1mo. Ad præscriptionem longi temporis requiritur titulus; quia sine titulo possessio non censetur legitima seu civilis, quæ necessaria est, ex dictis, ad præscribendum. 149

2do. Ad præscriptionem longissimi temporis ordinariè non requiritur titulus; quia difficiliùs probatur, qua ratione inierimus possessionem, in qua sumus à tam longo tempore. Diximus *Ordinariè*, quia aliquando ad præscriptionem longissimi temporis requiritur titulus, nempe quando juris præsumptio est contra præscribentem. Hinc

Hinc si Episcopus v. g. velit præscribere decimas in altera Diœcesi sitas per 40. annos, sine titulo non præscribit, ex *cap. 1. de præscrip. in 6.* Igitur vel exhibere debet titulum, vel probare possessionem immemorialem. Possessio immemorialis est ea, cujus initii non extat memoria apud seniores, qui testantur & asserunt, se nunquam aliter vidisse, vel audivisse, & talem semper fuisse famam, communemque loci opinionem.

150 Advertendum, quòd is, qui, titulô hæreditatis, bona fide possidet rem à defunctо mala fide possessam, nunquam præscribat, si sit hæres universalis: ita habetur L. *Cùm hæres ff. de divers. temp. præscrip. Cùm hæres in jus omne defuncti succedat, ignoratione sua defuncti vitia non excludit.* Et L. *Vitia.* 11. *Cod. lib. 7. tit. 32.* quæ sic habet: *Vitia possessionum à majoribus contracta perdurant, & successorem authoris sui culpa comitatur.* Item *§. Diutina Inst. lib. 2. tit. 6. De Usucap. Si defunctus justum initium non habuit, hæredi & bonorum possessori, licèt ignoranti, possessio non prodest.* Ratio est, quia hæres (x) & defunctus efficiunt unam personam, atque hæres defuncti personam ita repræsentat, ut in omnia ejus onera succedat, adeoque & damna per eum illata resarcire debet; atque fictione juris mala fides censetur in successore, sicut in eo, cui succedit; unde rem ab eo mala fide detentam, nec ipse quantumvis diu possessam retinere potest.

151 Diximus, *Hæres universalis*; nam Legatario, seu hæredi particulari mala fides authoris nocere non potest, valetque ipse, si bonam fidem habeat, præscribere, præscriptionem incipiendo scilicet à sua propria possessione. Porro nomine Successoris particularis intelligitur ille, qui in re succedit quocumque titulo, sive gratuito, sive oneroso, sive ex testamento, sive inter vivos, dummodo hæres non sit. Quod verò prædecessoris vitium ei non noceat, inferri solet ex Leg. *An vitium. 5. ff. de De divers. temp. præscrip.* ubi hæc habentur: *Denique usucapere possum, quod author meus usucapere non potest.* Quæ cùm de successore universali vera non sint, de particulari sunt intelligenda.

Quarta ad legitimam præscriptionem conditio est *bona fides*; nam possessor malæ fidei nullo tempore præscribit. Bona fides autem nihil aliud est, quàm *persuasio, qua quis prudenter existimat rem, quam possidet, esse suam, etsi fortè sua non sit.* Igitur 152

Bona fides. Quarta ad legitimam præscriptionem conditio.

Dicimus 1mo. Bona fides ad legitimam præscriptionem est omninò necessaria. Prob. ex cap. *finali de præscrip.* desumptô ex Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. an. 1215. cujus hæc sunt verba: *Quoniam quod ex fide non est, peccatum est; Synodali judiciô definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quàm civilis; cùm generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ.* Et ex *Reg. 2. juris in 6. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Quibus juribus abrogan-

(x) *Hæres* definitur *Defuncti successor in universum jus ejus*

rogantur leges civiles admittentes præscriptionem non mala fide.

Prob. 2do. Ratione. Si valeret præscriptio cum mala fide, possent Simoniacus, Usurarius, fur & latro res ablatas, & diu possessas retinere. Atqui hoc est contra æquitatem omninò omnem, contra bonum commune æque ac privatum, contra jus naturale, quod vetat ne fraus & dolus patrocinentur. Ergo.

153 Dices 1mo. Is, cujus bona per legem pœnalem addita sunt fisco, potest statuto tempore præscribere. Ergo potest præscribi cum mala fide.

Resp. neg. conf. Nam in tali est bona fides, cùm tamdiù bona fide possideat, quamdiu bonis suis per sententiam Judicis privatus non est; lex enim pœnalis ante Judicis sententiam non obligat.

154 Dices 2do. Potest aliquis præscribere contra eum, qui habet jus servitutis rusticæ in suo prædio, v. g. transeundi per suum prædium, quamvis sciat eum jus illud habere, Leg. *Hæc autem.* ff. *De servitutibus urbanorum prædiorum.* Atqui in illo casu est mala fides. Ergo.

Resp. neg. min. Qui enim præscribit in casu proposito, non impedit, quominùs alter jure suo utatur, sed tantùm permittit, ut non utatur, quod utique permittere potest; non enim tenetur admonere alterum, ut per campum suum transeat; ergo nihil facit contra jus alterius; ergo non habet malam fidem; ergo bona fide agri sui libertatem recuperat. Ratio ulterior est; quia ad præscribendum contra servitutem rusticam non requiritur à legibus nisi possessio naturalis: undè bona fides debet solùm esse de possessione naturali; adeoque satis est, ut qui præscribit, credat se licitè posse nativam rei suæ libertatem recuperare, absque eo, quòd admoneat alterum de jure suo: at in aliis rebus requiritur possessio civilis, id est animus retinendi rem ut suam, quem animum cnm bona fide habere non potest, qui cognoscit id, quod præ manibus habet, alienum esse, non suum.

Dicimus 2do. Is, qui malam 155
fidem habet, sed solùm ex ignorantia, quia nempe credit non licere sibi id præscribere, quod possidet, cùm tamen hoc licitum sit, non præscribit. Ratio est, quia non videtur bona fide possidere: & ita habetur Leg. *Si fur*, ff. *de Usucap. Si quis id, quod possidet, non putat sibi licere per leges usucapere, dicendum est, etsi erret, non procedere tamen ejus usucapionem, vel quia non bona fide videtur possidere, vel quia in jure erranti non procedat usucapio.*

Dicimus 3tio. Nec satis est, 156
quòd fuerit bona fides, quando res cœpit possideri, sed requiritur bona fides continuata: habetur ex Concilio IV. Lateranensi sup. citato: & ratio est, quia nulla possessio cum mala fide est legitima.

Dicimus 4to. Dubitatio (y), 157
quæ omnem possessionem præcedit, impedit bonam fidem; tùm quia *quod non est ex fide peccatum est*, ut

(y) Non hic nobis sermo est de dubitatione speculativa, dum scilicet quis in genere dubitat an res, quam possidet vel vult possidere, sit sua an aliena; sed de dubitatione practica, dum scilicet quis hic & nunc dubitat, an possit licitè rem retinere. Vid. Colleg. Juris Canonici l. 2. t. 26. §. 2. n. 536.

ut ſuprà ex Apoſtolo ajebat Concilium Lateranenſe; tùm quia in dubio favendum eſt reo potiùs quàm actori: qui autem poſſidere incipit, eſt velut actor; & qui anteà poſſidebat, veluti reus. Ergo huic favendum eſt, adeoque judicandum res illius eſſe.

At ubi poſſeſſioni bona fide inchoatæ dubitatio ſupervenit, tùm dividuntur Theologi. Quidam putant bonam fidem, adeoque præſcriptionem, in hoc caſu reperiri, 1mo. quia in pari cauſa *potior eſt conditio poſſidentis*, ex Reg. 65. Jur. in 6. 2do. Quia ex cap. *Si virgo*, cauſ. 34. q. 1. *tandiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur, quandiu ſe poſſidere alienum ignorat.*

158 Alii non pauci verò exiſtimant, eum, qui dubium habet non leve & temerarium, ſed grave & probabile, an res, quam poſſidet ſua ſit nec ne, eo ipſo non habere bonam fidem, proindè nec præſcribere poſſe. 1mo. Quia ad bonam fidem requiritur, ut quis quietè & tranquillè judicet rem, quam poſſidet, eſſe ſuam. Sed in dubio fundato & probabili, de quo loquimur, non poteſt quietum & tranquillum hoc judicium efformari, ſed vacillans tantummodò. 2do. Quia non licet ſe exponere periculo rem alienam retinendi. Sed qui dubium grave & diſcretum habet, ſe exponit periculo rem alienam retinendi. 3tio. Quia non ſatis explicatur, cur non liceat poſſeſſionem inchoare cum dubio, liceat verò eandem cum dubio continuare: ſi enim momenta, quæ poſſeſſioni jam inchoatæ ſuperveniunt, ejusdem ſint naturæ, ac ea, quæ poſſeſſionem præcedunt, eundem parere debet effectum; cur enim peccabo apprehendendo rem, quam probabiliter judico eſſe meam (z), & non peccabo retinendo rem, quam probabiliter judico eſſe alienam? Equidem illius, qui rem cum dubio retinet ſeu poſſidet, melior ſeu potior eſt conditio; tùm quia non tenetur ſtatim rem abdicare, ſed eam tandiu retinere poteſt, donec adhibitâ diligentiâ ſufficienti dignoſcere poſſit, an ſua ſit, an alterius; & ad id ſub peccato teneri eum, etiam tuentur contrariæ opinionis aſſertores; tùm quia in foro exteriori pro ipſo præſumitur, quia ſupponitur, virum probum non acquirere poſſeſſionem rei, niſi juſtô titulô; unde leges non ſinunt, ut è poſſeſſione ſua ejiciatur, niſi ſufficientia contra eum momenta adducantur. Deinde falſum eſt, quòd, qui probabiliter dubitat, an alienum poſſideat, ignoret ſe alienum poſſidere, ſed dubitat duntaxat, quod eſt aliud quàm ignorare, nam *ignorare* non modò cognitionem certam, ſed & dubiam excludit, prout patet in cit. Can. *Si virgo*, ſecùs enim ſequeretur, quòd virgo, quæ dubitat an maritus ſuus alteri ſit conjugatus, cenſeretur conjugium hoc ignorare, nec peccaret, ſi ab eo debitum peteret; quod tamen falſum eſt ex cap. *Inquiſitioni*, 44. *de ſententia excommunic.*

(z) Si probabiliter judico rem, quam apprehendo, eſſe meam tunc etiam à contrario probabiliter judico eam non eſſe meam, ſed alienam, adeoque dubito cujus ſit, an mea, an alterius.

Undè colligunt hi Theologi, eum, qui de sua possessione bona fide inchoata dubitat, non posse rem totam sibi retinere, sed debere vel eam dividere pro ratione dubii, vel aliquam cum altero compositionem inire, vel controversiam ex arbitrorum mutuo consensu electorum judiciô definiendam tradere.

159 Dicimus denique 5to. Ignorantia vincibilis tam *juris*, qua scilicet lex ipsa ignoratur, ut si quis nesciat requiri auctoritatem tutoris, ut aliquid validè à pupillo accipiatur; quàm *facti*, cùm lex quidem cognoscitur, sed ignoratur, hoc factum huic legi esse contrarium; ut si cognoscas illicitum esse aliquid emere à fure, sed nescias eum, à quo emis, esse furem, impedit præscriptionem; impedit & ignorantia seu error etiam invincibilis juris clari & evidentis; non tamen eam impedit ignorantia seu error inculpatus facti. Ratio 1mi. est, quia re ipsa bonam fidem impedit: nemo enim censetur bona fide ignorare id, quod potest, & debet scire. Ratio 2di. est, quia vis præscriptionis ex legum dispositione pendet. Atqui Leges non admittunt, sed potiùs excludunt præscriptionem fundatam in ignorantia etiam invincibili Juris: ut colligunt Doctores ex leg. *Juris*, 4. ff. *de juris & facti ignorantia. Juris ignorantia negatur in usucapione prodesse: facti verò ignorantiam prodesse constat.* Item ex leg. *Nunquam*, ff. *de Usucap. Nunquam in Usucapionibus juris error possessoribus prodest.* Ergo qui aliquid usurario contractu acquisivit, item qui munus accepit à Religioso, illud præscribere non potest, etiamsi supponatur, eum bona fide credidisse neutrum esse illicitum: atque id etiam valet pro foro interno, quia in eo tenenda est Juris Civilis dispositio. Diximus *Juris clari & evidentis*, quia plures Theologi existimant ignorantiam invincibilem juris dubii non impedire præscriptionem. Verùm cùm præscriptio inducta sit lege humana, nec lex distinguat inter jus clarum & obscurum, certum & dubium; sed absolutè decernat in usucapionibus nunquam juris errorem possessoribus prodesse, præferenda videtur sententia affirmans ignorantiam etiam invincibilem juris sive perspicui, & indubitati, sive obscuri & dubii, impedire præscriptionem. 3tium habetur ex mox citata Leg. *Juris* in qua dicitur, quòd *facti ignorantia in usucapione prosit.* Idque patet ex ipsa præscriptionis natura, quæ semper aliquid erroris supponit.

Tempus. Quinta ad legitimè præscribendum conditio.

Quinta denique ad legitimè præscribendum conditio est *Tempus.* 160
Ubi nota, res alias esse mobiles, alias immobiles. Mobiles sunt res corporales, quæ locô moveri possunt, ut animalia, vestes, naves, &c. Ad res mobiles reducuntur debita, & actiones ad illa obtinenda. Immobiles sunt res corporales, quæ locô moveri non possunt, ut domus, fundus, &c. Ad res immobiles revocantur incorporeæ, ut servitutes ad aliquid non semel, sed iteratis vicibus faciendum, jura & actiones ad immobilia; item beneficia, census, reditus, jus patronatus, usufructus, &c. his præsuppositis

Dicimus 1mo. Res mobiles alicujus privati, vel etiam cujusvis Ecclesiæ cum titulo per possessionem triennalem bona fide continuatam præscribuntur. Instit. §. 1. tit. *de usucap.* Item Authenticâ *Si quas actiones.* Cod. *de sacrosanctis Ecclesiis.* 161

fiis. referturque Cap. *Placuit.* Cauf. 16. q. 3. Diximus *cum titulo.* quia res mobiles fine titulo non præfcribuntur nifi fpatiô 30. annorum, ex Leg. *Sicut in rem,* Cod. *de præfcrip. triginta vel quadraginta annorum.*

162 Dicimus 2do. Res immobiles privatorum inter præfentes decenniô, inter abfentes viginti annis cum titulo præfcribuntur, ex Inftit. tit. *de ufucap.* ubi dicitur inter præfentes decenniô, inter abfentes viginti annis res immobiles ufucapi.

Dictum eft 1mo. *cum titulo;* quia, fi defit titulus, inter præfentes requiritur poffeffio triginta annorum; inter abfentes quadraginta: Leg. *Si quis emptionis,* §. *Quòd fi quis,* Cod. *de præfcrip.* 30. *vel* 40. *annorum* Ex Authentica autem, *Quòd fi quis,* Cod. *de præfcript. longi temporis;* fi quibusdam annis præfens fit Dominus, quibusdam verò abfens, adjiciuntur ei fuper decennium tot anni, quot ex decennio fuit abfens; nimirùm fi per triennium abfuerit, præfcriptio 13. tantùm annis abfolvetur.

Dictum eft 2do. *Res immobiles privatorum;* nam ex cap. *Illud,* cap. *Quia,* & cap. *Ad aures, de præfcrip.* requiruntur 40. anni ad præfcribendum contra Ecclefiam diftinctam à Romana: dicimus, *diftinctam à Romana;* nam citatâ Authenticâ, *Si quas actiones,* Cod. *de facrofanctis Eccles.* adversùs Ecclefiam Romanam non præfcribitur nifi per poffeffionem centum annorum. Debent autem res illæ, quæ tantùm centum annis præfcribuntur, pertinere immediatè ad Ecclefiam Romanam; nam fi pertineant ad inferiorem, quamvis indè aliquo modo præjudicetur Ecclefiæ Romanæ, 40. annis præfcribuntur.

Ad Ecclefias revocantur hofpitalia, Monafteria, & quæcumque loca, quæ habent bona ad pias caufas relicta. Sunt quædam Monafteria & Collegia Regularium, quorum res immobiles nonnifi 60. annorum fpatiô præfcribi poffunt. Hoc privilegium conceffit Eugenius IV. Ordini S. Benedicti.

Advertendum, majus tempus requiri, 163
quando præfcriptio dormit, vel interrumpitur. Dicitur dormire, quando jam inchoata ceffat; quod fit 1mo. tempore belli vel peftis, quando homines fugiunt in aliud territorium, vel quando jus non redditur. 2do. Quando Ecclefia caret Rectore; tunc enim contra eam ceffat præfcriptio. 3tio. Si is, contra quem agitur, non poffit agere, qualis eft pupillus durante pupillari ætate. Dicitur autem interrumpi præfcriptio, quando poftquam inchoata eft, ita ceffat, ut non debeat continuari cum præcedenti tempore, five interumpatur naturaliter, putà definente poffeffione, aut bona fide; five interrumpatur civiliter, fcilicet per actum juridicum, putà litis conteftationem, vel citationem. Difcrimen hoc eft inter tempus, quo dormire dicitur præfcriptio, & illud, quo interrumpitur, quòd continuentur priores anni cum pofterioribus dormientis præfcriptionis, licèt non numerentur anni, quibus dormit: at fi fuerit interrupta præfcriptio, non continuatur: fi tamen actor rem non profequatur, non interrumpitur præfcriptio, quia qui litem fponte deferit, cenfetur ejus injuftitiam agnoviffe.

Cæterùm datur adversùs præfcriptio- 104
nem remedium, nempe reftitutio in integrum (*a*), quæ conceditur 1mo. Minoribus, id eft iis, qui annum 25tum. nondum expleverunt. 2do. Ecclefiis & piis locis, etiamfi præfcriptio fit 40 annorum; quia Ecclefia eft inftar pupilli & minoris. 3tio. Majoribus, non quidem in præfcriptione 30. aut 40. annorum, fed in præfcriptione 10. aut 20. annorum, modò probent præfcriptionem, aut omninò fine negligentia fua, aut cum probabili fua igno-

(*a*) Reftitutio in integrum, eft *remedium, quo tribuitur alicui poteftas fuam rem fibi vindicandi.*

ignorantia fuisse peractam: habent autem annos 4. postquam resciverint expletam esse præscriptionem, intra quod tempus à beneficio restitutionis in integrum non excluduntur. &c.

V.

165 *De cæteris acquirendi dominii modis.*

Præter hactenus acquirendi dominii modos, adhuc alii numerantur, scilicet Alluvio, specificatio, accessio, commixtio, confusio, ædificatio, cultura, satio, & nativitas, alveus, Insula.

Alluvio dicitur, cùm flumen ex uno prædio detrahit, & alteri adjicit; quod fieri potest vel paulatim, sensimque, & dicitur *incrementum latens*: vel subitò & repentina vi fluminis, & dicitur *incrementum patens.*

Incrementum latens accrescit etiam usufructuario; patens verò proprietario duntaxat; quia in priori casu censetur remanere idem fundus: in posteriori verò æstimatur diversus. Feudatarius tamen & emphyteuta utriusque incrementi commodum capere debent, quia proprietarii vicem gerunt. *Instit. lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 20. *&* 21.

166 Specificatio dicitur, cum res aliqua seu species vel opus aliquod ex aliena materia ab alio conficitur, ut si ex ligno vicini tui domum tuam ædifices. Refert autem utrùm materia insumpta ad priorem statum reduci possit nec ne. In primo casu species seu opus pertinebit ad dominum materiæ: v. g. ex tuo argento à me fabricatum vas tuum erit. Altero casu ad eum spectabit, qui speciem seu opus formavit: v. g. vestis ex alienis lanis confecta pertinebit ad eum, qui formavit: si tamen mala fide species confecta est, à pristino domino vindicari poterit. *Instit. cit. loc. n.* 25.

167 Accessio dicitur, cùm quid ornatûs causâ alteri rei adjicitur; ut si quis alienam domum pinxerit, si partem aliquam toti addiderit, ut ansam vasi, pedem statuæ, tunc accessionis jure adjectum cedit Domino rei, quia, ut fert Reg. 28. Jus in 6. *accessorium sequi congruit naturam principalis* Si tamen ornamentum rem, cui adjectum est, pretiô longè superet, ornamentum habebitur pro principali, & ad eum pertinebit, à quo prodiit, ut si quis in aliena tabula pinxerit: siquidem *ridiculum esset picturam Appellis in accessionem vilissimæ tabulæ reputari*, ait Justinianus loc. cit. n. 34.

Commixtio & Confusio inter se dif- 168
ferunt in eo, quòd, quæ confusa sunt novam speciem pariant, sic vinum & mel confusa faciunt mulsum, quod est alia species liquoris; mixta verò in eadem remanent specie, ut grana tritici. Si res permixtæ separari possint, ut oves in grege permixtæ, debent separari; si non possint, ut mel & vinum semel confusa; seu casu fortuito, seu ex utriusque domini consensu confusæ fuerint, utriusque erunt.

Quod spectat ad ædificationem, cultu- 169
ram, sationem, & nativitatem; certum est 1mo. quod in nostro ædificatum est, nostrum esse; quia ædificium accedit solo. Sed attendendum est, an bona, an mala fide quis ædificaverit; si enim bona fide, ei solvendæ sunt impensæ, secus si ex mala fide. Si verò quis ex aliena materia in suo solo ædificaverit, si id bona fide egerit, atque materiâ alienâ usus sit, non tenetur nisi ad solvendam ejus æstimationem; si verò mala fide, tenetur insuper de omni, ut ajunt, interesse, de lucro cessante, de damno emergente, &c. 2do. Quod ex nostris agris nascitur, ad nos pertinere, sicut & quæ ex nostris animantibus proveniunt, nostra fieri, si tamen ex animantibus fœminei sexûs; nam partus sequitur ventrem: hinc planta, quam invenimus in nostro solo radices egisse, nostra est, secùs si radices non egerit. Instit loc. cit n. 29. 30. 31. & 32. Item Leg. 38. ff. *de rei vindicat.*

Si

170 Si fluvius alveô priori derelictô, alium sibi quærat, vetus alveus vicinis prædiis cedit; novus verò fit publicus, sicut flumen. Quòd si fluvius novum hunc alveum derelinquat, & ad antiquum recurrat; rursùs novus alveus, à quo recessit fluvius, eorum esse incipit, qui propè ripam ejus prædia possident: ex æquitate tamen veteribus dominis restituendus esse videtur.

171 Insula, quæ in mari nata est, fit occupantis. Insula in flumine aut rivo nata pertinet ad eos, ad quos flumen vel rivus spectat.

SECTIO II.

172 *De reliquis speciebus Juris in re.*

Inter alias Juris species numerantur Ususfructus, usus, habitatio, emphyteusis, feudum, libellus, superficies, servitus, pignus, & hypotheca, quibus affinis est possessio, de qua egimus paragrapho præcedenti.

§. I.

De usufructu, & usu.

Ususfructus Leg. 1. ff. *de Usufructu* definitur, *Jus utendi & fruendi rebus alienis, salvâ earum substantiâ.*

Dicitur 1mo. *Jus*, ut distinguatur ab Usufructu actuali, qui dicitur *usus facti.* 2do. *Utendi*, ut distinguatur à jure, quod habet creditor in pignore vel hypotheca, aut depositarius in deposito; his enim rebus uti non possunt. 3tio. *Fruendi*, ut distinguatur à mero usu: nam simplex usuarius habet solummodò usum rei, nec ejus fructus percipere potest, secùs verò Usufructuarius, qui enim habet usumfructum pecudum, habet etiam eorum fœtus, lanam, lac, &c. *Instit. lib. 2. tit. 4. &c.* Dicitur 4to. *Rebus alienis.* Ususfructus enim est servitus, quæ nonnisi in rebus alienis constitui potest: *Nemini enim res sua servit, sed prodest jure dominii.* l. 26. ff. *De servit. præd. rustic.* Dicitur 5to. *Salvâ earum substantiâ;* quia usufructuarius debet rem integram proprietario reservare. Quare ususfructus propriè non est in his rebus, quæ usu consumuntur, quales sunt vestes, numerata pecunia, vinum, oleum, &c. ex Instit. §. *Constituitur.* tit. *de usufructu.* Diximus *propriè usumfructum non esse in rebus, quæ usu consumuntur:* nam etiam impropriè cadit ususfructus in res hujusmodi, quatenus scilicet alicui traduntur, qui cautionem dare debet, se rem, vel rei æstimationem præscripto tempore redditurum: atque ea ususfructus species non differt à mutuo, nisi quia mutuum fidejussorem per se non exigit.

Sequitur 1mo. Eum, qui habet usum- 173
fructum totius armenti vel gregis collectivè sumpti, teneri restituere totidem capita in locum mortuorum ex fœtu, quem percipit; quæ ubi substituta fuerint, cedunt in dominium proprietarii. Inst. *De rer. divis.* §. 38. si tamen singulorum capitum divisim, non gregis collectivè sumpti, usumfructum habuerit, non tenetur ad illa substituenda capita in locum eorum, quæ perierint, ex Leg. 70. ff. *De Usufructu.*

Sequitur 2do. Si quis sit usufructua- 174
rius vineæ aut sylvæ, locô arborum aut vitium demortuarum tenetur alias plantare, nisi tempestate, aut simili casu eversæ sint. L. 18. ff. *De usufructu.* & Leg. 59. eod. tit.

Sequitur 3tio. Si usufructuarius sit 175
ædium, tenetur modicas expensas conferre de suo ad earum reparationem, ut integræ permaneant; secùs si vetustate corruerint. Ei quoque incumbunt alia onera, vel tributa solvenda, quæ rei sunt imposita. Tenetur etiam ad rationabilem rei usum, & se gerere debet tanquam bonus paterfamilias, qui rem sibi & suis in poste-

posterum conservare cupit. Inst. *de rer. divis.* §. 38.

176 Ususfructus dupliciter acquiritur 1mo. per dispositionem legis, & tunc dicitur legalis; & hoc modô pater habet usumfructum bonorum adventitiorum filii. 2do. Hominum voluntate, putà testamentô, venditione, stipulatione; hic dicitur *conventionalis*.

177 Finitur autem Ususfructus 1mo. per mortem Usufructuarii. 2do. Si res in qua ususfructus constitutus est, pereat, ut si domus incendiô consumatur; nec reviviscit, etsi ædes denuò reficiantur. 3tio. Si usufructuarius tanto tempore jure suo non utatur, quantò opus est, ut dominus directus contra eum præscribat; id est trienniô, si agatur de mobilibus; si verò de immobilibus, decenniô inter præsentes, & vicenniô inter absentes 4to. Si usufructus ab usufructuario domino proprietatis cedatur. 5to. Si ad certum tempus vel ex Lege, vel ex conventione constitutus sit, exactô eo tempore finitur: quod si relinquatur Ecclesiæ vel Civitati, absque ulla temporis determinatione, finitur post 100. annos, quia *is finis vitæ longævi hominis est*. Leg. 56. ff. *de usufr.* 6to. Per capitis diminutionem *maximam*, qua scilicet quis libertatem, civitatem & familiam amittit, ut ei evenit, qui ad operas, ad carcerem perpetuum, ad triremes (*b*), & ad mortem, cujus sententiæ executio differtur, damnatus est; & *mediam*, quæ civitatis & familiæ, non verò libertatis amissionem involvit, ut cùm quis in exilium relegatur. Non verò *minimam*, quæ solam familiæ mutationem importat, ut si quis, relictâ suâ, in aliam familiam per arrogationem migret. Per maximam & mediam igitur capitis minutionem cessat ususfructus, quia sic diminuti cives esse desinunt, & pro mortuis habentur. Ergo extinguitur ususfructus tum morte naturali, quæ omnia jura solvit, tùm morte civili; civiliter autem moriuntur, 1mo. Qui peremptoriô & ultimô judiciô ad mortem damnati sunt. 2do. Qui carcere pertuo, triremibus, exiliove ultra annos 9. duraturis mulctantur. &c. prout dictum.

178 *Usus* definitur *Jus utendi tantùm re aliena ad suum, non verò ad alienum usum.*

Dicitur *utendi tantùm*, ut intelligatur, multò minùs juris competere usuario, quàm fructuario; nam ut habetur Inst. *de usu & habitatione*, qui fundi nudum usum habet, nihil amplius habere intelligitur, quàm ut oleribus, pomis, floribus, fœnô, & lignis ad usum quotidianum utatur. Tandem qui usum ædium habet, ipse solus eas habitare potest, vix illi licet hospitem suscipere. Similiter qui solum usum pecorum haberet, iis quidem uti posset ad stercorandum agrum suum; sed non posset uti agnis, lacte, lana, &c. quia ista sunt in fructu.

179 *Usus* ab aliquibus duplex statuitur, alius irrevocabiliter concessus, quomodò in mutuo conceditur usus pecuniæ, panis, & vini. Alius revocabiliter concessus, qualis est usus ciborum, & vestium, quæ Monasterii superior concedit Religioso subdito: ita enim horum usum concedit, ut ad libitum revocare possit.

180 Huc pertinet celebris quæstio illa, quæ olim magno animorum æstu agitata fuit, an videlicet in rebus, quæ unico usu consumuntur, possit usus à Dominio distingui. Id contendunt Religiosi Fratres Minores dicti, atque profitentur se abjicere rerum omnium dominium etiam in communi, nudumque earum usum habere: ita ut panis, quem comedunt, vestes quibus vestiuntur, vel ad dantes, vel ad Romanos Pontifices pertineant, ex quorum licentia bibunt & manducant.

Id fictitium aliqui existimant, quin & Joannes Papa XXII. in Extravagante *Ad conditorem* profitetur se abdicare à se & à Sede Apostolica omne dominium harum rerum,

(*b*) Qui ultra 9. annos duraturi sunt.

rerum, ne Fratres Minores prætendant illud esse apud Sedem Apostolicam. Et certè qui hujusmodi res unico usu consumptibiles eisdem Fratribus Minoribus dant, eas utique eisdem irrevocabiliter concedunt.

Quamvis igitur Joannes XXII. in citata Extravagante negaverit ejusmodi usum separari posse à dominio; tamen contrarium asseruit Nicolaus Papa III. cap. *Exivit, qui seminat, de Verb. significatione.* Ubi omnem proprietatem tam in speciali, quàm in communi à Fratribus Minoribus abdicari decernit.

Hæcque sententia variis exemplis suaderi potest: 1mo. Religiosus peccaret contra votum paupertatis, si panem in usum sibi à Superiore concessum, vel alteri daret, vel Superiori repetenti reddere nollet. Ergo cùm de pane hoc non possit ad libitum disponere, sequitur ipsum ejus non habere proprietatem. 2do. Conviva habet usum ciborum sibi appositorum; nec tamen potest dici eorum habere dominium, utpotè qui aliis eos dare aut vendere non permittatur; imò ab illis sumendis semper prohiberi potest ab eo, qui illum invitavit, isque cibos jam mensæ impositos removere, aut pauperibus largiri potest. Ergo conviva usum habet sine dominio. 3tio. Apud Fideles primitivæ Ecclesiæ omnia erant communia. Ergo nihil habebant proprii, adeoque usum eorum, quibus vescebantur, habebant, non autem dominium. 4to. Denique suadetur hæc opinio ex eo, quod dominium rei non habeat, nisi qui illud acceptare voluerit. Atqui possunt Fratres Minores nolle acceptare dominium rerum, quæ ipsis dantur, sed usum duntaxat pro dantis, aut alteris nutu revocabilem. Ergo.

Atque hanc Fratrum Minorum sententiam adprobârunt & confirmârunt præter Nicolaum III. suprà citatum summi Pontifices Clemens V. & alii complures.

§. II.

De Habitatione & Emphyteusi. 181

Habitatio definiri solet, *Jus habitandi in alienis domibus salvâ earum substantiâ.*

Habitatio domûs in Jure Civili distinguitur ab usu domûs: qui enim solum usum haberet domûs, eam per se habitare teneretur; qui verò Jus habitationis habet non solùm in ea domo per se degere, sed etiam aliis locare potest, ex Inst. ubi sup. n. 5. Hinc patet habitationem proximè accedere ad usumfructum. Porro Jus habitationis totâ Legatarii vitâ perdurat, nisi aliter conventum fuerit.

Emphyteusis est *Contractus quo res aliqua imobilis possidenda & fruenda sub certa & annua pensione traditur.* L. 1. ff. *Si ager vectig.* Porro Emphyteusis vox græca latinè idem significat ac *insero*, vel *consero*; quia hîc contractus inventus est, ut agri steriles & inculti meliorentur, quod fit ferendo, plantando, &c. Usus tamen obtinuit, ut etiam fœcundæ terræ in emphyteusim dentur. 182

Qui rem ipsam accipit, dicitur, Emphyteuta; quod traditur, res Emphyteutica; pensio quæ solvitur, canon; nec debet tanta esse, quanta perciperetur ex annuo censu; nec tam solvitur ob emolumenta, quæ à re emphyteutica percipiuntur, quàm in agnitionem directi, quod penes alium manet, dominii: quapropter Emphyteuta pensionis hujus remissionem petere nequit, nisi re tota pereunte, vel ab hostibus capta, ex Glossa in cap. finale *de locatione.*

Emphyteusis ab Usufructu differt tripliciter, 1mo. Quia Emphyteuta potest transferre jus suum in alium, non Usufructuarius. 2do. Ususfructus est in rebus mobilibus, non Emphyteusis. 3tio. Ob Emphyteusim debetur pensio, non ob Usumfructum. Adde, quòd Ususfructus morte fructuarii finiatur, non semper 183

Emphyteusis; potest enim dari in perpetuum, vel ad plures generationes.

184 Emphyteuta potest expelli, si pro Ecclesiastica Emphyteusi per biennium, pro sæculari per totum triennium pensionem non solverit, L. 2. Cod. *De jure Emphyt. &c.* Sed expulsio hæc per Judicem, partibus vocatis, decerni debet. Expulsus autem Emphyteuta impensas, quas in meliorando fundo fecit, repetere non potest: debet tamen Judex, habita meliorationum ratione, congruum dilationem Emphyteutæ concedere, ut vel solvere, vel Emphyteusim suam alii vendere possit, quod sine consensu Domini facere potest, L. 3. Cod. *De Jure Emphyt.*

§. III.

185 *De Feudo, Libello, & Superficie.*

Feudi nomen à fœdere, vel à fide seu fidelitate, quam Vasallus domino præstare debet, derivatum videtur; est enim quoddam genus clientelæ propter dignitatem, vectigal, vel prædium datum, ea lege, ut qui accipit, & ejus posteri, beneficii auctorem perpetuò noscant.

Definitur, *Contractus, quo rei immobilis dominium utile alicui sub fidei, & obsequii conditione traditur à domino rei ejusdem proprietatem retinente.* Qui dat dicitur Infeudator: qui accipit Vasallus seu Feudatarius: quod datur res feudalis, aut etiam Feudum, sive sit prædium, sive officium, aut quid aliud immobile, vel quod pro immobili habetur.

Multa olim erant Emphyteusim inter & Feudum discrimina, quæ nunc non subsistunt, ex quo Feudum non ad mares solùm sed & ad fœminas devolvitur, & onera tam personalia quàm realia suscipit.

186 *Libellus* est contractus, quo Emphyteuta, aut Vasallus rem suam emphyteuticam aut feudalem ab aliquo acceptam cedit tertio in emphyteusim aut feudum; adeò ut sit velut subfeudum, & subemphyteusis. Qui rem ejusmodi accipit, dicitur libellarius.

Superficies est jus, quo quis superfi- 187
ciem alieni soli possidet, & in eo ædificare potest. Qui eo jure gaudet dicitur superficiarius: proprietas autem domûs superficiariæ pertinet ad dominum soli: ædificium enim cedit solo, in quo construitur. Superficiarius tamen dominium utile habet; unde usufructuarius latiùs sumptus dici potest.

§. IV.

De Servitute. 188

Servitus definitur *Jus, quod quis habet in re aliena, ut sibi serviat:* dicitur *in re aliena*, quia res domino proprietatis propriè non servit, sed prodest.

Duplex est, alia *realis*, *personalis* alia. Prior est ea, quæ à re debetur immediatè alteri, seu per quam res rei servit; sic dominus domui servit, cujus stillantes aquas excipit, sic ager tuus meo servit, quatenus ager meus dat mihi jus, ut possim per tuum transire. *Personalis* est ea, qua res personæ obligatur, vel persona rei; ut si jus habeam non propter agrum, sed aliundè hac transeundi; persona verò rei; ut si Titius agrum meum excolere debeat. Ususfructus, Usus & Habitatio sunt propriè servitutes personales.

Servitus Realis dividitur in *urbanam* 189
& *rusticam.* Urbana est, quæ urbano prædio debetur; rustica quæ rustico. Prædium autem urbanum dicitur vel habitaculum, etiamsi villa sit, vel hortus amœnitatis causâ ei annexus. Rusticum verò sunt agri, prata, pecorum stabula à domibus sejuncta.

Servitutes urbanæ sunt v. g. ut ædes non possint altiùs attolli, ne officiant vicini

cini luminibus: fenestram in muro aperire non liceat. Hujusmodi servitutes dicuntur negativæ. Affirmativæ verò sunt, ut ædium mearum stillicidium in ædes, vel aream tuam recipiatur, ut lignum in tuum parietem mittatur, & ex domo mea in domum tuam transitus pateat.

190 Servitus rustica vel est nominata, vel innominata: Nominatæ species sunt; iter, actus, via, aquæ ductus. Iter est jus eundi, ambulandi, non tamen agendi jumentum aut vehiculum per alterius fundum: Via est jus eundi, ambulandi, & agendi jumentum aut vehiculum &c. Atquæ ductus est jus aquæ ducendæ per alienum fundum. Ad innominatam pertinent aquæ haustus, pecoris ad alterius locum adpulsus, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, &c. ex vicini prædio.

191 Servitus acquiritur seu constituitur, aut voluntate præsentium, aut emptione, aut donatione, aut testamentô, aut contractu, ex §. ult Inst. *de servit. prædior.*

Finitur autem 1mo. contrariis pactis, aut ipsa redditione servitutis: 2do. Exacto tempore, ad quod fuit concessa: 3tio. Præscriptione: 4to. Reductione prædiorum ad ejus dominium, cui serviebant, ex Leg. 1. §. *Quemadmodum servitutes amittantur.* 5to. Alluvione, quamvis servitus in pristinum statum restituatur cessante alluvione.

De pignore & hypotheca dicemus cap. seq. de Contractibus. Sit igitur

192

Caput III.

De Contractibus.

Contractus præcipui actus esse dignoscuntur, per quos Justitia exercetur; quorum materia etsi quidem ex se ipsa ad Juris peritos pertineat, ejus tamen notitiam omnibus Theologis, præsertim verò Confessariis summopere necessariam esse, nemo est, qui, in animarum regimine tantisper versatus, ambigere possit: cùm hac nostra ætate, si unquam, fraus, dolus, & avaritia adeò subtiliter se involvant, ut in errorem etiam ii aliquando inducantur, quibus nec scientia deest, nec ingens detegendæ veritatis cupido. Ergo de Contractibus præsenti capite agemus, quod propter materiæ amplitudinem in binas Sectiones dividemus, in quarum prima de Contractibus in genere; in secunda verò de variis eorundem speciebus disseremus. Sit igitur

Sectio I.

De Contractibus in genere. 193

Ut omnia quæ ad Contractûs generatim sumpti naturam pertinent complectamur, exponendum nobis est, 1mo. Quid & quotuplex sit Contractus. 2do. Quinam contrahere possint. 3tio. Quis consensus ad contrahendum requiratur; an consensui huic noceant dolus, error, aut metus. 4to. Quam & quando obligationem pariat Contractus. Sit

§. I.

De natura & divisione Contractûs.

Contractus sic dictus est, juxta Scotum, quia duorum vel plurium voluntates in unum trahit.

Dupliciter sumitur latè videlicet, & strictè. Priori modô sumptus idem est ac *pactum* quod Leg. 1. ff. *de pact.* definitur, *Duorum, pluriumve in idem placitum consensus*, saltem in alterutro obligationem pariens, ut subintelligunt omnes Juristæ & Theologi. Strictè sumptus est *Actus externus inter duos aut plures, ex mutuo eorum consensu ultro citroque obligationem pariens.*

Dicitur 1mo. *Actus externus ;* actus enim merè internus, etsi respectu Dei cordium inspectoris sufficere possit, respectu hominis tamen non sufficit, quia ut talis nec cognosci, nec acceptari potest. Dicitur 2do. *Inter duos aut plures;* quia idem homo secum contrahere nequit. 3tio. *Obligationem pariens ;* obligatio enim est onus, quod mutuò sibi imponunt contrahentes, ut v. g. unus laboret, alter laboris stipendium solvat. 4to. *Ultro citroque* seu ex utraque parte; & sic Contractus strictè sumptus distinguitur à Contractu latè sumpto seu pacto, quòd hoc præscindat à mutua obligatione, ut patet ex ejus suprà data definitione, ille verò semper mutuam indicet.

194 Contractus dividitur 1mo. In *formalem* seu expressum, & *virtualem* seu implicitum. Contractus *formalis* seu expressus est ille, quo duo vel plures expressè conveniunt de eadem re cum obligatione mutua; vel saltem unius erga alterum, si nempè Contractus latè sumatur. Contractus verò *virtualis* est, quando tacitè & implicitè de aliquo convenitur: sic Judex, Medicus, Tutor, cùm hæc officia suscipiunt, eo ipso se virtualiter & implicitè obligant ad præstandam operam omnem, quam adhibere solent ejusdem conditionis homines erga eos, in quorum gratiam hæc munera exercent; & il vicissim, si non expressè, saltem implicitè spondere censentur, se id retributuros, quod vi legis, aut consuetudinis sancitum est. Hæ tacitæ Conventiones vocantur *Quasi-contractus*, & vim habent ex justitia obligandi, sicut & ipsi contractus expressi.

Dividitur 2do. in *nominatum*, qui nomen proprium habet, ut emptio, locatio, mutuum, &c. Et *innominatum*, qui proprium nomen non habet, sed genericum duntaxat contractûs aut pacti. Hujus sunt quatuor species, scilicet, *do ut des*, *do ut facias*, *facio ut des*, *facio ut facias*, Leg. 5. ff. *de præscrip. verb.*

Dividitur 3tio. *In gratuitum*, & *onerosum.* Prior qui & lucrativus dicitur, est in quo aliquid accipitur & nihil rependitur, ut donatio, promissio liberalis, commodatum, &c. Atque hic contractus est latè sumptus, obligationem utrimque non pariens. *Onerosus* est ille, in quo utrimque aliquid datur & accipitur, ut emptio, locatio, &c.

4to. In Contractum *bonæ fidei*, & *stricti juris.* Contractus bonæ fidei sunt ii, in quibus servari debet non solùm id, de quo conventum est, sed etiam id, quod æquum & bonum Judici videtur, quamvis non sit expressum in contractu; quia censetur tamen secundùm bonam fidem eidem inesse: tales sunt emptio, locatio, conductio, negotiorum gestio, mandatum, depositum, commodatum, societas, pignus, permutatio, &c. Contractus stricti juris sunt, qui strictam verborum interpretationem postulant, ita ut obligatio secundùm verba, & non ampliùs extendatur: tales sunt Emphyteusis, Census, Donatio, Mutuum, Stipulatio, &c. Vota Deo facta sunt veluti contractus stricti juris, qui ultra voventis verba & intentionem non extenduntur. Hæc distinctio parùm refert ad forum conscientiæ: & verò omnes penè actiones, non tam attento verborum rigore, quàm ex æquo & bono dijudicari debent.

5to. Dividitur in *nudum*, & *vestitum.* *Nudus* est mera conventio carens firmamentô, quo pariat actionem in foro externo: talis est omnis contractus innominatus, antequam sit ex altera parte impletus, nisi accedat formula stipulationis, vel juramentum. *Vestitus* est conventio innixa aliquo firmamento, vi cujus pariat actionem civilem, qualia sunt Scriptura, testes, juramentum.

6to. In eos, qui re seu traditione rei perficiuntur, ut mutuum, commodatum, precarium, depositum, pignus: Et in eos, qui solo consensu perficiuntur,

tur, cujusmodi sunt emptio, venditio, locatio, conductio, societas, mandatum, emphyteusis, &c.

7mo. Demum in *purum*, cui nullam adjicitur accidens, nulla conditio; & *non purum*, cui additur aliquod accidens; & hic est quintuplex: 1mus. dicitur *ad diem*, cui præfigitur dies: ut si dicas, promitto tibi centum nummos, sed non solvendos ante diem Paschæ. 2dus. dicitur *ad conditionem:* ut promitto tibi centum nummos, si artium lauream obtinueris. 3tius. *ad modum*, cùm additur modus, sub quo contractus obliget: ut promitto tibi hanc summam, ut expensas studiorum sustinere possis. 4tus. *ad causam*, cùm fit ob aliquam causam: ut do tibi pecuniam, quia pauper es. 5tus. *Ad demonstrationem*, cùm apponitur aliquod signum ad rem vel personam ostendendam: ut do tibi centum nummos in tali arca reconditos, vel quos mihi debet Joannes.

§. II.

195 ***De causa efficiente contractûs seu quinam contrahere possint.***

Omnes consentiunt, quod omnes & soli rationis usu prædìti, qui liberam habent bonorum administrationem, seu legitimam facultatem disponendi de illis, validè contrahere possint. Ratio est aperta: nam contractus est actus humanus, qui solùm humanô modô, id est, cum advertentia & libertate fieri debet, adeoque requirit rationis usum; est etiam actus, quo de re aliqua disponitur, undè requirit quoque in contrahente liberam disponendi facultatem. Atqui positô liberô rationis usu, & jure disponendi non ligato, nihil ultrà potest requiri ad facultatem contrahendi. Ergo.

Verùm, ut mox dictum, in hoc omnes conveniunt, undè potiùs hic ex hoc communi Doctorum asserto deducendum venit, quinam ergo ad validè contrahendum sint inhabiles. Ac quidem

1mo. Inde in patulo est, quòd infan- 196
tes, qui videlicet septimum ætatis annum nondum compleverunt, amentes, furiosi, ebrii, prodigi curatorem habentes, validè contrahere haud possint; quia illis desunt vel ex parte vel ex toto conditiones ad validè contrahendum requisitæ, quas mox memoravimus.

2do. Nec uxor potest contrahere, nec disponere de bonis familiæ, & dote ejusque fructibus, marito præsente, & valente bona illa administrare, rationabiliter invito. Ratio est, quia quamvis totius dotis, & dimidiæ partis bonorum communium proprietas pertineat ad uxorem, tota tamen administratio bonorum familiæ & dotis pertinet ad virum, utpote caput familiæ. Potest tamen ipsa disponere de aliis bonis, quæ præter dotem attulit, & sibi reservavit, cùm horum habeat & proprietatem & admininistrationem.

Diximus, *Marito præsente &c.* Nam si sit absens, amens vel fatuus, tunc uxor bona familiæ dispensare potest. Si item maritus expressè vel tacitè consentiat in impensas vel contractus uxoris; vel si sit rationabiliter invitus, ut si recusaret ea, quæ sunt necessaria ad suam, & familiæ sustentationem congruentem, potest uxor in his casibus uti bonis familiæ, sed prudenter & moderatè.

Modò quædam deducenda veniunt de 197
filiis-familias, & pupillis, &c. Qua de re in memoriam revocanda veniunt, quæ alibi jam adnotavimus (c); scilicet quòd ii

(c) Physicæ particularis part. 2. cap. 3. tit. De corporis humani augment. diminut. Temperam. & ætat. differentiis

ii *Infantes* dicantur, quibus annus ſeptimus nondum completus eſt. *Impuberes* verò ſi mares ſint, ii, qui necdum habent completos quatuordecim annos, aut duodecim ſi ſint fœminæ; quæ cur citiùs puberes ſint, hæc ratio ab aliquibus redditur, quòd mala herba creſcat citiùs. *Proximi pubertati* ii dicantur, qui propinquiores ſunt termino, in quo incipit pubertas, quàm in quo deſinit infantia: unde filii, qui habent decem ætatis annos cum dimidio, proximi pubertati vocantur; filiæ verò ſatis eſt, ſi novem annos cum dimidio aſſecuta ſit. Poſt pubertatem adeptam filii-familias utriusque ſexus dicuntur *Minores*, donec pervenerint ad annum 25tum, quo completo *Majores* vocantur. Filius annis 25. minor extra patriam poteſtatem conſtituitur per *litteras emancipationis*, quæ ab anno 14to. obtineri poſſunt; quamvis communiter non obtineantur niſi ab iis, qui annum ætatis 18. attigerunt. Pupillus eſt impubes, qui deſiit eſſe ſub poteſtate patris, propter ejus mortem, vel emancipationem. Jure Romano pupillis & impuberibus dantur *Tutores*, à tuendo vel tutando dicti; minoribus verò *Curatores*; prout alibi jam adnotavimus. Denique Paterna poteſtas eſt jus, ſecundùm quod legitimi filii ac filiæ, aliique deſcendentes per lineam maſculinam, quoad certos effectus ſubjiciuntur patri & avo paterno. Quare ſi v.g. Petri filius legitimus, & non emancipatus filios & filias legitimè procreaverit; omnes erunt in poteſtate Petri. His ita præſuppoſitis

198 Dicimus 3tio. Filius-familias, qui puber eſt, aut pubertati proximus, poteſt contrahere & ſe obligare tùm naturaliter tùm civiliter, modò contractus non ſit in præjudicium patris, vel alterius, ex Lege *Filius-familias.* ff. *De actionibus & obligationibus.* Idem dicendum de minore & pupillo pubertati proximo. Quod ſi tamen læſus fuerit, uti poterit beneficiô reſtitutionis in integrum.

199 4to. Filius-familias impubes, nec pubertati proximus, non obligatur ex contractu etiam circa bona caſtrenſia, etſi accedat patris conſenſus. Ex Inſt. *de inutilibus ſtipulat.* §. *Sed quòd* 10. Obligaretur tamen pupillus, ſi cum tutoris conſenſu contraxiſſet, quia recurſum habet in tutorem, ſi malè auctoritatem & conſenſum præſtet; at verò filius-familias patrem non habet ſibi obligatum.

200 5to. Quamvis, ut ſuprà jam diximus, Infantes validè contrahere non poſſint, quia vel rationis uſum non habent, vel comparantur rationem non habentibus; tamen ex primùm cit. §. *ſed quod* ff. *de inutilibus ſtipul.* Pupilli infantes vel infantiæ proximi ſaltem in ſuum commodum contrahere poſſunt, ſicut & pupilli pubertati proximi.

201 6to. Minores & pupilli pubertati proximi ſine auctoritate tutoris validè contrahunt cum Majore in ſuum commodum, non autem in ſuum incommodum, ex loc. cit. §. *Pupillus.* Quod jura ſtatuerunt in utilitatem & favorem ætatis illius, ut ſcilicet Minoribus ætas in damnis ſubveniret, & in proſperè geſtis non obeſſet. Hinc ſi pupillus ſine auctoritate tutoris, aut Minor ſine auctoritate curatoris, aliquid emerit, non poteſt venditor pupillum aut Minorem compellere ad dandum pretium: ſi tamen velit pupillus ſtare contractui, cogere poteſt venditorem actione civili ad tradendam mercem pro pretio conſtituto. Sed ſi venditor pupillo mercem tradidit non acceptô pretiô, poteſt repetere mercem ſuam, & pupillus ſeu minor tenetur in conſcientia eam reſtituere; nam *nemo licitè locupletari poteſt cum alterius injuria vel jactura*, ex reg. jur. 48. in 6. quòd ſi dolô vel culpâ pupilli aut Minores res tradita perierit, eam ſolvere cogitur, L. 1. ff. *depoſ.* Si verò merx illa vel amiſſa, vel absque dolo conſumpta fuerit, non plus

in

in foro civili solvere compellitur pupillus aut minor, quàm ditior factus est.

202 7mo. Res immobiles, aut etiam mobiles, quæ servando servari possunt, ut aurum, argentum, gemmæ, vestes, cæteraque mobilia pretiosa, à pupillis & minoribus, etiam cum tutoris auctoritate, alienari non possunt, nisi accedat Judicis licentia, & probatio causæ exigentis, ut hæc alienatio fiat, v. g. causâ æris alieni solvendi, aut alimentorum necessariò comparandorum, &c. ex. L. 22. Cod. *de administ. tutor. & curat.* Secùs de mobilibus, quæ servando servari non possunt, id est, per triennium sana & salva custodiri non possunt juxta Gloss. in Leg. unic. Cod. *Si adversùs usucapionem.* Qualia sunt vinum, vestes usu detritæ, &c. quæ validè cum auctoritate tutoris, & non aliter, alienari possunt, ex Leg. *Qua*, Cod. *de administ. tutor.*

203 8vo. Pupillus vel minor pecuniam, quam sine consensu tutoris vel curatoris mutuam accepit, tenetur solvere, si eam in usus necessarios vel utiles impenderit, ex L. 5. ff. *de Authorit. & consensu tutor.* ibi: *naturaliter obligabitur, in quantùm locupletior factus est.* Ex pecunia autem in tales usus consumpta factus est ditior, nam tantumdem rebus suis pepercit. Et verò, ut jam dictum est, iniquum est quemquam locupletari cum damno alterius, maximè bona fide mutuo dantis. At non tenetur, si eam in usus inutiles consumpserit; quia Leges nolunt eum ullo modo obligari, ne ejus bona inutiliter consumantur, ex Leg. cit. & Leg. 53. ff. *de oblig. & act.* ibi: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, nequidem jure naturali obligatur.* Excipe, nisi mutuans bona fide putaverit, pupillum eam pecuniam impendere velle in suam utilitatem; nam tunc naturalis æquitas solutionem exigit: nec lex intendit privare debitô alterum bona fide procedentem, & gratificari volentem. Similiter Pupillus aut minor non tenetur solvere id, quod ludô, qui species est contractûs, perdidit.

§. III.

De causa formali contractûs, seu consensu. 204

Superfluum videtur quidquam de causa materiali, seu idonea materia contractûs loqui; certum quippe est, omnia bona, quorum quis dominium habet & administrationem, quæque sub commercium cadunt, esse materiam contractuum; quia bona illa possunt transferri in dominium & administrationem, vel usum alterius. Superest ergo, ut de causa formali contractuum dicamus. Porro causa formalis, seu forma contractûs consistit in consensu, & in verbis consensum exprimentibus. Videndum igitur 1mo. Quis & qualis consensus ad contrahendum requiratur. 2do. An consensus ille cum errore, dolo & metu conciliari possit.

Quantùm ad 1mum. Ex communi, consensus debet esse 1mo. verus seu internus, ac mutuus, ut patet ex contractûs definitione, ad quem requiritur duarum vel plurium voluntatum conventio. Atqui ubi deest consensus internus, ibi nulla esse potest voluntatum conventio: conventio enim voluntatis, ejusdem actum & assensum importat; cùm autem voluntas negativè se habet, non consentit; à fortiori non consentit, cùm positivè renititur. Ergo. Et certè consensus fictus non est magis consensus, quàm homo pictus re ipsa sit homo, &c. 2do. Debet aliquo signo externo, id est, vel nutu, prout muti & surdi contrahunt, vel verbis, vel scripturâ exprimi; alioqui consensus unius non potest cognosci ab alio, nec proinde acceptari, 205

&

& vicissim; sicque non possent convenire in idem, &c. 3tio. Debet esse liber, & plene deliberatus: nam sine plena deliberatione seu advertentia nemo censetur velle suscipere in se obligationem ex genere suo gravem. Deinde quilibet contractus etiam latè sumptus debet esse actus simpliciter humanus. Qui ergo contrahit fictè, hoc est sine animo verè contrahendi, vel se obligandi, 1mo. peccat contra justitiam, & quidem, in re gravi, mortaliter, & reus est mendacii perniciosi: nam in quolibet contractu utrimque obligatorio lex justitiæ præscribit, ut uterque verè contrahat, & ne alter alterum decipiat. 2do. Quamvis non obligetur directè & immediatè vi contractûs ficti, qui nullus est; tamen tenetur in conscientia, ratione injuriæ alteri factæ, impedire damnum, quod indè alteri posset oriri, & illatum resarcire, quia posuit ejus causam per injustam deceptionem. Imò tenetur tollere deceptionem ipsam, & verè contrahere, contractumque ùt verum implere; nam ex justitia tenebatur verè contrahere, & sic injuriam fecit fictè contrahendo; nisi tamen excusaret alia justa causa, quo casu, semper damnum ex deceptione ortum resarciri debet.

206 Quantum ad 2dum. Not. (*d*) 1mo. quòd *Error* sit judicium falsum, seu existimatio falsi. *Errare*, inquit S. Augustinus relatus c. *In quibus*, causâ 22. quæst. 2. *est unum pro alio putare* *Dolus malus* est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. L. 1. ff. *de dolo malo*. lib. 4. tit. 3. *Metus* verò secundùm Ulpianum est futuri & instantis periculi causâ mentis trepidatio, seu inquietudo ac perturbatio.

2do Error vel dolus potest esse 1mo. Circa substantiam rei, de qua contrahitur, ut si emas vitrum pro gemma, vel circa naturam contractûs, ut si consentias in contractum, quem putas esse commodationem, cùm sit locatio; vel circa motivum substantiale seu principale contractûs, ut si Titio promittas mille aureos, quia putas esse consanguineum tuum cùm non sit. 2do. Circa accidens, seu accidentalem rei qualitatem, vel principalis motivi contractûs. Porro in multis contractibus ratio personæ se habet tantùm accidentaliter, ut in venditione, &c. In quibusdam verò habet se ùt motivum substantiale, ut in donatione, & promissione liberali; vel ut substantia objecti, ut in matrimonio.

Not. 3tio. Illud censetur pertinere ad 207
substantiam rei in contractibus, ad quod ex communi hominum usu, vel dispositione legis præsumitur saltem implicitè & virtualiter restricta contrahentium intentio, ita ut illo sublato tollatur intentio contrahendi.

4to. Duplex est motivum contractûs; 208
unum intrinsecum ac substantiale, quod est id, in quod voluntas primariò fertur, dum contrahit, ut in matrimonio acquisitio dominii in corpus conjugis, in emptione acquisitio rei venditæ, &c. Et aliud extrinsecum contractui, estque causa tantùm impulsiva ad contrahendum, ut nobilitas, divitiæ in matrimonio, &c.

5to. Not. Error vel dolus potest esse an- 209
tecedens vel concomitans. Antecedens est, qui dat causam contractui, ita ut sine illo non fuisset initus Concomitans seu incidens est ille, qui non dat causam contractui, sed solùm alicui conditioni ejus, aut circumstantiæ, in quantùm scilicet sine illo contractus fuisset initus, sed alia conditione, v. g. viliori pretiô res fuisset empta, si aliquis defectus innotuisset.

Not. 6. Ex dictis tract. de act. hum. cap. 1. §. 2. Metus alius est gravis, alius levis. Metus gravis iterum est duplex, alius absolutè gravis, alius respectivè. Metus

(*d*) Vid. c. 1. §. 2. Tract. de Act. hum. ubi de ignorantia, metu, &c. voluntarium imminuentibus.

Metus gravis absolutè, qui ideò dicitur cadens in virum constantem, est mali alicujus in se gravis & instantis vehemens opinio: talis est metus diuturni carceris, exilii, jacturæ bonorum omnium, mutilationis, ac præsertim vicinæ mortis; nam mors distans non ferit, quippe omnes intelligunt se aliquando morituros, nec tamen inde cruciantur. Metus gravis respectivè est timor mali alicujus, quod etsi virum constantem non commoveat, meritò tamen formidandum videtur certis quibusdam personis, quales sunt fœminæ, senes, pueri, aut homines à natura meticulosi. Metus verò levis est ille, quo timetur malum leve, vel grave quidem, sed non verisimiliter impendens. Ad metum gravem refertur metus reverentialis, seu timor habendi parentem aut Superiorem diu ac graviter infensos, quod præcipuè locum habere intelligitur, cùm præcedunt graves minæ, aut verbera.

211 Not. 7mo. Metum oriri posse vel ab intrinseco, ut ab infirmitate; vel ab extrinseco: extrinsecum verò illud vel est necessarium & naturale, ut naufragium, incendium; vel liberum, ut homo; homo autem vel justè metum incutit, ut Judex, qui stupratori exilium minatur, nisi ei, quam corrupit, certam pecuniæ summam eroget; vel injustè, ut dum sicarius gladium intentat, nisi bursam porrigas.

212 Not. 8vo. Metus ab extrinseco vel incutitur ad obtinendum contractum, vel alia de causa, & in alios fines. His prænotatis

Dicimus 1mo. Error vel dolus circa substantiam rei, vel naturam contractûs, vel motivum intrinsecum ac substantiale irritum facit contractum. Ratio est, quia deest consensus in aliquid substantiale, quod ignoratur: voluntas enim non fertur in incognitum, ex leg. 11. & 41. ff. *de contrah. empt.* & leg. 9. Cod. *de jur. & facti ignor.* ibi *cùm nullus sit errantibus consensus.* Atqui sine consensu circa omnia substantialia contractûs, nullus est contractus, utpotè à libera voluntate pendens, ut constat ex ejus definitione. Ergo &c.

Nihil autem refert sitne error antecedens, quo scilicet sublato contractus non iniretur; vel concomitans, quo nempe etiam sublato, contractus adhuc fieret; quia illo posito non adest consensus substantialis, ob defectum cognitionis, *cùm non consentiant, qui errant: quid enim tam contrarium consensui, quàm error?* Leg. 15. ff. *de jurisdict.* Atqui nihil subsistit sine eo, quod est de illius substantia.

Ex his colligitur 1mo. Quòd si putarem tibi vendere agrum, & tu putares eum tibi donari, nulla est venditio, nã erratur in specie contractûs. 2do. Venditio vasis ærei pro aureo nulla est. 3tio. Nullum est matrimonium cum Berta, quæ putatur esse Titia. 4to. Si emas oleum volens emere vinum, non valet contractus, etiamsi ita affectus sis, ut oleum etiam & fortè libentiùs emisses quàm vinum; quia nullus fuit consensus circa oleum, sed circa vinum. Similiter si occidisti Petrum Clericum, quem ex errore invincibili putabas esse Paulum Laicum, excommunicationem non incurristi, licèt Petrum libentiùs occidisses, utpotè tibi inimiciorem. 213

Dicimus 2do. Dolus vel error circa accidens seu qualitatem rei accidentalem, nec dans causam contractui non irritat contractum. 214

Ratio est, quia talis error aut dolus non tollit consensum verum & sufficientem; tùm quia necesse non est, ut, qui

qui contrahit, omnes rei qualitates noscat, alioqui vix ulli forent validi contractus; tùm quia in tali contractu deceptus, non habet animum huic contractui exprefsè vel tacitè repugnantem, vult enim actu contrahere, & id adhuc vellet, licèt minori pretiô, si rei qualitatem, quam nescit, perspectam haberet.

215 Ex his colligitur 1mo. Quòd si rem pluris emeris, quàm valeat, validus sit contractus; venditor tamen tibi restituere tenetur excessum pretii non solùm supra summum, sed etiam supra illud justum, quo, sublatô dolô, res vendita fuisset: quia excessus dolô fuit extortus, ideoque quoad illum facta est injuria.

2do. Quòd contractus talis irritari à decepto non possit; quia dolus seu injuria non fuit causa contractûs; & per restitutionem excessûs pretii tollitur injuria, & deceptus constituitur in eo statu, in quo fuisset dolô sublatô.

3tio. Imò etiamsi error vel dolus circa accidentalia, vel causas, quæ alliciunt, aut avocant à contractu, det causam contractui, non tamen invalidat contractum, ex leg. 5. Cod. *de inutili stipul.* & Leg. 5. Cod. *de rescind. vendit.* Quia cùm error vel deceptio non sit circa substantialia, non impedit consensum substantialem, & sic perficitur essentialiter contractus: accidentia enim & extrinseca non tollunt substantiam rei. Idque patet in contractu matrimonii, quod juxta omnes valet, etiamsi contrahatur cum paupere, eò quòd putetur dives. Nec refert, quòd si scivisses illam qualitatem, vel conditionem rei, non contraxisses; nam actus iste voluntatis, qui sub conditione talis cognitionis futurus fuisset, non est actu nec virtualiter, & sic nihil efficit, nec impedit consensum actualem absolutum & sufficientem: aliàs omnes ferè contractus nulli essent. Error tamen circa qualitatem invalidat contractum, quando contrahens exprefsè vel implicitè non vult contrahere, nisi Objectum sit tali qualitate affectum: nam tunc qualitas illa simul cum substantia rei ingreditur Objectum substantiale contractûs: & non est voluntas contrahendi, nisi posita illa qualitate tanquam conditione.

Dicimus 3tio. Quoties error vel dolus circa qualitatem dans causam contractui provenit à parte contrahente, contractus, etsi validus sit, ut dictum, potest tamen rescindi pro voluntate decepti, si solubilis sit: secus si talis error vel dolus aliunde & ipsa parte contrahente inscia proveniat. 216

Ratio 1mi est, quia decipiens injuriam facit, quam tollere tenetur, auferendo dolum, & restituendo deceptum in eum statum, in quo erat ante contractum, & sic reddendo omnia infecta, si deceptus velit. Deindè *fraus & dolus cuiquam patrocinari non debent*. c. 5. *de empt.* ac proinde deceptus habet jus dissolvendi contractum, & tollendi obligationem illam, si voluerit consensum revocare. Quare talis contractus obligat decipientem absolutè & irrevocabiliter, cùm sit validus, nec ipse jus habeat ipsum rescindendi; deceptum verò revocabiliter, & conditionatè tantùm, si nempe nolit contractum rescindere: quia si velit stare contractui, tenetur deceptor excessum pretii pro merce vitiosa accepti reddere. Diximus, *si solubilis sit*; nam iis, quæ constituunt statum ex natura sua firmum & irrevocabilem, qualia sunt matrimonium, & professio Religiosa, voluntas naturæ rei, de qua agitur, accommodat se & consentit absolutè, irrevocabiliter, & independenter ab

ab aliis conditionibus, quæ non sunt de substantia talis contractûs.

Ratio 2di. est, Quia pars contrahens non fecit ei injuriam, unde nec tenetur restituere alium in priorem statum, ac libertatem, sed solùm reddere excessum pretii, ut reponatur æqualitas. Excipitur promissio gratuita, & liberalis donatio: nam possunt revocari pro arbitrio decepti, si error vel dolus circa notabilem quantitatem causam dederit, quamvis non proveniat à promissario, vel donatario. Quia in illis pactis unus solùm se spontè & ex liberalitate obligat, ideoque pendet ab illius solius voluntate, ut pacto apponat conditionem, vel limitationem quam voluerit, qualis est hæc, ut nolit obligari saltem irrevocabiliter, si notabilis sit error, vel mutatio. Excipiuntur etiam Sponsalia, utpote in quibus major requiritur libertas, eò quòd ordinentur ad mutuum amorem, & ad contrahendum indissolubile matrimonii vinculum.

217 Dicimus 4to. Metus sive absolutè, sive respectivè gravis etiam injustè incussus ad extorquendum consensum non irritat contractum, adeoque contractus ex tali metu initus validus est saltem jure naturæ. (*d*)

Ratio est, quia metus etiam gravis, neque voluntarium neque liberum perimit, eo ipso, quòd non tollat usum rationis nec sufficientem deliberationem, prout in Tract. de Act. Hum. cit. c. 1. §. 2. & alibi ostendimus.

Nec obstat, quòd contrahens nollet contrahere, si metus abesset, nam, ut supponitur, verè consentit; & conditio nihil ponit in re, sed relinquit absolutam electionem ad vitandum majus malum. Et verò hæc duo diversa sunt, *volo contrahere*, & *nollem contrahere, si metus abesset.*

Excipiuntur sequentes contractus, qui, si ex metu gravi & injusto fiant, ipso jure sunt irriti. 1mo. Matrimonium, cap. *Requisit. de sponsal.* quod communiter extenditur ad ipsa sponsalia. 2do. Professio religiosa, c. *Perlatum, de his, quæ vi, &c.* 3tio. Contractus dotis promissæ, vel solutæ, Leg. *Si mulier*, 21 §. *Si dos.* ff. *de eo, quod metûs causâ.* 4to. Promissio vel traditio rerum ad Ecclesiam pertinentium, cap. *Pervenit*, 2. *de jurejurando.* 5to. Auctoritas seu consensus tutoris per metum extortus, leg. 1. §. ult. ff. *de auctor. tutor.* 6to. Jurisdictio metu extorta seu prorogata, leg. 2. ff. *de judiciis.* Quæ Glossa in cap. *Abbas, de iis quæ vi, &c.* sequentibus versibus expressit:

Tutor, judicium, dos, sacrum, copula, votum.
Hæc ex vi facta, de jure scias fore nulla;
Cætera jus patitur, sed posteà restituentur.

Dicimus *Jure saltem naturali*, tanta enim est Legum Civilium hoc in puncto varietas, ut vix satis certò dignosci possit, an hujusmodi contractus Jure etiam positivo validi sint.

Porrò ex asserto nostro facilè colligitur, Metum gravem, sive ab intrinseco, ut est metus mortis ab infirmitate proveniens, sive ab extrinseco naturali, ut à tempestate & procella procedens timor est, sive ab extrinseco libero vel justè, ut cùm sub pœna excommunicationis, & illius metu, qui sponsalia contraxit, ad matrimonium com-

(*d*) Vid. inf. p. 3. Encyclop. Exercit. 20. n. 64.

compellitur, vel injustè sed non ordinatò ad extorquendum consensum in contractum, sive ille fiat cum eo, qui metum injecit, sive cum alio, incussum non invalidare contractum. Enimverò, si metus injustè ad extorquendum consensum, non invalidat contractum, eò minùs recensitæ metûs species eum invalidabunt.

218 Dicimus 5to. Contractus factus ex metu quocumque gravi injustè incusso ad extorquendum consensum, ad arbitrium illius, qui talem metum passus est, rescindi potest.

Habetur ex leg. 21. ff. *De eo, quod metûs causâ*, ibi: *Si metu coactus adii hæreditatem, puto me hæredem effici: quia quamvis si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui; sed per Prætorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur.* Et leg. ult. Cod. *De his quæ vi.* Ibi: *Venditiones, transactiones, donationes, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari.* Ratio est: quia æquum non est, ut qui injuriam fecit, ullum ex ea commodum reportet. Atqui qui gravem incutiendo metum consensum ab alio ad contractum extorsit, fecit ei injuriam, quæ fuit causa contractûs alioqui non futuri. Ergo æquum non est, ut ullum ex ea commodum reportet. Ergo tenetur tollere ac resarcire injuriam, & omnia incommoda inde manantia, & læsum in priorem statum libertatis restituere, omniaque damna compensare etiam ante omnem Judicis sententiam: ac proinde metum passus habet jus recuperandi suam priorem libertatem independenter à sententia Judicis. Imò tertius possessor tenetur reddere metum passo rem metu injusto exortam, si hic eam repetat, ex leg. 14. ff. *de eo quod metûs causâ, &c.* Quia revocato consensu res illa pertinet ad priorem possessorem, & non potuit ad alium transire nisi vitiò metûs affecta, & cum obligatione revertendi ad suum priorem Dominum pro ejus arbitrio. Id etiam locum habere videtur, etiamsi metus non à contrahente, sed à tertio incuteretur. Quia consensus per injuriam extortus non transfert rem solidè & irrevocabiliter, sed eo modo, ut maneat jus in rem, & non solùm in personam, quæ injuriam fecit: par enim non est, ut quis per injuriam alterius jus omne in rem suam amittat. Deinde ratione injuriæ res est in priorem statum restituenda; ergo obnoxia est restitutioni ubicumque fuerit. Cæterùm constat contractum hujusmodi metu gravi injustè incusso initum rescindi posse auctoritate Judicis, & dari actionem non solùm in personam, quæ metum intulit, sed etiam in rem, ad quemcumque demum illa pervenerit, leg. 9. ff. *De eo, quod metûs causâ.*

Diximus 1mo. *Metu gravi*, nam me- 219
tus *levis* qui in jure dicitur *vanus*, non præsumitur dedisse causam contractui, & ob hanc præsumptionem, & ne lites multiplicentur, in foro externo non admittitur exceptio, nec datur actio ad rescindendum contractum, ex Reg. 114. *de Reg. Jur. in 6.* ibi: *vani timoris justa exceptio non est.* Tamen si metus levis injustus verè dederit causam contractui, ita ut, eo sublato, non fuisset datus consensus, juxta multos potest in foro conscientiæ rescindi contractus pro voluntate ejus, qui metum passus est; quia qui metu injusto, licèt levi, extorquet consensum, facit alteri injuriam, quam proinde tenetur tollere ac resarcire, restituendo coactum in priorem statum: unde hic habet jus ad hanc restitutionem, & redditionem rei suæ, si velit rescindere contractum.

Di-

220 Diximus 2do. *Ex metu quocumque gravi* id est, sive absolutè sive etiam respectivè tantùm gravi. Nam metus respectivè gravis idem præstat, quod metus absolutè gravis; homines enim meticulosæ indolis non minùs commoventur levibus malis, quàm viri fortè gravioribus: ideoque metus respectivè gravis involuntariam sui repugnantiam æquè creat.

221 Diximus 3tio. *Injustè incussô.* Nam si metus fuerit justè incussus, contractus irritandus non est ex leg. *Si mulier*, §. *de eo quod metûs causâ.* Quare si quis ex justa sententia Judicis cogatur matrimonium contrahere, valet matrimonium: item si filia in matrimonium consentiat, ex metu, ne patris id expetentis, sed non minitantis, indignationem incurrat, validus etiam est jure positivo ejus consensus; tùm quia metus ille censetur levis; tùm quia non est injustè incussus: pater enim nullam ei injuriam fecit proponendo tale matrimonium.

222 Diximus 4to. *Metu incusso ad extorquendum consensum.* Nam si metus fuerit alia de causa incussus ab alio tertio etiam injustè, contractus non potest rescindi: ut si quis in latrones incidens, metu ne ab illis occidatur, vel spolietur, alteri, qui injuriæ particeps non est, promittat pecuniæ summam, ut eum liberet, tenetur promissa complere: quia tunc metus non est propriè causa contractûs, sed solùm occasio; nec contractus est metu extortus: sed cùm metus ob aliam causam sit injectus, adhibetur spontè contractus tanquam medium ad metum illum pellendum. Qui tamen metum illum injustè incussit, tenetur ad restitutionem damnorum; nam est illorum prima causa, vel saltem injusta occasio, ex cap. ult. *de injur.* Idem dic de metu à causa naturali vel interna orto; nam talis metus citra omnem injuriam provenit, & à nullo alio quis ad contrahendum compellitur nisi à se ipso; sed de hoc à nobis jam dictum.

§ IV.

Quam & quando obligationem pariat Contractus. 223

Obligatio generatim definitur, *Vinculum, quo astringimur ad aliquid dandum, aut faciendum, aut patiendum, vel non dandum aut non faciendum.*

Generatim duplex est, alia quæ fundatur in convenientia, diciturque *antidoralis*, & inducit debitum non rigorosum; talis est obligatio, qua quis tenetur in suum benefactorem gratus esse, alia quæ fundatur in necessitate, & inducit debitum ex præcepto, seu charitatis, aut Religionis; seu justitiæ, hæcque posterior est effectus contractûs.

Obligatio ex justitia triplex est, 1ma. 224 Naturalis tantùm, quæ nascitur ex solo jure naturali, & semper obligat in conscientia, quamvis in foro externo non det actionem. 2da. Civilis tantùm, quæ parit actionem in foro externo ob aliquam præsumptionem, quamvis in conscientia non obliget. 3tia. Naturalis & civilis simul seu mixta, quæ obligat tùm in foro interno, seu conscientiâ, tum in foro externo, in quo parit actionem.

Obligatio ratione principii quadruplex assignatur in Instit. lib. 3. tit. 4. 225 *De obligat. aut enim ex contractu, aut quasi ex contractu est, aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio.* Obligatio ex contractu est ea, quam parit contractus quilibet, eaque quatuor modis fit, re,

verbis, litteris, consensu, prout patet ex hactenus dictis. Obligatio quasi ex contractu est ea, quæ citra conventionem nascitur ex facto non turpi; ut cùm quis negotia absentis gessit bona fide sine litteris ac mandatis, obligatus est ei dominus, cujus negotia gessit, ita ut tali administratori detur actio contra dominum, qua potest repetere ea, quæ insumpsit: Si verò malè rem domini gessit, huic contra administratorem datur actio damni illati. Instit. lib. 3. tit. 28. Obligatio ex maleficio est ea, quæ oritur ex ipso maleficio, v. g. ex furto, rapina, damno, injuria, &c. Inst. lib. 4. tit. 1. Obligatio denique quasi ex maleficio, seu ex quasi delicto illa est, quam v. g. Judex contrahit, qui cùm litem alterius suam fecerit malè per imperitiam judicavit; aut ille, ex cujus cœnaculo, vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis habitat, dejectum, effusumve est aliquid, quod alicui transeunti nocuit, &c. Instit. lib. 4. tit. 5. His ita prænotatis

226 Dicimus 1mo. Omne pactum validum, etiam nudum, parit obligationem in conscientia, licèt in foro externo non tribuat actionem, nisi juramentô confirmetur. Ratio est 1mo. Quia ad talem obligationem, supposita materiæ capacitate & personarum habilitate, ex natura rei sufficit consensus mutuus signô externô declaratus; nam per illum datur alterutri vel utrique jus aliquod, quod violare non licet: nec plus jure gentium requiritur: *quid enim tam congruum Fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare?* L. 1. ff. *de pact.* 2do. Cap. 1. *de pactis*, generaliter deciditur, pacta esse custodienda, & ad id paciscentes censurâ compellendos esse. 3tio. Lex divina & naturalis obligat ad servandam fidem datam, eamque violare per se malum est: & re ipsâ si unicuique liceret pro nutu pactam fidem violare, periret humana societas, quæ sine tali fide stare nequit.

227 Diximus *validum*, nam omnis contractus jure positivo absolutè irritus nullam parit obligationem in conscientia; quia re vera nullus est, & perinde se habet, ac si factus non esset; cùm annullatus sit per legitimam potestatem, cui voluntates & bona subditorum subjiciuntur. Quòd si contractus non sit ipso facto irritus, sed tantùm irritandus, obligat in conscientia, donec à Judice irritetur.

228 Addidimus, hujusmodi pactum *in foro externo non parere actionem, nisi juramentô confirmetur.* Quia tunc desinit esse nudum, transitque in vestitum, atque aliquo firmamento, juramento scilicet, nititur, vi cujus parit actionem civilem, prout sup. §. 1. adnotavimus.

229 Dicimus 2do. Contractus defectu solemnitatis à jure requisitæ & imperatæ jure positivo invalidus non obligat in conscientia, atque nullus est in utroque foro.

Ante asserti hujus nostri probationem, Not. Solemnitates esse quosdam ritus, seu conditiones, quæ secundùm leges in contractibus adhiberi debent, v. g. certus numerus testium, &c. nunc

Prob. assertum 1mo. Tam potest Princeps vel Respublica certas quasdam apponere contractibus conditiones, quibus sublatis illi non valeant, quàm id possint privati homines in privatis, quos inter se ineunt, contractibus. Atqui hujusmodi conditiones quotidie apponunt privati, quibus sublatis non valeant contractus. Ergo.

2do. Ab actu ad posse legitima est consecutio. Atqui de facto appositæ sunt

sunt variis contractibus certæ conditiones, quarum defectu iidem non valent. Sic irritæ sunt etiam in foro conscientiæ certæ quædam maritum inter & uxorem donationes legibus contrariæ; sic non valent matrimonia clandestina; contractus pupilli sine tutoris auctoritate, &c. Et sanè hæc potestas, quæ in Ecclesia & Republica agnoscitur valdè expedit, imò est necessaria ad bonum commune, & ad rectam administrationem; necnon voluntas & bona subditorum subjiciuntur potestati legislativæ in ordine ad bonum commune, & rectam illorum gubernationem.

230 Not. Non omnem contractum factum contra Legem esse invalidum, nam *multa fieri prohibentur, quæ facta tenent*; ut constat ex Jure. Sic valet venditio rei jam alteri venditæ, sed nondum traditæ, quamvis sit illicita.

231 Dicimus 3tio. Contractus vi, metu injusto vel dolo extortus, vel injuriam continens ab eo, cui juratur, illatam, non firmatur juramentô, ita ut rescindi non possit. Neque contractus jure naturali invalidus juramentô firmatur; ut & contractus solo jure positivo irritus, si irritatio facta sit immediatè & principaliter propter bonum commune, non firmatur juramentô.

Tres sunt hujus asserti partes, quæ antequam probentur, Not. 1mo. Aliud est juramentum esse validum, & aliud juramentô contractum firmari. Ut juramentum validum sit, satis est, ut possit & debeat servari ob honorem divini nominis; & hoc contingere potest, quamvis per illud nullum jus acquirat is, in cujus favorem juratum est; ut si juraveris te latroni, ne mortem inferat, certam pecuniæ summam esse soluturum; unde inducit solam religionis obligationem, quæ tota respicit Deum. Ut verò juramentum firmet contractum aliquem, necesse est, ut eum validum efficiat, ideoque non solùm inducit obligationem religionis, sed etiam justitiæ, & jus alteri tribuit; ita ut ille, quocum contraxisti, præter obligationem juramenti propriam, quæ tota est in ordine ad Deum, jus habeat justitiæ, & ex ea contractûs executionem urgere possit, etiamsi juramenti relaxationem obtinuisses; quia relaxatio hæc tolleret quidem obligationem ex religione, non autem eam, quæ esset ex justitia.

Not. 2do. Juramentum sive firmet contractum sive non, est validum & obligat, quando servari potest sine peccato & damno alterius. ex cap. 8. & 28. *de Jurejur.* Quia divini nominis reverentia exigit, ne Deus in testem falsitatis adducatur; quod fieret, si juramentum, quod sine peccato &c. servari potest, non obligaret. Quod si verò tale juramentum sine peccato aut præjudicio alterius servari non possit, tunc non obligat, ex Reg. Jur. 58. *De Reg. Jur. in 6.* ibi: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.* Item ex recepto axiomate, juramentum non est vinculum iniquitatis, nec quemquam cogere potest ad injustè, aut malè agendum. Atqui juramentum necessariò foret vinculum iniquitatis, si obligaret, cùm sine peccato servari non potest. His prænotatis

Prob. 1ma. pars. 1mo. ex variis capitibus tit. 24. *De jurejur.* in quorum 1mo. mandat Gregorius III. ut *Creditores ad juramenta, super usuris sibi solvendis præstita, relaxanda Ecclesiasticâ districtione compellantur.* In 2do. absolvitur à juramento Laudicen. Episcopus, *quia nefanda coactione juravit.* In 8vo. postquam dixit Alexander III. *Non esse tutum quemlibet contra juramentum suum* 232

veni-

venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ: ostendit tamen Ecclesiam Romanam consvevisse à talibus juramentis absolvere. Ergo juramenta ad confirmandos contractus quocumque modo extorta, non ita eos firmant, ut non rescindi possint. 2do. Quia qui alii intulit injuriam, eam reparare & resarcire tenetur, & alium restituere in priorem statum & libertatem. Ergo jus illius non est firmum, cùm ei renuntiare debeat, qui ipsum extorsit, & possit jurans ob acceptam injuriam, quam juramentum nullatenùs tollit, petere & obtinere juramenti relaxationem, qua obtenta cessat omnis obligatio. Hinc quamvis usuræ juratæ solvi debeant ex obligatione religionis, cap. 6. *de Jurejur.* cùm licitè solvi possint: tamen promissio illas solvendi non firmatur juramentô, nec usurarius jus ullum ad illas acquirit, sed tenetur solutas restituere, ex cap. 6. *De Jurejur.* Idem dic de promissione facta furi ex metu ab eo injustè incusso.

233 Secunda pars patet ex eo, quòd juramentum, utpotè contractui extrinsecum, nihil in ejus substantia immutet. Ergo non efficit, ut quod ex se invalidum est, validum fiat, aut supplere defectum substantialem, propter quem contractus est irritus, potest.

234 Tertia pars prob. 1mo. ex cap. 12. *De foro compet.* ubi dicitur Clericus non posse etiam cum juramento renuntiare foro suo, & promittere se compariturum coram Judice sæculari, quia privilegium fori in gratiam Ordinis Clericalis statutum est; privata autem pactio publico juri derogare non potest. 2do. Quia talis contractus eo ipso vergit in detrimentum boni publici, adeoque juramentum, quod ei accedit, est de re illicita, & sic nullum parere potest effectum.

Hinc non valet juramentum sponsalibus ex metu contractis appositum; quia inde sequerentur odia & lites, quæ publicæ paci adversantur. Pariter non valet juramentum quo Clericus donationem concubinæ factam confirmare niteretur, quia hæc donatio prohibita est in favorem publicæ utilitatis & honestatis: Nec etiam valet juramentum militis confirmans donationem ab eo meretrici factam; ob eandem rationem.

Diximus ibidem, *si irritatio facta fit immediatè & principaliter propter bonum commune.* 235 Nam si facta sit immediatè ac principaliter propter utilitatem privatam duntaxat contrahentium, tunc talis contractus, etsi jure positivo irritus, tamen juramentô firmatur, modò absit injustitia ex parte illius, cui juratur. Quia 1mo. tales contractus accedente juramento transferunt dominium, & dant actionem, tùm ex Jure Civili, Leg. *Sacramenta*, lib. 2. tit. 18. Cod. *Si adversùs venditionem.* ibi: *Sacramenta puberum spontè facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inviolabiliter custodiantur.* Tùm ex Jure Canonico. cap. 28. *De jurejur.* ubi statuitur contractum, quo uxor consentit in alienationem fundi dotalis, qui jure positivo irritus est, servari debere, si accesserit juramentum *sine vi & dolo* præstitum. Et cap. 2. *De pactis* in 6. ubi statuit Bonifacius VIII. ut *pactum patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, quamvis hoc improbet lex civilis; si tamen juramentô non vi nec dolô præstitô firmatum fuerit, ab eadem omninò servari debeat, utpote quod non vergat in æternæ salutis dis-*

dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. Igitur cùm jura tunc negent jus repetendi, & reclamandi, quod concedunt, quando juramentum dolô vel metu extortum eft, agnofcunt jus juftitiæ tunc oriri, & volunt valere contractum ob reverentiam juramenti. 2do. Quisque renuntiare poteft favori pro fe directè & principaliter per legem introducto, nifi aliunde hoc prohibeatur: licet enim nobis cedere juri & bono privato, cujus domini fumus: hac autem pofita renuntiatione, perinde eft ac fi non extaret Jus pofitivum. Atqui fublato Jure pofitivo contractus ex fe & ex natura fua firmus, ut fupponitur, eft, adeoque ex fe obligat ex juftitia. Ergo pofitô juramentô, quod propriam fuam religionis obligationem inducit, renafcitur, ut ita loquamur, obligatio ex juftitia, quam contractus ex fe & ex fua natura habebat: adeoque talis contractus juramentô firmatur, id eft, duplicem parit obligationem, aliam quidem ex Religione, aliam verò ex juftitia.

Si tamen legislator ita talem contractum irritaret, ut eum nullam vim habere vellet in confcientia, quantumvis contrahentes velint, tunc non firmabitur juramentô: quia fubditus non poteft derogare poteftati ac voluntati Legislatoris; & juramentum, cùm fit acceflorium contractui, non poteft facere, ut id, quod non eft, valeat.

236 Dicimus 4to. Contractus fub conditione non parit obligationem ante conditionis impletionem, fi conditio illa fit honefta, poffibilis, de futuro contingenti, & in ipfomet contractu adjecta. Ratio eft, quia fufpendit confenfum, qui enim contrahit fub conditione, non intendit fe obligare, nifi pofita conditione.

Dicimus 1mo. *Si conditio illa fit honefta*; quia contractus factus fub conditione turpi, non inducit obligationem; nullus enim obligari poteft ad id, à quo tenetur abftinere. 2do. *Poffibilis*: quia conditio impoffibilis irritam reddit difpofitionem. Excipitur tamen contractus Matrimonii Cap. finali *de conditionibus appofitis*, ubi habetur: *Conditiones appofita in matrimonio, fi turpes aut impoffibiles fuerint, debent propter favorem ejus pro non adjectis haberi*, ac proinde non irritant matrimonium; adeoque illis non obftantibus valet matrimonium fecundùm præfumptionem fori externi fupponentis tales conditiones non feriò adjici. Valet etiam in foro interno, fi contrahentes habeant intentionem generalem contrahendi fecundùm leges Ecclefiæ prævalentem alteri intentioni particulari. Idem ftatuitur in favorem ultimarum voluntatum, ut funt teftamentum, legatum, & donatio mortis causâ. Nam etiam in illis conditiones impoffibiles, vel turpes, ex juris difpofitione habentur pro non adjectis, & difpofitio teftatoris manet abfoluta & valida, ex leg. 1. 6. 9. & 14. ff. *De conditionibus inftitutionum*. & ex Inftit. *De hæred. inftit*. Eoquòd intentio difponentis non cenfeatur his conditionibus alligata. Quod etiam valet in foro interno, faltem nifi conftet de contraria voluntate difponentis: nam homo rectè præfumitur voluiffe validè & fecundùm leges difponere de rebus fuis, nec voluiffe mori inteftatus, nec in re tanti momenti ludere & jocari faciendo actum irritum: & ideò meritò cenfetur ex errore potiùs, quàm jocô talem conditionem adjeciffe, putando effe poffibilem & honeftam, eoque fuiffe animo, ut fi impoffibilem vel turpem effe fciret, eam non apponeret, aut faltem eam non exigeret, fi aliàs difpofitio effet nulla. Item in ultimis voluntatibus pro non adjecta etiam habetur hæc conditio: *fi non nupferit*, leg. 100. ff. *De condit. & demonft*. Idque

que in favorem matrimonii, ut Respublica augeatur. Sed posteà jure Codicis hoc restrictum est ad primas nuptias, ita ut in secundis hæc conditio vim habeat, & si contrà facias, legatum amittas, Authent. *Cui relictum*, Cod. *De indicta viduit.* Hæc etiam conditio, *si religionem non ingrediaris*, pro non adjecta habetur ex Authent. *De Sanct. Episcop. cap.* 37. in favorem Religionis, quæ est status majoris perfectionis. Hinc si mulieri relicti sint mille aurei, *si nupserit*, ei debent tradi, licèt Religionem ingrediatur.

237 Diximus 3tio. *de futuro*; quia si conditio sit de præterito vel de præsenti, ut in hac hypothesi: *Do tibi si es meus consanguineus*, vel *si opus injunctum perfecisti*, jam conditio est impleta, nec potest suspendere consensum. Unde patet discrimen inter conditiones turpes de futuro, & inter conditiones turpes de præterito: quòd conditiones turpes de præterito non tollant obligationem & validitatem contractûs, cùm non inducant ad peccatum, sicut inducunt turpes de futuro, sed supponant peccatum jam factum.

Diximus 4to. *Contingenti*; nam si conditio certò & necessariò futura est, non suspenditur consensus; quia hujusmodi conditio habetur tanquam præsens & jam impleta: ut *Do*, *vendo tibi*, *si es moriturus*, *si cras Sol oriatur.*

238 Diximus 5to. *& in ipsomet contractu adjecta*; nam si apponatur post contractum, non suspendit consensum; quia supponitur contractus jam validus.

Dicimus 5to. Contractus *ad diem* statim inducit obligationem; cui tamen satisfacere non tenetur debitor ante præfixum diem. Contractus verò ad diem incertum, v. g. *cùm nupseris*, *cùm navis ex Indiis venerit*, suspendit consensum & obligationem; nam resolvitur in conditionalem, v. g. *si nupseris*, &c. leg. 1. ff. *De condit. & demonst.*

Dicimus 6to. Contractus *sub modo* statim obligat, nec irritus est, etiamsi modus non impleatur, nisi contrahens aliter expresserit; quia ex dictis, modus est aliquid consequens contractum, supponitque donantem actu & de facto jam dedisse, adeoque perfectam dispositionem consequitur duntaxat, non verò illam suspendit. 239

Diximus, *nisi contrahens aliter expresserit*; quia si legans Ecclesiæ v. g. in legato addidisset, *alioquin donatio nulla*, modô non impletô corruit legatum.

Ex his sequitur, hæredes legantis non posse sibi vindicare possessionem rei legatæ, eo prætextu, quòd non servetur modus, v. g. Missæ non celebrentur: sed solùm jus ipsis competit ad cogendum legatarium, ut Missas celebret, vel celebrari curet.

Dicimus 7mo. Contractus seu dispositio facta *ad causam* nulla est, si causa finalis non subsistat: quia non est voluntas dandi seu alienandi, nisi sub conditione, si causa finalis subsistat; &, sublatâ causâ volendi, non est volitio. Hinc res data ob causam retineri non potest, causa non subsistente. At valet dispositio, si sola causa impulsiva deficiat: quia dispositio non fit sub illius conditione, & subsistente motivo principali ac finali volendi, subsistit dispositio. 240

Not. tamen donationem certis aliquando de causis fieri, quæ non impediunt, quominùs ea valida sit, & absoluta. Sic si quid Cajo dederis, uttibi negotium aliquod habenti faveat,

va-

valet donatio, etsi Cajus tibi non faveat, quamvis sic hoc prævidisses, daturus non fuisses. Ratio est, quia quod dedisti, ideò principaliter dedisti, ut alterius animum in tuas partes allicere. Conditio autem tacita contractum non annullat, aliàs omnes penè contractus in irritum abirent: sic non dares alicui, si nosses eum posteà tibi contrarium fore; non conferres Beneficium, si scires eum, cui confers, à pietate ad vanitatem, cùm dives erit convertendum esse.

241 Dicimus 8vo. Error seu falsitas in *demonstratione* si sit circa substantiam aut personam, vitiat contractum; secùs si non sit nisi circa accidentia. Utraque pars probata manet ex eis, quæ superiùs dicta sunt de errore in contractibus. Hinc non valet contractus, si Titio dones summam, quam tibi debet Petrus, hic autem tibi nihil debeat. Sed si Petrus mediam summæ hujus partem debeat, valet contractus, quia error est tantùm in accidentibus. Valet pariter contractus, si dicas, *Dono Titio equum quem Argentorati emi*, licèt illum alibi emeris.

Quòd si verò e. g. quis dixerit, lego aureos decem, quos mihi debet Petrus, Petrus autem aureos centum debeat. Tunc observandum est, num demonstratio apposita sit *taxatè*, id est, ad restringendum id, quod datur; ut si testator dicat: *Lego centum aureos ex tali arca, vel ex iis, quæ mihi debet Petrus.* Vel apposita est *demonstrativè* solùm, ad denotandam scilicet rem, quam legans vult dare; ut si dicat: *do pecuniam, quæ est centum aureorum in tali arca, vel quam mihi debet Petrus.* Si prius, tunc ille solùm numerus debetur, qui expressus est, tunc enim constat mentem testatoris fuisse, ut non plura donarentur. Si verò secundum, debetur id totum, quod demonstratum est, v. g. ducenti aurei, imò & trecenti, si eos debeat Petrus, aut si reperiantur in arca, quia error in illa demonstratione est solùm accidentalis.

Porro hæc regula traditur ad dignoscendum an *taxatè*, an *demonstrativè* solùm apponatur demonstratio. Cùm incipit dispositio à numero vel mensura, ut v. g. *do centum aureos in tali saculo existentes*, vel *quinquaginta jugera talis prædii*: demonstratio censetur apposita *taxatè*, nec plus, quàm centum aurei vel quinquaginta jugera debentur, etiamsi amplius contineat sacculus vel prædium. Quandò verò dispositio incipit à re ipsa, quæ datur, deindè apponitur numerus vel mensura, v. g. do debitum Petri, quod est centum aureorum; vel prædium, quod constat centum jugeribus; tunc demonstratio apponitur *demonstrativè* tantùm, dandumque est legatario, quidquid debet Petrus, etiamsi debeat plus quàm centum aureos; & quidquid continet prædium, etiamsi contineat plus quam centum jugera. 242

SECTIO II.

De Contractibus in Specie. 243

Tot erunt hujus Sectionis Paragraphi, quot sunt Contractus in Specie. Incipiemus à contractibus onerosis, qui propriè magis, prout jam alibi annotavimus, contractus dicuntur. Ex contractibus onerosis autem, alii dominium rei transferunt, ut *permutatio*, *venditio*: alii retentò rei dominiò usum aut usufructum dumtaxat concedunt, ut *locatio*, *emphyteusis*.

Jam verò dominium tripliciter transferri potest per contractus onerosos 1mo. dando rem pro re, v. g. vinum pro oleo,

& talis contractus dicitur *permutatio.* 2do. dando pecuniam pro pecunia, ut argentum pro auro, & vocatur *Cambium*, aut *mutuum.* Denique dando rem pro pecunia, & est *venditio*, vel pecuniam pro re, & est *emptio*; de hac postrema contractuum onerosorum specie modò disseremus. Sit igitur

§. I.

De venditione & emptione.

Inter omnes contractuum species non occurrit celebrior & frequentioris usus, quàm venditio & emptio. Venditio definiri potest *Pactio mercis pro pretio.* Emptio autem *Pactio pretii pro merce.* Accuratiùs autem & utraque simul sumpta definitur: *Contractus, in quo duo vel plures de merce pro pretio determinato; & de pretio pro merce determinata paciscuntur.* Nomine *rei* aut *mercis* intelliguntur omnes res mobiles, immobiles, jura, actiones, & quidquid pecuniâ æstimari, & compensari solet: nomine verò *pretii* intelligitur numisma Principis, seu pecunia. Porro pretium debet esse determinatum, quia si res vendatur pro pretio indeterminato, seu quod voluerit dare emptor, non stat contractus, ex leg. 35. ff. *De contrab. emptione.* Ex pari ratione merx debet esse determinata vel in genere, vel in specie. Res autem seu merx sufficienter determinata censeri debet, etiamsi ignoretur qualis aut quanta sit, ut cum emitur res in spe, putà lactentes agrorum spicæ, quæ multis modis spem emptoris fallere possunt; jactus retis in mare; item quod capietur in venatione. Est tamen hoc discrimen inter emptionem jactûs retis, illiusve, quod capietur in venatione, & emptionem fructuum, quod, si piscator aut venator nihil ceperint, pactum pretium eis solvi debeat; non autem si ager aut arbor nullos fructus attulerit, quia ex dispositione Juris emptor hac solùm lege contraxit, *si fructus nascantur.* leg. 1. ff. *De condit. & demonst.*

Ex data venditionis & emptionis de- 244 finitione patet etiam, utramque realiter esse unum contractum mutuum, qui absque traditione rei aut pretii perficitur solo partium consensu exteriùs significato, quo se mutuò obligant, venditor quidem ad mercem tradendam, emptor verò ad pretium solvendum, ex Instit. lib. 3. tit. 24. *Emptio & venditio contrabitur simul atque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit.* Idem repetitur §. 3. & L. 1. ff. *De contrab. empt. emptio consensu perficitur.* Tamen sine traditione non habet ultimum suum complementum, nec transfertur dominium, Leg. 20. Cod. *De pactis.* ibi: *Traditionibus & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* At non ideò licet uni contrahentium alterô invitiô ante traditionem à conventione discedere, leg. 3. Cod. *De rescind. vendit.* nam pacta obligant in conscientia.

De Contractu hoc ita definito sequentia præcipuè exponi solent 1mo. Quis, & quænam possit vendere, & emere. 2do. Quodnam sit justum rerum venalium pretium. 3tio. Ad quem pertineant fructus rei venditæ. 4to. Ad quem pertineat periculum rei venditæ. 5to. Quænam sint obligationes venditoris & emptoris. 6to. Denique quænam sint præcipuè species hujus contractus. Quæ singulis titulis expedimus.

◆

I. Quis

I.

245 *Quis possit vendere aut emere, & Quænam res vendi possint.*

Certum est, quòd ii omnes vendere & emere possint, qui contrahere valent. Quinam autem contrahere valeant, expendimus sup. cap. præced. §. 2. Unde conformiter ad ea, quæ ibidem statuimus, hîc differendum venit. Unica solet moveri difficultas, an videlicet quis cogi possit ad rem suam vendendam. Ad quod

246 Resp. Nemo potest auctoritate privata cogi ad rem suam vendendam. Patet 1mo. ex definitione Dominii; est enim facultas disponendi de re sua ut libet. 2do. Quia omnis contractus ex libero partium consensu fieri debet. Potest tamen cogi auctoritate publica ob publicam necessitatem, vel utilitatem, ut si fundus privati sit necessarius ad constructionem Templi, ampliationem urbis, aut viæ publicæ.

247 Quantùm ad ea, quæ vendi possunt, ex dictis constat ea omnia vendi posse, quorum quis dominium, & liberam administrationem habet, & quæ pretiô æstimari possunt; nisi venditio ratione specialis prohibitionis invalida sit, aut illicita.

Hinc vendi possunt, non quidem res spirituales, aut spiritualibus annexæ, ut Beneficia, Jus patronatûs, Olea sancta, Reliquiæ Sanctorum, sed res corporeæ & incorporeæ, actiones, & bona tùm præsentia, tùm futura, etiam hæreditatem nondum existentem, modò testator illius venditionis conscius sit, leg. ult. Cod. *De pactis*: secùs non valet hæreditatis futuræ venditio, leg. 1. *De hæredit. vel Act.* ubi statuitur eo casu *nihil esse acti, tùm quia in rerum natura non sit, quod vænierit; tùm quia esset periculum, ne emptor insidietur vitæ illius, cujus hæreditatem emit.* Præter nullitatem contractûs, venditor talis hæreditatis ipsâ privatur (intellige post sententiam Judicis) & hæc applicatur fisco, Leg. 2. *De his, quibus ut indignis.*

Non modò res per se malæ, & ad malum usum determinatæ, ut sunt maleficium, annuli, quibus dæmonia sunt alligata, libelli infamatorii, aut de re turpi tractantes, & similia sine peccato mortali vendi non possunt, quia qui hæc vendunt, præbent *directè aliis occasionem peccandi*, ut ait S. Thomas, 2. 2. q. 169. a. 2. ad 4. Sed & neque res indifferentes, & quibus emptores benè aut malè uti possunt, sine peccato iis vendi possunt, quos venditor verisimiliter credit eisdem abusuros; quia qui hæc vendit, alterius peccato cooperatur.

II.

De Pretio. 248

Pretium est pecunia valori rei commensurata. Duplex est, aliud *legale* seu *legitimum*, quod lege publica seu Magistratûs decretô constitutum est seu taxatum; & hoc pretium consistit in indivisibili, nec variari potest. Aliud *naturale* seu vulgare, quod ex hominum æstimatione independenter à lege positiva seu Magistratûs decreto constituitur, & dicitur *pretium fori.* Hoc autem pretium non consistit in indivisibili, sed latitudinem, ut vocant, habet; quia varii homines variè de rebus judicant, ita ut quod alii censent valere decem, alii æstiment undecim, alii etiam duodecim.

Theologi autem justi pretii vulgaris 249 latitudinem ita describunt, ut illud trifariam

fariam dividant, nempe in *infimum*, quod *pium* vocant, infra quod justè descendi non potest; *medium* seu *moderatum*, ultra quod justè ascendi, & infra quod juste descendi potest; & *supremum*, seu *rigorosum*, ultra quod justè ascendi non potest. Quanta autem sit justi pretii latitudo facilè assignari non potest, potiusque taxanda videtur prudenti hominum judiciô, pensatisque omnibus, quæ concurrunt, quàm certis & fixis limitibus constituenda. Hanc non pauci Theologi tradunt regulam, ut nempe res, quo vilior est, minùs habeat latitudinis in pretio; plùs verò, quò fuerit pretiosior. Undè si medium rei alicujus pretium sit 10. infimum erit 9. supremum 11. & erit duorum latitudo. Si verò rei pretiosæ medium pretium sit 100. infimum erit 95. supremum 105. & sic habebit latitudinem 10. Neque tamen justitia definit esse in medio rei; ad hoc enim non requiritur, ut medium sit prorsùs indivisibile, sed satis est, ut pro diversis personis non sit mutabile: porro pretium vulgare, seu infimum sit, seu supremum, aut medium, respectu omnium idem est, seu juvenes sint, aut senes, nobiles, vel plebeji.

250 Porro pretium rei alicujus seu mercis non repetitur solùm ex physico ejus valore; *cùm enim ordine naturæ viventia non viventibus præponantur*, inquit S. Augustinus lib. 11. de Civ. Dei, c. 16. plus valeret mus, utpotè vivens, quàm margarita; non etiam ex comparatione cum usu rei, gemma enim modici est usûs, & tamen pluris valet, quàm ingens vini & frumenti copia; neque etiam ex rei necessitate, alioqui panis unus, sine quo vitam ampliùs protrahere non posses, pluris tibi vendi posset, quàm pretiosa quæcumque fingi possunt supellectilia: sed præcipua justi naturalis seu vulgaris pretii ratio repetenda est ex comparatione pretii cum re juxta communem hominum æstimationem considerata. Major autem vel minor æstimatio peti debet ex majori vel minori copia tùm mercium, tùm pecuniæ, tùm emptorum, tùm ex venditorum impensis, labore, periculis. Quin & modus vendendi efficit, ut res minoris æstimentur; viliori enim pretiô væneunt, quæ sub hasta, & voce præconis venduntur, quàm apud mercatorem; quæ aversione (über haupt, per Pausch) emuntur, quam quæ minutatim. Seclusis tamen fraudibus ac monopoliis injustis, juxta Leg. *pretia* ff. *ad leg. falcid. Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, id est, *definiuntur.*

Ex his deducitur 1mo. Quòd si nullum sit pretium legale, res vendi debeat juxta pretium naturale, seclusa omni fraude; qui aliter fecerit tenetur ad restituendum. Ratio 1mæ. partis est, quia omnis venditio justa esse debet. Atqui justa esse non potest, nisi res & pretium commensurentur, atque pretium exæquet valorem mercis, & vicissim: non autem commensurantur, si res non vendatur secundùm pretium naturale. Ergo, &c. 251

Ratio 2dæ partis est, quia quisquis in contractu non servat æqualitatem, tenetur ad restitutionem. Atqui non servatur æqualitas, quoties pretium non commensuratur rei. Ergo contrahitur restituendi obligatio.

Diximus, *seclusa omni fraude*; quia peccat & tenetur ad restitutionem 1mo. ille, qui fraude & mendacio alium inducit ad emendum majori pretiô, quàm aliàs emisset, quamvis non ultra summum pretium: quia emptor jus habet, ut dolo & fraude non adducatur ad rem rigorosô pretiô emendam. Ergo venditor 252

tor tunc est causa iniqua cur lucrum cesset emptori. Excipiunt tamen aliqui communia & omnibus nota mercatorum stratagemata, qui mendaciis & perjuriis affirmant rem tanti sibi constitisse, ut emptorem ad supremum pretium pertrahant; quibus quippe nemo decipitur, nisi qui vult; *volenti autem non fit injuria.* 2do. Ille, qui postquam rem pretiô infimô vendidit, occultè accipit supremum, emptorem decipiendo in pecuniæ numeratione, vel aliquid de re subtrahendo: Quia non licet agere contra conventionem, & contra jus alterius ex ea acquisitum. Atqui in casu præsenti, qui alium decipit, agit contra conventionem. Ergo. 3tio. Ille etiam, qui alicui rem pluris vendit, ob majorem ejus erga ipsam affectum: quia affectus, utilitas, & indigentia emptoris non cadunt sub dominium venditoris; ergò venditor non pluris rem suam æstimare potest, eò quòd alii sit necessaria. Et certè pretium rei ex communi hominum æstimatione, non ex particulari emptoris affectu, aut ex ejus necessitate repeti debet; alioqui quantô pretiô emi possent medicinæ, quæ ad salutem sunt necessariæ? Communis tamen ementium affectus pretium augere potest, quia communem hominum æstimationem, unde pretium pendet, adaugere potest.

253 Ex affectu etiam venditoris, si Mercator non sit, pretium rei ab ipso augeri potest, dummodò affectum suum intra rationis & moderationis terminos contineat; nec ipse rem suam ultrò vendendam offerat, atque emptorem moneat, cur rem illi pluris vendat, quàm valeat secundùm se ipsam. Ratio est, quia tunc venditor non solùm re sua se privat, sed commodô suô & delectatione; quæ pretiô sunt æstimabilia.

Diximus 1mo. *Si mercator non sit*; is enim sub prætextu particularis affectûs, mercem suam cariùs vendere non debet; utpotè qui ratione muneris sui paratus esse debeat ad res suas justô pretiô alienandas. 2do. *Dummodò affectum suum &c.* ne scilicet talis affectus enormi pretiô redimatur, quod illicitum est &c. 3tio. *Nec ipse rem suam ultrò vendendam offerat*, secùs enim non potest quidquam ex justitia exigere pro damno emergente; quia non tenetur emptor avertere incommodum, cujus ipse causa non est, & quod alter spontè vult subire. 4to. *Atque emptorem moneat, cur &c.* Quia fortè nollet emptor venditoris incommodum redimere. A fortiori res pluris vendi potest, cùm ex ejus venditione lucrum cessat, aut damnum emergit venditori, ut si rem certò reservaturus erat in aliud tempus, quo verisimiliter pluris vendenda esset.

Res quoque, quæ venduntur sub hasta (durch Vergantung) ut in licitationibus publicis, emi possunt supra aut infra vulgare pretium, dummodò absint fraus & dolus. Ratio est, tùm quia emens & vendens sufficienter hoc pretiô sunt contenti; tùm quia potestas publica illud pro justo pretio extraordinarii hujusce fori æstimare censetur, quod in publico emptorum concursu, tanquam in quodam examine approbatum fuerit.

Diximus, *dummodò absint fraus & dolus*, ut adesse solent 1mo. Si venditor occultos rei expositæ defectus celet. 2do. Si fictos licitatores immittat, qui se emptores simulent, ut pretium augeatur. 3tio. Si proxenetæ seu factores merces eo tempore vendendas proponant, quo paucos emptores adfuturos esse præsentiunt, ut res iis adjudicetur, quibus favere volunt. 4to. Si emptores monopolium faciant, & inter se conspirent, ne ullus tale aliquod pretium transgrediatur, ut res vili pretiô venundetur. 254

Ra-

Ratio patet ex dictis; *nec fraus aut dolus ulli patrocinari debent*, *&c.*

255 An verò res quæ nec habent pretium vulgari æstimatione determinatum, nec lege Principis constitutum, ut sunt gemmæ, equi pretiosi, canes, accipitres, eximiæ veteres picturæ, statuæ, &c. vendi possint quanti Dominus earum rerum volet, non convenit inter Theologos; multi affirmant, 1mo. Quia ex leg. 1. ff. *Ad Senatusconsult. Trebellian. Tantum valet res, quantum vendi potest*: quod nonnisi in iis rebus, de quibus nunc loquimur, verificari potest. 2do. Cùm res nec naturale, nec legale pretium habent, justum illud esse oportet, de quo partes convenerint. 3tio. Quia cùm hujusmodi res humanæ vitæ inutiles sint, qui eas emere vult, sponte id dare velle censetur, quod alter exigit, & excessum gratis condonare.

Negant alii, & docent res hujusmodi vendi debere secundùm communem hominum in hisce materiis peritorum æstimationem, quamvis major sit pretii harum rerum latitudo, quàm earum, de quarum valore nemo disputat. Quia 1mo. Res quælibet eo pretio vendi debet, quod inspectis omnibus ipsi commensuratum judicatur prudenter. Atqui tale est pretium, quod viri intelligentiores judicant respondere rei, quæ nec vulgari fori æstimatione, nec Principis edictô taxata est. 2do. Ut sit justum pretium debet esse prudens judicium, quo res æstimetur tanti valere. Sed nemo prudenter judicare potest, rem tanti esse valoris ex eo solùm, quod venditor eam tanti vendere possit aut velit. 3tio. Alioqui venditor, qui rem suam 100. valere judicat, posset eam vendere 1000. si videret eam alicui Principi placere, qui ipsam quocumque tandem pretio comparare velit. Atqui hoc planè absurdum.

Ad adducta ab adversariis momenta respondent, & quidem ad 1mum. Lex citata intelligi debet intra latitudinem justi pretii, cùm pretii justi excessus aliis legibus reprobetur. Ad 2dum. Cùm res pretium naturale in foro non habet, recurrendum est ad eos, qui majorem rei notitiam habent, eamque tutiùs æstimare possunt. Ad 3tium. Emptor id, quod dat, non gratis, sed ut rei pretium tribuit: perperam ergo censeretur excessum condonare, nisi id evidentibus signis constaret.

Deducitur 2do. Si quod sit pretium legale, merces juxta illud, & non aliter vendi debent. 256

Ratio est; quia justa Principum & Reipublicæ decreta servari debent. Atqui pretium legale justô Principis aut Reipublicæ decretô constitutum, & ad pretium naturale, quantùm fieri potest, comparatum esse supponitur. Ergo decreto huic est obsequendum, adeò ut, qui taxam auctoritate legitima constitutam non servat, graviter peccet, & ad excessûs restitutionem teneatur, etiamsi Lex aliam pœnam imponat. Ita omnes cum S. Thoma 2. 2. q. 57. a. 1. in Corp.

Cæterùm Lex Principis ex communi Doctorum sententia, semper justa præsumi debet, donec de contrario constet, quo casu non obligare videtur.

Quæri solet hîc, an mercator, qui 257
cognoscit magnam mercium copiam brevi tempore esse superventuram, ob quam earumdem pretium & valor insigniter minuetur, possit merces suas pretio currente vendere. Item an emptor, qui scit mercium pretium brevi tempore adau-

augendum esse, possit easdem emere currenti pretiô, posteà majori, quod superveniet, pretiô revendendas.

Affirmant multi cum S. Thoma, 2. 2. q. 77. art. 3. ad. 4. colliguntque id ex Genes. 41. ubi Joseph sciens futuram septem annorum sterilitatem, ob quam frumenti valor supra modum augendus erat, currenti pretiô ingentem illius copiam emit, & reclusit. Rationem autem assignant; quia iniquô pretiô non vendit, qui rem vendit secundùm legitimum ejus pretium. Atqui mercator ille rem suam vendit juxta legitimum ejus pretium, scilicet quod ipsa habet ex comuni hominum æstimatione; nec privata unius aut alterius scientia rerum pretium auget, vel minuit. Item, sicut aliud est, Res brevi pluris valebit; ergo jam nunc pluris valet, ut patet præsertim in moneta propediem augenda; ita à pari.

Negant verò alii, quia inquiunt 1mo. in dicto casu merces re ipsa & verè non tanti valent, licèt hoc alii ignorent. Ergo tanti vendi non possunt. 2do. Quia emptor mercium, quarum valor statim minui debet, eas involuntariè, & per errorem emere censetur; neque enim emeret, si futuræ diminutionis conscius esset. 3tio. Justus rerum valor sumitur ex prudenti hominum æstimatione, consideratis circumstantiis omnibus, non præteritis tantùm & præsentibus, sed etiam futuris; sed in prædicto casu, quòd tanti æstimentur merces, non provenit ex prudenti judicio, sed ex errore. 4to. Si sciret venditor mercem brevi corrumpendam, v. g. equum brevi moriturum, vinum brevi in acetum conversum iri, teneretur defectum exponere, aut saltem in pretio descendere. Ergo à pari &c. 5to. Sequeretur licitum esse alicui domum suam &c. vendere currenti pretiô, tametsi cognosceret, eam intra paucos dies ab hoste diruendam. 6to. Eum, qui sciret frumenti pretium edictô publicô cras esse minuendum, posse totum currenti pretiô vendere. 7mo. Senatores, qui scirent brevi promulgandam esse legem, qua minueretur monetæ valor, aut ejusdem usus interdiceretur, posse totam, quam hbent expendere, aut permutare. 8vo. Eum, qui prænoscit Principem cum curia sua ex hoc loco recessurum, posse domum suam inibi existentem tanti locare ad integrum annum, quanti ab ignorantibus Principis discessum æstimatur toto anno valitura. Atqui hæc omnia sunt absurda. Ergo.

Omnes tamen in hisce conveniunt, 258
1mo. Haud licitum fore Senatoribus vel legis promulgationem ex industria differre, vel familiaribus suis præ aliis revelare, quam scirent circa minutionem monetæ v. g. brevi promulgandam. Quia ex officio suo tenentur secretum servare, & efficere, ne unus præ alio gravetur. 2do. Eos injustitiæ reos esse, qui solitô longè vehementiùs urgerent emptorem, ut multò plures quàm aliàs merces emeret; ut & illos, qui scientes brevi augendum pecuniæ valorem, magnas summas mutuo acciperent, quas alioqui non accepissent. Ratio est, tùm quia ex communi hominum sensu, qui ita se gerunt, pro deceptoribus habentur; tùm quia populus, à quo pendet pretium naturale, non ita consentit in pretium certo tempore pro mercibus constitutum, ut illud justum esse velit, quando grave indè sequitur emptoris detrimentum, nisi bona fides, cujus magna habenda est ratio, venditorem excuset.

III.

Ad quem pertineant fructus rei venditæ.

259 Seclusô titulô lucri cessantis vel damni emergentis, venditor fructus & utilitates rei venditæ percipere non potest, si rem emptori tradiderit pretiô promissô, quamvis necdum solutô. Ratio est, quia tunc rei dominium translatum est absolutè in emptorem, ex leg. 19. ff. *De contrab. empt.* Res autem Domino fructificat, nec licet quidquam exigere præcisè ob dilationem solutionis: quod verum est, etiamsi emptor sit in mora culpabili solvendi pretii, quia non desinit idcircò esse Dominus rei, ac proinde etiam fructuum. Sed tunc tenetur compensare interesse, quod ex dilatione pretii venditor patitur. Hinc quando venditio absoluta dissolvitur ex mutuo consensu, fructus sunt emptoris, cum tempore intermedio fuerit Dominus rei. Imò non potest venditor accepta solùm de pretio fide, fructus rei venditæ percipere, etiamsi res emptori non fuerit tradita, nec persolutum pretium: quia, perfecta venditione, sicut rei emptæ periculum & incommodum, prout mox dicemus, spectant ad emptorem, ita & fructus atque commoda ad eum pertinere debent: alioqui inæqualis esset contrahentium conditio, ideoque injusta. Et ita statuitur Instit. *De empt. & vend.* ubi hæc ratio additur: *Nam & commodum ejus esse debet, cujus periculum est.*

IV.

Ad quem pertineat periculum rei venditæ.

Per rei periculum hìc intelligimus 260 vel rei interitum, vel ejus deteriorationem.

Dicimus 1mo. Si res vendita pereat post traditionem, fide de pretio data, perit emptori, etiamsi pretium nondum solverit; quia emptor est illius Dominus, cùm per traditionem suppositô titulô Dominium rei acquiratur, res autem perit Domino suo.

Dicimus 2do. Si res pereat ante tra- 261 ditionem, sitque res determinata ac certa, ut hic equus, hic grex, &c. similiter perit emptori, ex variis legibus, & ex *Instit. de empt. & vendit.* Ratio est legum dispositio, quæ etsi impediant dominium ante rei traditionem; tamen statuunt, ut effectus ex eo profluentes, & omnia rei commoda ac incommoda post perfectam venditionem pertineant ad emptorem, perindè ac si jam translatum esset dominium rei, ex leg. 1. Cod. *De peric. & commod. rei vendit.* Et leg. 12. Cod. *De act. empt.* Emptio autem & venditio perficitur solo consensu mutuo contrahentium, seu simul atque de merce tradenda, & solvendo pretio determinato convenerint, dum sine scriptura res agitur, *ex Instit sup.* Si tamen morâ vel culpâ etiamnum levi venditoris, qui rem custodire tenetur, donec tradiderit, res fiat deterior, vel pereat, vel si ita conventum sit, ipse tenebitur de damno. Item si venditio fiat sub conditione, & res pereat ante conditionis eventum, perit venditori: quia venditio sub conditione ante conditionis eventum non est perfecta, leg. 7. ff. *De contrab. & empt. &c.* ibi: *Conditionales*

nales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio. Ideoque ante illius eventum periculum & detrimentum rei pertinet ad venditorem, leg. 10. ff. *De jure dotium.*

262 Dicimus 3tio. Si res sit indeterminata quoad *individuum*, seu, ut ajunt Juristæ *speciem*; ut si emantur sex modii tritici ex granario, sex oves ex grege; vel si res determinata sit quoad numerum tantùm vel mensuram, v. g. hunc gregem taxatô pretiô in singula capita, totum acervum tritici unô aureô in singulas mensuras taxatô &c. tunc ante traditionem, aut numerationem vel mensurationem res perit venditori, qui proinde tenetur restituere pretium, si erat solutum. Quia ejusmodi venditio censetur fieri sub tacita conditione, si venditor tradiderit tot oves, mensus fuerit tot modios tritici, &c. Ita leg. 35. ff. *De contrab. empt. &c.* Si tamen constitutus fuerit terminus, in quo res numeranda, vel mensuranda esset, & emptor monitus in mora sit, periculum rei deinceps emptoris erit: unde pereunte toto grege, vel acervo tritici, emptor pretium amittet, leg. 5. ff. *De peric. & commod. rei vendit.* & Leg. 2. *Cod. eod. tit.*

263 Dicimus 4to. Cùm ex duabus rebus una disjunctivè venditur, v. g. ex duobus equis unus, non determinando utram, si ambæ pereant post venditionem absolutè factam, emptor tenetur solvere pretium promissum, licèt nihil receperit. Si verò alterutra duntaxat pereat, perit venditori, qui tenetur alteram tradere, leg. 34. ff. *De contrab. empt. & vendit.*

V.

De obligationibus venditoris, & emptoris.

Præcipuæ emptoris obligationes sunt, 264
1mo. Ut pretium integrum solvat tempore constituto. 2do. Ut restituat quantò minoris rem emit. 3tio. Ut si venditor rei pretium ignoret, eum moneat, vel generaliter dicendo, rem pluris valere, vel etiam, si opus fuerit, specialiter assignando justum pretium, licèt infimum assignare possit, quia infimô emere potest. Verùm hæ emptoris obligationes nullam habere videntur difficultatem, atque de iis jam alibi disseruimus.

Obligationes verò venditoris hæ numerari solent. 1mo. Ut rei venditæ dominium tradat, prout conventum est. 2do. Ut quamdiu eam servat, servet quasi suam. 3tio. Ut rescindat venditionem vi, metu, aut dolo factam, aut emptoris damnum debitô modô compenset. 4to. Ut emptorem de occultis defectibus admoneat. 5to. Ut evictionis lege teneatur. De 2da & 3tia. nulla hîc occurrit difficultas, atque de iis jam egimus alibi. De cæteris ergo hîc nobis agendum est. 265

Circa 1mam. igitur quæri solet, cui- 266
nam res debeatur, quæ successivè duobus fuit vendita.

Ad quod Resp. Si res neutri tradita sit, debetur priori emptori: quia res illa non poterat vendi alteri sine injuria prioris emptoris, qui jus ad illam priùs habet, leg. 26. ff. *Locat.* Si verò res tradita sit secundo emptori; hujus est, quia per traditionem acquisivit ejus dominium, leg. 15. Cod. *De rei vindicat.* Priori autem competit solùm actio in

venditorem, ut, vel rescisso secundo contractu, rem sibi tradat, vel compenset interesse: nam secundùm leges solo contractu sine traditione non acquiritur Dominium.

Excipe, nisi res vendita vel donata sit civitatibus aut Ecclesiis, vel locis piis, aut ad pias causas: nam per solam emptionem aut donationem ante traditionem rei, ejus acquirunt dominium. Potest tamen prior emptor rem evincere à posteriore, si hic emit mala fide, hoc est, sciens rem jam alteri esse venditam: imò posterior tenetur rem spontè priori tradere, receptô pretiô, si impulerit venditorem ad sibi iterùm vendendum, sciens rem jam esse alteri venditam: quia violat jus prioris emptoris, & est causa injusta venditionis & damni indè secuti; unde tenetur injuriam à se illatam tollere, & resarcire.

Not. Hoc idem procedere in aliis contractibus, v. g. in locatione: nam si secundo conductori res locata tradita fuerit, is præfertur priori: quia habet tunc rei detentionem, à qua expelli non debet.

267 Circa 4tam. Resp. 1mo. Si emptor quærat, an res careat vitiô, venditor tenetur ex justitia aperire rei vitia, præsertim occulta. Quia alioqui emptorem injustè deciperet: nam emptor habet jus cognoscendi rem, quam vult emere, & ut ei secundùm veritatem respondeatur, idque bona fides contractûs postulat. Quare si venditor asserat rem carere vitiô, quæ occultum habet, & ideò illiciat emptorem ad eam emendam, aliàs non empturum, tenetur ad rescindendum contractum, si emptor velit; quia dolus illi causam dedit. Si verò eam emisset quidem, sed minoris, venditor tenetur restituere ei ex pretio, quanti minoris justè emisset, nam eatenùs eum decepit, eique fecit injuriam, leg. 13. ff. *De actione empt.* Quòd si venditor putaret manifesta vitia non deprehendi ab emptore, teneretur etiam illa aperire, quia generatim rogat de omnibus.

Resp. 2do. Si res putetur noxia, vel 268 inutilis ad usum, ad quem petitur, venditor, etiam non rogatus, tenetur ejus vitium aperire; alioqui tenebitur ad restitutionem pretii dati, & damnorum inde secutorum, ut si vendat, etsi pretiô modicô, corium fragile, vel pannum adustum pro durabili; equum segnem pro generoso; animal infirmum pro sano; domum ruinosam pro firma; semina corrupta pro recentibus; carnes infectas; ovem morbidam, ex qua grex morbum contrahat; tigna vitiosa, unde ædes corruant; &c. Constat 1mo. ex leg. 13. ff. *De act. empt.* & aliis. 2do. Quia eo casu censetur emptor involuntarius, & quasi dolô ad emendum inductus, cùm putet mercem bonam & sibi utilem offerri, talemque solùm emere velit; & tamen noxia ac inutilis offertur. 3tio. *Venditor ex hoc ipso dat emptori damni vel periculi occasionem, quòd rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum vel periculum incurrere possit*, ait S. Thomas 2. 2. q. 77. a. 3. *Sed qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur*, cap. ult *de injur.*

Idem dic, si rem vitiosam vendas emp- 269 tori revenditurο, quia eris causa periculi vel damni aliis emptoribus obventuri ex ignorantia vitii. Imò si res sit notabiliter minùs utilis, quàm rationabiliter exoptet emptor, tunc venditor tenetur ei defectum rei detegere; quia tenetur cum emptore secundùm voluntatem ejus rationabilem contrahere, id enim exigit bona fides in contractibus

bus servanda. Sic merces, quæ diu servari nequeunt, non licet vendere quærenti res diu servandas.

270 Porro venditor ignarus vitii occulti suæ mercis, tenetur eo cognito vel rescindere contractum, vel resarcire inæqualitatem, restituendo excessum pretii. Nam injustum est retinere pretium majus, quàm res valeat. Non tenetur tamen compensare alia damna indè secuta, modò absit culpa lata & levis: quia non est causa injusta illorum, cùm ignorantia invincibilis eum excuset, sed se habet ut possessor bonæ fidei; & aliundè tenetur ex contractu de sola culpa lata & levi.

271 Not. Quamvis, dum vitium rei est manifestum, censeatur notum emptori; si tamen venditor sciat emptorem illud non advertere, & esse periculosum, tenetur ei declarare, etsi non rogatus. Nam tunc respectu emptoris est occultum, & error dat causam contractui: deinde bona fides in contractibus debita id exigit. Idem dicendum, si vitium adversetur intentioni, quam actu habet emptor in emendo, quamvis ex incuria illud non advertat; quia emptoris incuria nullum dat jus venditori, & nihilominùs verum est, quòd emptor non vult, nec intendit emere rem cum tali vitio.

272 Resp. 3tio. Si vitium non reddat rem noxiam, nec periculosam, nec notabiliter minùs utilem, quàm emptor rationabiliter exoptet, nec venditor interrogetur de vitio, is non tenetur aperire vitium etiam occultum, modò minuat pretium pro ratione vitii: quia tunc nulla fit emptori injuria, nec damnum; & aliàs non possent conservari commercia in Republica: Nam si defectus omnes non notabiles in se, nec relatè ad usum emptoris detegerentur, multi ab emendo deterrerentur in magnum venditorum detrimentum, vel multum de pretio justo detraherent.

Si tamen venditor probabiliter judicet emptorem rem eam esse revenditurum tantô pretiô, quantô si defectu seu vitio careret, tenetur ei aperire defectum saltem post initum contractum: quia hoc ipso, quòd rem suam exponat venalem cum occulto vitio, tenetur ex officii sui lege eavere ex parte sua, ne quis inde aliquod damnum patiatur; & aliàs daret occasionem damni aliis inferendi. Imò si emptor non aliter consentiat in contractum, nisi posita conditione, quòd res careat tali vitiô licèt non noxiô, & venditor expressè id cognoscit aut ex verbis emptoris, aut verisimiliter ex aliis signis aut conjecturis, quocumque pretio res vendatur, fit injustitia erga emptorem accipiendo pretium non detectô vitiô: quia tunc contractus est nullus, cùm consensus emptoris fuerit conditionalis, & desit conditio, cui alligatus erat.

Circa ſtam. Not. *Evictio* dicitur *rei, quam quis emit, aut donô accepit ab eodem abductio per Judicis sententiam facta;* 273 unde si domum vendideris Petro, à cujus potestate eam extrahit Titius, probans te eam non potuisse vendere, quia tua non erat, sed Titii, teneris Petro de evictione, & debes ei pretium reddere, quanti scilicet res evictionis tempore æstimabitur: debes insuper eidem interesse refundere, in quantum ejus intererat rem illam non evinci. Ex leg. 70. ff. *De evict. Evicta re exempto, actio non ad pretium duntaxat recipiendum, sed ad id, quod interest, competit.*

274 Venditor non tenetur de evictione, nisi cùm rem, quam vendidit, cognovit esse alienam; quia quod sine culpa factum est, in damnum vocari non debet: unde tunc tenetur tantummodò consentire in rescissionem contractûs, & pretium restituere.

275 Evictio locũ habet non solùm in venditione, sed etiam in permutatione, & in quolibet alio contractu oneroso; ut si creditori rem aliquam dederis in solutum pro debito aliquo. Item locum etiam habet in usufructu evicto, quia est quasi pars rei venditæ.

276 Si res vendita in eodem sit statu cùm evincitur, ac cùm vendita fuit, sufficiet, ut venditor restituat & solvat 1mo. pretium acceptum. 2do. impensas contractûs. 3tio. quod ad rem obtinendam solvendum fuit, ut jura censualia.

277 Si rei valor imminutus sit vel ab extrinseco, quia minoris nunc venduntur res ejusdem naturæ, quàm tempore contractûs; vel ab intrinseco, putà quia ex mille jugeribus traditis ducenta flumen abstulit, non tenebitur venditor nisi valorem præsentem refundere; in hoc enim solùm valore consistit damnum quod patitur: *Quod perit*, ait Jus, *damnum emptori, non venditori, attulit*, Leg. 64. ff. *De evict.*

278 Multi sunt casus, in quibus venditor de evictione non tenetur, ut si emptor non ei denuntiet motam esse litem super illa re, ut videat an eam defendere velit. Item si expressum fuerit in contractu, ut venditor bonæ fidei de evictione non teneretur; aut si venditore absente emptor non appellaverit, &c.

VI.

De divisione emptionis & venditionis, & præcipuis ejusdem speciebus.

Venditio multipliciter dividitur. 1mo. 279
Ratione rei, alia est rei mobilis, ut librorum; alia rei immobilis, ut fundi; alia rei se moventis, ut equi, &c. 2do. Ratione modi, quo perficiuntur contractus, alia est absoluta, alia conditionalis, alia cum pacto retrovendendi, addictionis in diem, legis commissoriæ, &c. 3tio. Ex parte loci & modi, quo ad executionem reducitur, alia est quæ fit sub hasta voce præconis; alia quæ palam non fit; item vel fit mercibus minutim, vel in cumulo venditis. 4to. Ex parte finis; vel enim emitur res, ut revendatur, sive mutata per artem & industriam, sive nullatenus mutata, & est negotiatio; vel non fit ob hunc finem, & est communis venditio. 5to. Ratione pretii, in eam, quæ fit creditò; & eam quæ fit numeratâ pecuniâ in præsenti; ac denique, quæ fit anticipata solutione. 6to. Ratione personæ, in eam, quam venditor per se exequitur, & eam, quam facit per alios, ut per proxenetas, seu factores. 7mo. In eam, quæ fit taxatô ad nutũ venditoris pretiô, & dicitur monopolium; & quæ fit sine hujusmodi conventione.

De quibusdam hisce venditionum speciebus jam egimus, cæteras persequimur. Atque 1mo. de venditione & emptione cum pacto factis agemus.

Ven-

I. De Venditione & emptione cum pacto factis.

Venditio & emptio fieri potest cum triplici pacto. 1mo. Retrovenditionis vel redemptionis. 2do. Legis commissoriæ. 3tio. Additionis in diem.

280 Venditio cum pacto de retrovendendo est contractus, quo res aliqua venditur eo pacto & conditione, ut cùm venditori placuerit, debeat emptor hanc illi revendere. Venditio verò cum pacto de redimendo, est contractus, quo res aliqua venditur cum pacto & conditione, ut cùm emptori placuerit, debeat venditor eam ab emptore redimere. Prior venditio fit in favorem venditoris; altera in favorem emptoris. Fieri etiam potest in favorem utriusque, cùm contrahentes inter se conveniunt, ut quoties venditor reddiderit pretium, reddatur ei res vendita; & è contrà quoties emptor reddiderit venditori rem emptam, reddatur ei pretium.

281 Contractus cum pacto retrovenditionis in favorem solius venditoris licitus est; modò sequentibus conditionibus vestitus sit: 1mo. Ut contrahentes veram habeant intentionem emendi & vendendi; si enim malint mutuum exercere, quàm vendere & emere, non carent usurâ. 2do. Ut rei venditæ dominium pertineat ad emptorem, qui fructus ut suos percipiat, & subeat rei periculum, prout res unaquæque Domino perit. 3tio. Ut servetur identitas rei venditæ, ut si vendatur vacua, vacua revendatur, si cum fructibus, cum fructibus redimatur. 4to. Ut non vendatur pretiô nimis vili, quod reprobatur Cap. *Ad nostram, De empt. &c.* non ergo reprobatur, si pretium justum fuerit & sufficiens. Debet tamen res cum pacto retrovenditionis vendita minùs vendi quàm valeat secundùm se, quia onus illud & gravamen, quo rem non possides incommutabiliter, sed aliquando eam revendere cogeris, debet minuere ejus pretium; quanti minoris verò res ob tale gravamen vendi debeat, prudenti judiciô determinandum videtur. 5to. Nec addi debet pactum, quòd res minoris revendatur, cùm possit pluris valere cùm revendetur, quàm cum empta est.

Licitum autem esse hujusmovi contractum habetur 1mo. ex S. Scriptura ubi approbatur, imò & quasi præcipitur, Levit. 25. v. 24. 2do. Ex Jure Civili, Leg. 2. Cod. *De pactis inter emptorem & vendit. &c.* 3tio. Ex Jure Canonico, ubi approbantur census redimibiles, de quibus infra; qui census semper annexum habent pactum redimendi in gratiam venditoris.

Aliter dicendum est de contractu venditionis cum pacto redimendi, in favorem solius emptoris; is enim in praxi tutus non est, sed procul amandari debet, utpotè qui usuram sapiat; ut patet ex hoc exemplo: Petrus emit à me pratum centum florenis, hoc pactô, ut quando voluerit, pratum redime- 282

mere

mere cogar, interim prati fructus colligit, & posteà vult ut centum florenis illud redimam, dum interim prati mei fructus instar lucri supra sortem percepit. Posse tamen talis contractus permitti nobis videtur, si fructus percepti in partem pretii computentur, & à sorte abducantur.

283 Contractus denique cum pacto retrovenditionis in favorem utriusque, licèt minus periculi habeat, satis tamen habet mali, ut permitti non debeat; præsertim cùm facilius sit emptori rem reddere perceptis ejus fructibus, quàm venditori reddere pecuniam: solent enim, qui bona sua sic vendunt, vel vendere simulant, in magnis angustiis esse.

284 Hìc adjungimus contractum, quem Hispani *Mohatra* vel *Barata* vocant, ut & Retractum gentilitium ob suam cum contractu cum pacto retrovenditionis &c. connexionem.

Contractus *Mohatra*, est ille, quo quis pecuniâ indigens emit creditò à mercatore merces majori pretiô, easque statim ipsi vendit viliori pretiô. Illicitus est talis contractus, utpotè usurarius, & damnatus in Concilio Mediolanensi sub S. Carolo; necnon ab Innocentio XI. annô 1679. *Contractus ille*, inquit S. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 8. §. 8. *usurarius est, & omni malignitate & duplicitate plenus.* Hinc non ob[illegible] sunt artifices, qui vendunt vasa aurea vel argentea cum pacto retrovendendi, non habita ratione laboris & industriæ. Secùs si eadem vasa alia data occasione redimerent; quia, secundùm communem hominum æstimationem, vasa argentea non tanti valent in manibus privati hominis, quanti in manibus aurificis.

Retractus gentilitius verò seu 285 redhibitio gentilitia (Zugrecht) est Jus concessum proximo venditoris consanguineo intra certum tempus rescindendi, & ad se revocandi venditionem rei immobilis eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore consanguineo empta fuerat.

Dicitur 1mo. *Jus*, ut ostendatur peccare contra justitiam, qui fraudibus impedit consanguineum, quominùs ad se revocet rem venditam. 2do. *Intra certum tempus*; quia leges municipales terminum præfixerunt, extra quem consanguinei jus non habent rescindendi venditionem. 3tio. *Revocandi venditionem*; quia si per donationem, per mutationem, aut alium contractum res fuerit alienata, consanguinei eam retrahere non possunt. 4to. *Rei immobilis*; quia redhibitio gentilitia non extenditur ad res mobiles. 5to. *Eodem oblato pretio*; non enim licet emptori exigere à consanguineis, sicut posset ab extraneis, plus quàm solvit venditori.

Licitum esse Retractum gen- 286 tilitium vel hinc patet, quòd om-

omnium ferè nationum moribus, Principum & Legum auctoritate, populorum consensu introductus fuerit & concessus ea potissimùm ratione, quòd satis lugubre sit, possessiones paternas & avitas ad alienas manus devenire, ut habetur Leg. 22. §. *Nec verò*, Cod. *De administratione tutorum*. Quare extraneo nec vendi nec cedi potest.

Ex dictis sequitur Eum contra justitiam peccare, 1mo. Qui simulata permutatione, aut alio contractu occultat venditionem in fraudem consanguineorum. 2do. Eos, qui fingunt se majori pretiô emisse, quàm re vera emerint, ad deterrendum consanguineum à repetenda paterna possessione. 3tio. Eum, qui nomine consanguinei precibus illecti, aut præmiô conducti ab emptore rem emptam vindicat; & in hoc casu tam extraneus, quàm consanguineus ad restitutionem tenentur, cùm uterque sit causa injustitiæ. 4to. Eum, qui rem emptam retrahit, ut majori pretiô vendat; tùm quia venditor, cùm sit rei Dominus, jus habet illam vendendi, quo voluerit pretiô; nec in hoc læduntur consanguinei, sicut nec læderentur, si eam gratis donaret: tùm quia consanguineus hac iterata venditione censeretur extraneo jus suum vendere, quod tamen alienare non potest.

287 Venditio cum pacto legis commissoriæ, est ea, qua vendens ea lege aliquid vendit, ut nisi emptor intra certum tempus pretium ejus solvat, res sit inempta, & contractus irritus. Contractus iste licitus est, tùm quia approbatur in Jure civili; tùm quia nemini infert injuriam.

Venditio cum pacto adjectionis in diem est ea, qua aliquid venditur ea conditione, ut si alius intra tempus definitum meliorem offerat conditionem, sive pretio aliquid addendo, sive solvendo tempore & loco opportuniore, sive aliter, res maneat inempta. Hæc venditio iisdem de causis justa est & licita, propter quas licitam esse diximus venditionem cum pacto Legis commissoriæ; modò absit fraus & dolus, putà si venditorem pœniteret contractûs, & fictum emptorem induceret, qui majus pretium offerre simularet. 288

2do. Dicendum nobis est de ea venditionis specie, quæ *Negotiatio* nuncupatur seu *Mercatura*, estque emptio rei cum intentione eam integram & immutatam vendendi lucri gratiâ. 289 II. De Negotiatione seu Mercatura.

Dicitur 1mo. *Cum intentione vendendi*; quia si quis emeret pannum v. g. aut equum, sive frumentum in proprios usus, licèt fortè data occasione alteri venderet, non esset negotiator aut mercator, quia ista non emisset cum intentione vendendi. Dicitur 2do. *Eam integram & immutatam*. Qui enim emit ferrum vel frumentum ad clavos, vel panes conficiendos, mercaturam non exercet, sed artificium; à quo denominatur artifex.

290 Negotiatio per se licita est, ut habetur Dist. 88. cap. *Fornicari* (e). *Fornicari hominibus semper non licet, negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet.* Et ratio est, quia lucrum intendere ad honestum finem, v. g. ad sustendandam familiam, per se est honestum. Unde S. Augustinus in Psal. 70. *Negotiatio*, inquit, *hominem non facit malum, sed iniquitas & mendacium.*

Nec obstat cap. *Ejiciens*, cit. dist. 88. ubi hæc habentur: *Ejiciens Dominus vendentes & ementes de templo, significavit, quia mercator nunquam potest Deo placere; & ideò nullus Christianus debet esse mercator; aut si voluerit esse, projiciatur ex Ecclesia.* Nam verba hæc ex auctore Operis imperfecti in Matthæum, quod Opus perperam S. Chrysostomo adscribitur, desumpta sunt, quod Opus non pauca à fide aliena continet. Quòd si quis benignam adhibere velit interpretationem, dicendum est cum S. Thoma, hîc sermonem esse de negotiatione, quatenùs in lucro per eam quæsito finem ultimum quis constituit, aut qualiter nimis communiter exercetur, scilicet cum mendacio & perjurio, ut dicitur cit. cap. 11. *Ejiciens.*

291 Et certè omnes fatentur, negotiationem plerisque hominibus adeò esse periculosam, ut facilè non sit alicui persuadendū, ut eam exerceat: id enim penè intendunt negotiatores, ut divites fiant, *porro qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum.* 1. ad. Tim. 9. Eodem pertinet illud Ecclesi. 26. v. 28. *Duæ species difficiles & periculosæ mibi apparuerunt, difficilè exuitur negotians à negligentia*, salutis nempè, ut intelligunt Doctores, & efficaciùs probat experientia; *& non justificabitur caupo*, sive venditor, *à peccatis labiorum.* Undè Negotiatio Clericis & Religiosis strictè interdicta est, quia commercium periculi plenum, quale est Negotiatio, quod hominem implicat negotiis sæcularibus, eumque à Deo penitùs avocat, Clericis & Religiosis, qui se suaque Evangelio consecraverunt, permissum esse non debet, cùm vix laicis licitum sit, ut diximus. *Antequam Ecclesiasticus quis sit*, sunt verba Can. 10. Dist. 88. *licet ei negotiari; facto jam non licet.* & Can. 6. *Ne Clerici vel Monachi &c.* Sic loquitur Alexander III. *Sub interminatione anathematis prohibemus ne. Monachi vel Clerici*, in sacris constituti scilicet vel Beneficiarii, *causâ lucri negotientur*; quod arguit hujusmodi peccare mortaliter; quia major excommunicatio, nonnisi ob peccatum lethale, incurritur.

3tio,

(e) Ex S. Augustino.

III. De venditione quæ fit creditò vel anticipata solutione.

292 3tiò. De venditione, quæ fit creditò, vel anticipata solutione nobis agendum. Dicimus ergo: non licet justô pluris, id est ultra pretium summum vendere creditò seu ob dilatam solutionem pretii; nec justô minoris, id est, infra pretium infimum emere ob anticipatam; nisi adsit alius titulus, ut lucrum cessans, vel damnum emergens. Ratio primi habetur ex c. 6. & 10. *De usuris.* ubi statuitur, eos, qui taliter vendunt, ad restitutionem efficaciter esse inducendos. Item, quia cariùs vendere ob concessam solutionis dilationem est mera usura; idem enim est, ac pecuniam, ex qua solvendum erat pretium, mutuam date emptori, & pro ea majorem accipere pecuniæ summam. Ratio adi. est, quia, ut loquitur S. Thomas, *ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui* ab emptore dati *rationem, cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ.* Adeoque qui solutionem pretii ita anticipat, idem præstat, ac si nunc mutuam daret pecuniam usque ad tempus mercis accipiendæ; ratione autem mutui aliquid ultra valorem rei exigere injustum ac usurarium est.

Hinc injustum est nunc emere pretio currente triticum primùm eo tempore tradendum, quo plus valiturum speratur. Licet tamen merces emere minori pretiô, quàm valeant, cùm emuntur, si verisimiliter putetur eas minùs valituras tempore quo tradentur, nam aliàs emptor damnum pateretur.

Mercatoribus tamen, qui creditò vendunt, plerumque non licet aliquid supra justum pretium exigere sub titulo lucri cessantis; quia raró lucrum eis ideò cessat, imò ordinariè augetur: nam sic vendendo plures emptores habent, & plures merces vendunt, quàm si exigerent solutionem præsentem, & liberi sunt à periculo, & labore conservandi merces.

Diximus *plerumque*, nàm mercator carius vendere potest creditò, cùm pretium suum obtinere non poterit sine expensis, quia expensæ faciendæ locum habent damni emergentis, ut si emptor absens esse debeat, aut si non soleat solvere nisi post multa venditoris ad eum itinera, &c.

4to. Occurrit venditio creditorum, chyrographorum, & censuum; atque quæritur, an licitum sit ea minoris emere, quàm contineant; v. g. an jus ad centum nummos solvendos intra annum emi possit numeratis tantùm nonaginta? 293

IV. Venditio creditorum, chyrographorum, & censuum.

Communis autem est Doctorum sententia, quòd secluso lucro cessante, vel damno emergente, non liceat credita & chyrographa liquida ac secura minoris emere, quàm contineant. Ratio est, quia in hujusmodi contractibus non servaretur æqualitas pretii cum re empta; ut enim æqualitas in ta-

tali contractu non servari dicatur, sufficit, quòd v. g. centum nummi post sex menses certò solvendi tanti valeant, quàm centum nummi actu existentes & præsentes. Atqui centum nummi post sex menses certò solvendi tanti valent, quanti centum nummi præsentes; si enim minùs valerent nummi centum post menses sex certò numerandi, tunc utique ob dilationem temporis. Atqui valor eorum ob solam temporis dilationem minui non potest, alioqui licita esset usura, quæ ob solutionis dilationem aliquid accipit supra sortem. Et verò qui creditum aut chyrographum centum nummorum post sex menses certò solvendorum emit nummis nonaginta præsentibus, idem facit, ac si nonaginta nummos actu mutuo daret ea conditione, ut post sex menses centum reciperet. Atqui hoc est mera usura.

294 Ob eandem rationem non licet census jam constitutos nulli periculo expositos emere infra pretium lege vigente taxatum. Alioqui emerentur viliùs justô; cùm pretium legitimum sit indivisibile, & census jam constitutus nulli periculo ac difficultati expositus tanti valeat, quanti novus. Quod si lex sit abrogata per consuetudinem legitimè præscriptam, vel revocata ex consensu saltem tacito Principis, ita ut census constitutus habeat pretium vulgare (ut varii dicunt ex consuetudine habere) potest infimô pretiô emi census, qui summô venditus fuit, cùm utrumque justum sit.

Si tamen hujusmodi credita, 295 &c. sint litigiosa, vel si eorum solutio sit incerta, aut cum difficultate & molestiis exigenda, tunc licitè emuntur minoris quàm contineant: nam tunc in æstimatione communi minus valent, quod enim est tantùm in spe, minoris valet, quàm quod est in actu; atqui quod dubium est, est sicut id, quod est in spe, & quod est certum, sicut quod est actu. Hinc ex leg. *Minùs.* ff. *De Reg. Jur. Minùs est actionem habere, quam rem*, quæ scilicet certò & sine molestiis haberi nequit. Non licet tamen ipsis debitoribus ea sua debita minoris emere, cùm ipsi sint causa eorum minoris æstimabilitatis, & teneantur ad integram solutionem.

5to. Pauca dicenda veniunt 296 de venditione per proxenetas, & eâ, quæ fit acceptâ arrhâ.

V. Venditio per proxenetas, & ea, quæ fit acceptâ arrhâ

Per proxenetas seu factores ii intelliguntur, quibus aliquid committitur vendendum aut emendum nomine committentis.

Proxeneta igitur debet totum pretium rei venditæ Domino dare. Ratio est, quia nullum habet titulum justum aliquid ex pretio retinendi: non ratione rei, quia ejus non est; non ratione industriæ, aut laboris, quia vel pro eo accipit, vel gratis id se facturum testatus est.

Similiter si alterius rem emit infra pretium sibi præfinitum, non

non potest residuum pretium sibi retinere: quia præscribens protium non intendit excessum donare, sed solùm vult, ut res non pluris ematur. Hinc Sartores peccant retinendo excessum pretii datii ad emendum pannum; vel si faciliores sint in licitando, eò quòd à mercatore aliquid obtineant; nam tenentur aliorum negotium à se susceptum utiliter gerere perinde ac suum: & hoc ipso, quòd quis alterius mandatum suscipit, se obligat ad ejus commoda procuranda; nec aliter res gerenda alteri committitur. Neque possunt operam impensam occultè compensare; nam sufficienter compensatur per hoc, quòd iis præ aliis vestis facienda committatur, & communi pretio persolvatur. Deinde qui negotium alterius suscipit, nihil petendo, censetur velle suam operam gratis præstare, ex leg. 1. ff. *Mandat*, &c.

297 Arrha. Quod spectat ad Arrham, describi potest Species quædam pignoris, quod ab emptore venditori datur, sive ut ostendat se venditionem habere pro perfecta, sive ut rei emptæ pretiũ solvere incipiat, seu demũ in mulctam, si fortè contractui stare nolit. Hinc arrhæ suum, prout facta est conventio, effectum habent, quia licèt regulariter arrhæ sint perfectæ emptionis & venditionis argumentum, aliquando tamen sunt argumentum emptionis & venditionis contrahendæ, prout ex variis legibus colligitur. Quòd si qualis esse debeat arrharum effectus nulla expressa conventione declaretur, is, qui recusat adimplere contractum, si emptor est, perdit quod dedit; si verò venditor stare contractui nolit, duplum restituere compellitur, Instit. lib. 3. tit. 24.

298 VI. Monopolium. 6to. Denique venit Monopolium, vox græca, quæ unius venditionẽ sonat, estque conventio unius vel pluriũ mercatorum ut soli, vel certô, quo voluerint, pretiô mercem aliquam vendant.

299 Monopolium publica auctoritate constitutum licitum est si fiat ob justam causam & justô pretiô: quia hoc interdum postulat bonum commune; ne scilicet deseratur rerum aliquarum negotiatio, vel artificium: sunt enim aliquæ merces, quæ sine magnis sumptibus comparari nequeunt, quos sumptus ob damni periculum nemo vellet in se suscipere citra privilegium, vi cujus eas solus vendere possit, prout liquet in Librorum impressione. Præterea id potest Princeps, cùm ipsi ob bonum commune necessaria est pecunia; sed tunc moderatè taxari debet pretium illarum mercium, præsertim si sint communiter necessariæ ad commodè civiliterque vivendum: nam aliàs daretur occasio privatis alios pro arbitrio gravandi, magnôque damnô afficiendi. In eo ergo nemini fit injuria, modò curent Magistratus vel Princeps, ne mercatores aut artifices, prætextu privilegii, pretium immoderatum exigant.

300 Monopolium verò privata auctoritate constitutum prohibitum est non solùm lege humana, Cod. *De Monopol.* Sed etiam di-

divinâ naturali : nam 1mo. est contra charitatem vetantem, ne quis impediat commodum aliorum, & efficiat, ut proximus rem cariùs emat, quàm esset empturus; nemo enim vellet id sibi fieri. 2do. Contra bonum commune, cùm monopolium multis noceat. 3tio. Contra justitiam commutativam, ideoque monopolæ tenentur ad restitutionem : nam populus habet jus, ut privata auctoritate & ob bonum privatum pretia rerum non augeantur, vel caritas variis machinationibus inducatur. Atqui per tale Monopolium populo & civibus jus illud aufertur, hique coguntur, ut eo, quo voluerint, etiam summô & rigorosô, imò suprà adhuc, Monopolæ, pretiô merces emant; quod juri naturali divino repugnat. Ergo &c.

301 Quomodò autem fieri debeat restitutio propter Monopolium, communiter relinquitur judicio viri prudentis. Æqualitas tamen videretur reponi reducendo contractum ad pretium mediocre seu medium.

302 Ad monopolium refertur 1mo. Quando mercatores supprimunt merces suas, ut indè earum pretium crescat : injustus tamen non esset, qui suas merces servaret in illud tempus, quo cæteræ rariores essent, modò ex illa suppressione non oriretur caritas; si inde oriretur, peccaret contra justitiam, quia esset causa injusti pretii rerum venalium. 2do. Quando aliquis congerendo omnes ferè merces, inducit earum raritatem & caritatem : secùs si non induceret. 3tio. Si quis vi vel fraude impediat, ne merces aliunde advehantur, unde oritur caritas. 4to. Si Mercatores disseminent rumorem subversas esse naves, quibus merces erant impositæ, vel aliundè eas periisse, unde rerum pretium augeatur. 5to. Si opponatur fictus licitator, ut alter & verus licitator majori pretiô emere, ac sic pretium augere cogatur. 6to. Si multi conveniant, ut opus ab uno inchoatum, alter non perficiat; quod expressè prohibetur Leg. *Jubemus*, Cod. *De Monopolis*. 7mo. Si artifices conveniant non docere artem suam, nisi filios & nepotes, aut nisi certô pretiô injustô.

Cæterùm si ex monopolio 303 aliorum mercatorum raræ factæ sint merces, licèt mercatori monopolii non participi vendere suas pretiô per monopolium constitutô; secùs verò si rariores non sint; quia pretium à monopolis impositum est injustum.

§. II.

De Mutuo.

Mutuum secundùm nominis 304 etymologiam significat id, *quod ex meo tuum fit* : secundùm nominis usum aliquando sumitur pro re ipsa, quæ mutuo datur, ut cùm dicitur dari vel reddi *mutuum*. Frequentiùs accipitur pro contractu, quo ea res alteri datur; atque hæc *mutui* acceptio præsentis est instituti ;

mu-

mutuum verò sic sumptum definiri potest *Contractus, quo res numerô, pondere, vel mensurâ constans traditur eo animo, ut statim fiat accipientis, cum obligatione reddendi similem in specie, & bonitate, post lapsum temporis.* Ex leg. 2. ff. *De rebus credit.* Et Instit. lib. 3. tit. 15.

Dicitur 1mo. *Res numerô &c.* Mutuum enim versatur circa res, quarum aliæ in numero dantur, ut pecunia, oves, fructus; aliæ in pondere, ut panis, caro, æs, argentum, aurum, &c. aliæ in mensura, ut vinum, oleum, aliaque liquida, vel arida. 2do. *Traditur;* quia mutuum traditione perficitur, quo distinguitur ab iis contractibus, qui non requirunt traditionem rei, quales sunt ii, qui verbis perficiuntur, ut emptio, venditio, locatio, &c. 3tio. *Ut statim fiat, &c.* Nam per mutuum dominium rei transfertur; & sic etiam distinguitur ab iis contractibus, quibus dominium non transfertur, quales sunt depositum, conductio, locatio, &c. 4to. *Cum obligatione;* per hoc differt à certis contractibus gratuitis, puta donatione. 5to. *Reddendi similem &c.* per hoc differt tùm à commodato, locato, & conducto, quatenus scilicet res reddenda alia esse debet, utpote in quibus quia usus rei tantùm conceditur, non autem substantia, res eadem percepto usu, reddi debet; tùm à permutatione, quatenus nempe hæc res reddenda, licèt alia in individuo, eadem tamen est specie; permutatio autem rebus potissimùm diversæ speciei perficitur. 6to. *Post lapsum temporis.* Nam est mutuo intrinsecum, ut non statim reddi debeat, alioqui esset inutile mutuatario: & per hoc differt à cambio, ubi v. g. pro moneta aurea statim redditur argentea ejusdem valoris.

Obligationes mutuatoris sunt 1mo. 305
Ut moneat mutuatarium de vitio rei, si quod ei insit: alioqui tenebitur de damno, cùm ei causam dederit. 2do. Ut non repetat mutuum ante tempus præfinitum. Quòd si non sit constitutum, non potest repeti nisi post aliquod tempus judiciô prudentis assignabile, spectatis circumstantiis & fine, ob quem datur; quamvis teneatur illud ante tempus præfixum recipere. 3tio. Ut non plus exigat; quàm valeat res mutuata: nam mutuum est contractus essentialiter gratuitus, & alioqui esset injustitia & usura.

Mutuatarius verò ex natura mutui 306
tenetur 1mo. Reddere mutuum tempore statuto; quòd si non sit constitutus terminus, quando mutuator rationabiliter repetet. 2do. Si ex culpa sua non reddat tempore debito, tenetur compensare mutuanti damnum inde secutum, & lucrum cessans, cùm sit illius causa injusta; nisi ex eo, quòd mutuans tunc non repetierit mutuum, prudenter judicet terminum prorogasse. 3tio. Tenetur de omni casu fortuito, ita ut non liberetur, nisi cùm mutuator mutuum re ipsa acceperit vel per se ipsum, vel per alium à se designatum; quia tunc res semper manet mutuarii, & sic ei perit. 4to. Tenetur reddere rem ejusdem speciei & bonitatis; nec sufficit, si solvat ejus pretium, nisi mutuator spontè consentiat; mutuum enim eadem bonitate, qua datum est, eodemque genere seu specie reddi debet, leg. 3. ff. *De reb. cred.* Neque enim mutuum est venditio aut permutatio.

Quæritur 1mo. In qua specie & boni- 307
tate res mutuata reddi debeat? Sed seclusa speciali conventione justa, certum est, quòd non possit exigi pecunia eadem

dem in ſpecie phyſica, ſed ſolùm eadem in valore quem habuit tempore mutui, ſive interim valor monetæ auctus fuerit, ſive imminutus, ſaltem ſi tempore mutui hæc mutatio non fuit prævisa nec ſpectata: nam cùm in pecunia per ſe ſpectetur ſolùm valor extrinſecus, non verò entitas phyſica, & ex uſu conſtet ſpeciem monetæ potiſſimùm deſumi ex valore, non ex materia, reddendo valorem, quem habuit tempore mutui, tantum reddis, quantum accepiſti. In aliis verò rebus, in quibus per ſe ſpectatur, & intenditur rei entitas, reſtitui debet in eadem ſpecie phyſica, v. g. triticum pro tritico, & quidem in eadem menſura, ſive pretium ejus creſcat, ſive decreſcat, quando tempore mutui hæc mutatio non prævidetur, nec ad eam attenditur: quia cum in iis rebus entitas, & bonitas intrinſeca ſpectetur, reddendo eandem menſuram ejusdem ſpeciei phyſicæ, & bonitatis intrinſecæ, tantum redditur, quantum acceptum eſt, & ſic ſervatur æqualitas.

308 Quæritur 2do. An liceat paſciſci de reddenda re mutuata in eadem menſura, & quantitate, vel pecuniâ in eadem ſpecie phyſica? Si ſit dubium an res tempore reſtitutionis valitura ſit pluris aut minoris, licet paſciſci, ut reddatur par menſura rei æquè in ſe bonæ, & eam ſuo tempore accipere, quamvis interim pretium ejus valde creverit, ex cap. ult. *De uſur.* Quia tunc par eſt contrahentium conditio, & ſervatur æqualitas: nam erga utrumque eſt æqualis ſpes lucri, & æquale periculum damni. Idcircò licet etiam exigere tot in ſpecie phyſica nummos, quot dati ſunt, ſive valor mutetur, ſive non, quando utrumque eſt æquè probabile. Quòd ſi verò certum ſit vel ſaltem probabilius rem tempore ſolutionis plus valituram, quàm modò, vel valorem monetæ augendum, non licet exigere parem menſuram vel parem numerum nummorum, ſed ſolùm eam menſuram quæ tunc exæquabit valorem præſentem rei mutuatæ, vel pretium æquale monetæ mutuatæ; quia alioqui exigeretur ultra id, quod æquivalet rei mutuatæ, quod eſt uſura: res enim tempore ſolutionis pluris valebit, quàm eo, quo traditur. Hinc ſi ſex modii tritici nunc valeant duodecim aureis, non licet totidem exigere, ſi tempore ſolutionis valituri ſint quindecim.

Excipe niſi ſtatuiſſes rem vel monetam tuam uſque ad illud tempus ſervare; nam tunc licet paſciſci, ut moneta in eadem ſpecie phyſica, vel res mutuata cum eo incremento reddatur, deducta æſtimatione laboris, periculi, & ſumptûs, in ea re uſque ad illud tempus ſervanda; nam tunc id exigitur ratione lucri ceſſantis.

§. III.

De Uſura.

Quamvis ab aliquibus uſuræ tractatio ad Tractatum de peccatis, quò propriè pertinere videtur, rejiciatur, nos tamen de ea hîc ſtatim agere commodiùs eſſe cenſuimus, propter connexionem ſcilicet quam cum mutuo habet, utpote cujus quædam ſpecies eſt. 309

Uſura igitur ab utendo dicta idem ſignificat ac uſus ſive bonus ſive malus: undè uſura latè ſumpta eſt quodlibet lucrum ſive licitum ſive illicitum, vel fructus ex aliqua re perceptus. Strictè ſumpta, prout hîc eam ſumimus, definitur *Lucrum temporale præcisè ratione mutui perceptum, vel quæſitum*: ſive *Lucrum immediatè ex mutuo proveniens.*

Di-

Dicitur 1mo. *Lucrum temporale*, id eſt, pecunia, vel quidlibet pretiô æſtimabile; nam, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 78. a. 2. *Secundùm Philoſophum omne illud pro pecunia habetur, cujus pretium poteſt pecuniâ menſurari.* Hinc non eſt uſura mutuare ad acquirendam amicitiam alterius; quia hæc non eſt pretiô æſtimabilis.

Dicitur 2do. *Præcisè ratione mutui* ſeu *ex mutuo immediatè proveniens.* Si enim lucrum aliundè proveniat, uſura non eſt, etſi injuſtum ſit & illicitum, ut cum aliquid venditur ſupra legitimum pretium. È contra quidquid pretiô æſtimabile ultra ſortem reddendam, ſive ante ſive poſt mutuum datum exigitur, vel accipitur tanquam ex mutuo debitum, uſura eſt. Mutuô tamen gratis datô, ſi quid ſponte & liberaliter offeratur, id mutuans licitè accipit, *non quaſi exigens, nec quaſi ex aliqua obligatione tacita vel expreſſa, ſed ſicut gratuitum donum: quia etiam antequam pecuniam mutuaſſet, licitè poterat aliquod donum gratis accipere: nec pejoris conditionis efficitur per boc quòd mutuavit*, inquit S. Thomas, 2. 2. q. 78. a. 2. Sed in praxi non licet aliquid accipere à pauperibus, & raró ab aliis accipere licet: quia raró donant ſpontè ac liberaliter; ſed plerumque dant ſolùm vel ad ulteriorem dilationem ſolutionis obtinendam, vel ex metu, ne aliàs mutuum deinceps recuſetur.

310 Uſura ſic definita multiplex eſt, alia enim eſt realis, alia mentalis, aperta alia, alia palliata, alia pactionalis, alia actionalis, alia ſortis, alia uſurarum, alia notoria, alia occulta.

Uſura *realis* eſt ea, quæ in mutuo vel apertè deducitur in pactum, ut ſi quis dicat expreſſis verbis *Mutuo ea lege, ut exactô annô des quinque ſupra centum*; vel ſalem exteriùs inſinuatur mutuum non dari niſi ſub ſpe & voluntate aliquid recipiendi ſupra ſortem, ut ſi dicat fœnerator, *noſti morem meum in mutuando*, &c. *Mentalis* eſt ea, quæ ex mutuo intenditur, & de facto percipitur, ſed absque pacto quocumque exteriori. Hinc patet uſuram non dici mentalem, prout pleraque peccata dicuntur mentalia, quia ſcilicet in ſola mente conſummantur; ſed ſicut Simonia, quæ licèt exteriùs perficiatur, dicitur mentalis quando fit absque pacto.

Uſura *aperta* ſeu *formalis* eſt ea, quæ percipitur ex contractu mutui cum pacto expreſſo lucri. *Palliata* verò ſeu *virtualis* eſt ea, quæ re vera provenit ex mutuo, ſed velato aliquo honeſto prætextu, putà donationis, cambii, ſocietatis, venditionis, & emptionis, ut ſi quis vendat ſupra pretium rigoroſum, ob dilatam ſolutionem, aut emat infra pretium infimum ob anticipatam ſolutionem.

Uſura *pactionalis* eſt pactio uſuraria nondum receptô lucrô. *Actionalis* autem eſt ipſa acceptio lucri uſurarii.

Uſura *ſortis* eſt uſura immediatè proveniens ex pecunia mutuo data. Uſura uſuræ verò eſt ea, quæ percipitur ex lucro uſurario v. g. mutuatarius ex pacto inito cum mutuante debet ſolvere ſingulis annis quinque pro centum; non autem ſolvit per quatuor annos, & ita debet viginti, ex quibus mutuans repetit uſuras.

Uſura denique notoria ſeu palam nota duplex eſt, alia notoria notorietate facti, alia notorietate juris. Priore mutuans dat palàm ad uſuram, ita ut nulla tergiverſatione celari poſſit. Altera

tera est, quando mutuans de hoc crimine in judicio est convictus vel propria confessione, vel idoneis testibus.

Circa usuram sic definitam & divisam varia occurrunt resolvenda, quæ singulis titulis ordine exponemus & explicabimus.

I.

311 *An & quo Jure usura prohibita sit?*

Variæ prodierunt circa præsentem quæstionem opiniones. Prima est Judæorum, & Græcorum Schismaticorum, qui, posthabita Patrum Orientalis Ecclesiæ auctoritate, usuram quamlibet, sive à pauperibus, sive à divitibus exigatur, licitam & utilem societati existimant. Nituntur priores lege Mosaica, posteriores nonnullis Imperatorum legibus, qui collabente jam Imperio usuram non tàm probaverunt, quàm toleraverunt. Secunda est Calvinistarum, qui, post exprobratam toties Ecclesiæ Romanæ in doctrina laxitatem, opinionis Duce ac Magistro Calvino (*f*), usuram licere docent duplici hac conditione 1mo. Ut à pauperibus non exigatur. 2do. Ut quæ exigitur à divitibus, non nimia exigatur sed juxta modum legibus definitum. Quæ opinio in Germania etiam apud Catholicos invaluit. Plerique tamen docent, omnem Usuram omni jure divino nempe naturali, & humano esse prohibitam.

Et 1mo. quidem Jure divino, ut legitur Levit. 25. v. 36. ubi prohibetur usura his verbis, *Ne accipias usuras... nec ampliùs quàm dedisti.* Et Deut 23. v. 19. & 20. *Non fæneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem. . . . . fratri tuo quidquid indiget absque usura commodabis, &c.* Item Psal. 14. ubi quærit Propheta, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?...* statimque respondet, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Quibus verbis consonant ea quæ habentur ad Ezechielem c. 18. ubi v. 8. *Si vir, ait Dominus, ad usuram non commodaverit, & ampliùs non acceperit.... vitâ vivet.* Et vers. 13. Ubi De dante ad usuram & ampliùs, quàm dedit, accipiente, quærit num victurus sit, respondetque, *non vivet cùm universa hæc detestanda fecerit, morte morietur.* Denique Luc. 6. v. 35. *mutuum date*, inquit Christus, *nihil inde sperantes.* Quibus locis usuram prohiberi agnoscunt Summi Pontifices, Patres & Concilia. *Cùm usurarum crimen*, inquit Alexander III. cap. *Super eo* eod. tit. utriusque *Testamenti pagina detestetur &c.* Concilium Lateranense II. cap. 13. ait, *usuram divinis legibus in veteri & novo testamento prohibitam esse.* Idemque docet Conciliũ Generale Lateranense III. c. 25. S. Ambrosius lib. de Tobia c. 14. post relatum Deuteron. 23. textum, *Quodcumque sorti accidit usura est, quod velis ei nomen imponas, usura est.* Et cap. 15. ad adducta Psalmistæ verba, *David*, inquit, *benedictum æstimavit & dignum habitatione cælesti, qui pecuniam non dedit ad usuram: si ergo qui non dedit benedictus, sine dubio maledictus, qui ad usuram dedit.* Denique c. 18. ad relata Christi verba Luc. 6. *Cùm Dominus*, inquit, *nihil ab iis, quibus mutuum dederimus, sperandum esse præcipiat.* Idem docent SS. Hieronymus in allatum Psal. 14. locum, & Augustinus serm. 3. in Psal. 36. & multi alii, ut Tertullianus, Basilius, &c. &c.

2do. Ju-

(*f*) In Commentario ad cap. 18. Ezech.

312 2do. Jure naturali : nam Jus naturale prohibet illud omne, quod æqualitatem tollit. Atqui usura æqualitatem tollit: ibi enim tollitur æqualitas, ubi plus exigitur, quàm datum fuerit: sed omnis usurarius plus exigit, quàm ab eo datum sit; ut patet; ubi enim dedit v. g. centum, recipit centum & decem, utique plus recipit, quàm dederit, adeoque in eo mutui contractu lædit æqualitatem (quam tamen servandam esse jus naturale & recta ratio dictat) adeoque & simul justitiam.

313 3tio. Jure humano tùm Canonico, tùm Cæsareo, Canonicô quidem, ut patet ex toto titulo de usuris, & ex pœnis contra Usurarios statutis. Cæsareô veró, ut patet ex Novella 83. Ubi Imperator agnoscit usuras juri divino adversari, & ideo fuisse proscriptas, quia Lege divina prohibentur. Nec mirùm quòd ita de usuris senserint Principes Christiani, cùm vel ipsi Ethnici usuræ malum & iniquitatem agnoverint: unde veteres Romani majori odiô fœneratorem quam furem prosequebantur, *& ita in legibus posuerunt furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli oportere*, inquit Marcus Cato lib. de Rep. in procemio.

Solvuntur Objectiones.

314 Ob. 1mo. Deus permisit Judæis ut usuras acciperent ab extraneis, Deut. 23. v. 19. *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram sed alieno.* Item ibid. c. 28. v. 12. *Fœneraberis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies.* Ergo licita est.

Resp. neg. cons. & dicimus 1mo. Usuram respectu alienigenarum Judæis fuisse permissam duntaxat ad duritiam cordis eorum, ut nempe vitaretur fœnus in fratres Judæos, non autem tanquam rem licitam. Ita S. Thomas 2. 2. p. 78. a. 1. 2do. Deus Judæis non permisit usuram propriè dictam, nempe lucrum ratione mutui proveniens; sed ad summum ut supremus bonorum omnium Dominus occasione mutui Judæis concessit dominium rei additæ sorti, sicut tradidit illis vasa Ægyptiorum. Undè Judæi auctarium non vi mutui, sed vi donationis divinæ accipiebant. Porro hanc concessionem multi restringunt ad illos alienigenas, quibuscum Judæi justum bellum gerebant.

Adde, quòd ex adductis textibus, quantumvis rigorosè acceptis, id unum sequi possit, licitum fore Christianis usuram exercere erga alienigenas, Infideles scilicet, Turcas, aut Idololatras, non autem erga Christianos, ut nec Judæis erga Judæos fœnerari licitum erat. Imò ut ait S. Thomas loc. sup. cit. neque id erga quemquam Christianis licebit, *qui debent omnem hominem habere quasi proximum & fratrem, præsertim in statu Evangelii ad quod omnes vocantur.* Ergo ex data Judæis licentia, quæcumque ea fuerit, nihil colligere possunt Christiani.

Inst. 1mo. Quoties vetus Testamentum usuram prohibet, eam non vetat nisi respectu pauperum, *Si*, inquit Deus ipse Exod. 22. *pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor nec usuris opprimes.* Ergo saltem respectu divitum erit licita. 315

Resp. neg. ant. Contrarium patet ex generalibus, quos suprà adduximus, textibus sacræ Scripturæ, ubi indefinitè loquitur, nulla scilicet facta distinctione inter pauperes & divites, &c. Ergo hæc verba *populo meo pauperi* non continent restrictionem, alioqui & hæc

verba, *qui habitat tecum*, restrictionem quoque continerent; ita ut Judæi exigere potuissent usuras etiam à fratribus suis egenis, modò in eadem civitate cum ipsis non habitassent; quod tamen nemo dicet. Ergo hæc verba *populo meo pauperi* non restringunt legem, sed exempli causâ posita sunt, quia plerumque contingit, ut pauperes magis, quàm divites opis egeant alienæ.

316 Inst. 2do. Christus ipse Matth. 25. de servo pigro conqueritur his verbis: *Oportuit ergo te comittere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.* Ergo Usuram approbat.

Resp. neg. cons. In parabolis non tàm spectandum est id, undè deducuntur, quàm id, ad quod significandum adhibentur; quia aliquando de rebus non laudandis trahuntur quædam similitudines, quæ ad opera laudabilia conducunt: Sic Christus non laudavit iniquum Judicem, qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur; non etiam approbavit villicum iniquitatis, qui de Domini sui bonis amicos sibi fecit. Is ergo tantùm est Christi parabolæ scopus, ut in bonis à Deo acceptis semper proficiamus, atque ut ad mensam Domini non ferrum, non plumbum, sed argentum igne examinatum deferamus, hæc enim est non pecuniæ, sed gratiæ fœneratio, ut docet S. Ambrosius Enarrat. in Psal. 36. eamque solam, non primam Christus commendatam voluit.

317 Ob. 2do. Jus Civile multis Digestorum & Codicis textibus approbat usuras, Ergo.

Resp. neg. ant. Usuræ à Jure Civili non probantur, inquit S. Thomas, sed tolerantur, seu non puniuntur ad impedienda majora mala, sicut tolerantur meretrices. Item Jus civile potest intelligi de usuris latè sumptis, nempè de pecunia, quæ ultra sortem accipitur ob aliquod interesse scilicet vel ob lucrum cessans, vel damnum emergens. Denique si quid in hac parte deficit Jus Civile, correctum fuit Jure Canonico, quod Usurariorum fautores Hæreticis annumerat, & usurarios gravibus subjicit pœnis.

Ob. 3tio. Ex S. Thoma 2. 2. q. 78. 318
a. 1. ad 6. potest accipi pro usu pecuniæ. Ergo.

Resp. S. Thomas ibi loquitur de usu pecuniæ locatæ, non autem mutuatæ; *Usus principalis pecuniæ*, inquit, *est distractio pecuniæ in commutationes: unde non licet ejus usum vendere. Tamen potest esse aliquis secundarius usus pecuniæ argenteæ; ut putà si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendum locô pignoris: & talem usum pecuniæ licitè homo vendere potest*; quia scilicet vendens non mutuat, sed locat; unde pecuniæ dominium & periculum retinet.

Ob. 4to. Montes, ut vocant, pieta- 319
tis (g), qui sunt cumulus pecuniarum publica auctoritate institutus ad mutuandum pauperibus, & indigentibus, approbati sunt à Concilio Lateranensi V. sub Leone X. & à Concilio Tridentino Sess. 22. de reform. c. 8. ubi Montes pietatis inter pia loca recenset. Atqui in illis exigitur aliquid supra sortem. Ergo, &c.

Resp.

(g) *Versatz-Ambt.* Sic dictum germanicè, quia horum montium ministris pignus dari debet ab iis qui pecunias mutuo accipiunt, in earumdem securitatem.

Resp. Dist. min. In illis exigitur &c. ratione mutui, neg. sub alia legitima ratione conc. min. & neg. conf. Illud auctarium in Montibus pietatis exigitur ratione damni emergentis, seu pro eorum impensis, & indemnitate duntaxat, ut expressè declarat laudatum Concilium Lateranense: Nam ad conservationem & administrationem horum montium conducuntur Ministri, quibus debetur aliqua merces; quæ si sumeretur ex ipsa sorte reddenda, brevî montes illi exhaurirentur: sicque damnum emergeret ex mutuo. Cùm autem montium conservatio, indemnitas & administratio ordinetur ad utilitatem accipientium mutuum, ut semper paratam pecuniam invenire possint absque necessitate adeundi usurarios cum majore suo damno, æquum est, ut pro ea aliquid conserant; nam *qui commodum sentit, onus quoque sentire debet*, ex Reg. jur. 55. in 6.

320 Ob. 5to. Jus naturale permittit, ut homo pretium accipiat pro eo, quod non tenetur facere. Atqui plerumque, qui dat mutuo, ad id faciendum non tenetur. Ergo.

Resp. neg. maj. quæ generaliter vera non est. Nam v. g. qui vendit vinum, aut aliquid aliud, facit etiam id, ad quod non tenetur. Atqui tamen non potest aliquid exigere seorsùm à pretio vini, & supra ejus valorem; ergo à pari, qui dat mutuo, non potest aliquid exigere supra id, quod dedit: Nam mutuatio pecuniæ est virtualis venditio illius pro alia simili suo tempore solvenda; sicut ergo pro gratia, quam quis vinum vendendo facit, nihil exigi potest, præter ipsum vini pretium, ità à pari in mutuo.

321 Ob. 6to. Mutuans privat se potestate utendi & fruendi re mutuata, quam aliàs haberet. Ergo ex hac causa licebit ei aliquid supra sortem accipere.

Resp. neg. conf. Nam sicut potestas illa non habet æstimabilitatem distinctam ab æstimabilitate illius rei: ita privatio illius potestatis non habet æstimabilitatem distinctam ab æstimabilitate privationis rei ipsius. Privatio autem rei sufficienter compensatur redditione ejusdem, cùm mutuanti, ut supponitur, ex privatione rei nullum lucrum cesset, nec damnum sequatur.

Inst. 1mo. Saltem potest aliquid exigi propter usum rei mutuatæ. Ergo. 322

Resp. neg. ant. Nam per se injustum est vendere alteri usum rei non suæ, sed hujus alterius; per mutuum enim transfertur in mutuatarium rei mutuatæ dominium; ac proinde usus rei pertinet ad illum, præsertim cùm usus rerum, quæ mutuantur, non sit æstimandus seorsim ab illis, sitque illarum consumptio, vel alienatio.

Inst. 2do. Licitum est pro usu vasorum argenteorum & aureorum, quæ non sunt aliud, quàm aurum & argentum in vasa conversum, item pro usu domûs aliquid exigere. Ergo à pari licitum est pro usu pecuniæ aliquid exigere; argentum enim monetatum, quod est pecunia, non differt specie ab argento in vasa formato. 323

Resp. neg. conf. & parit. Disparitas est, quia in data hypothesi nec hujusmodi vasorum commodatorum, nec locatæ domûs dominium in alterum transfertur, consequenter, cum quævis res Domino suo fructificet, etiam & hæc Domino suo fructificent oportet, præsertim cùm semper ex hujusmodi vasorum & domûs usu, eorum proprietario

 dam-

damnum aliquod obveniat, ut patet, nec enim ea in eo, quo concessa fuerunt statu & valore recipit: hinc ei licitum est pro eorumdem usu aliquid recipere: At contrà evenit in pecunia mutuo data, illius enim dominium transfertur, adeoque & mutuatario fructificare debet non mutuatori; atque post certum tempus, non eadem duntaxat, sed similis & ejusdem omninò valoris reddi debet. Longa ergo est inter hæc disparitas.

324 Ob. 7mo. Pecunia numerata seu præsens est pretiosior numerandâ & absente: nam potest quis per primam negotiari, non per secundam; & re ipsa nemo est, qui aureos centum præsentes pluris non æstimet, quam aureos centum post annum habendos. Ergo nonaginta aurei præsentes æquivalent aureis centum post annum numerandis; adeoque centum accipere post annum, non est accipere supra sortem, nec proinde usurarium. Ita Caramuel lib. 2. Theol. moral. n. 279.

Resp. neg. ant. Nam damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid supra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Et re ipsa aurei centum per se, & secluso omni, quod ex iis fieri posset, lucrô, non plus hodie valent, quàm post annum; neque possidenti sunt utiliores, si in arca otiosi mansuri sint: quòd si mutuans ex iis certò moraliter lucrum facturus erat, haud dubium est, quin aliquid ratione lucri hujus sibi cessantis possit supra sortem exigere: verùm ratione pecuniæ ipsius nihil exigere potest; alioqui cùm in omni mutuo essentialiter detur pecunia præsens, nonnisi in futurum reddenda, nullum est mutuum, ex quo non posset aliquid recipi supra sortem, quod Scripturæ, Patribus & rationi esse contrarium suprà probavimus.

Ob. 8vo. Iniquum non est, si lucrum, quod partim ex pecunia mutuantis, partim ex industria debitoris proficiscitur, ita inter utrumque dividatur, ut eadem sit ratio lucri ad lucrum, quæ est pecuniæ ad industriam, aut industriæ ad pecuniam; est enim hæc negotiatio societas quædam, quæ, ut dicit Justinianus Instit. lib. 3. tit. 26. *ita coiri posse non dubitatur, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit, quia sæpè opera alicujus pro pecunia valet.* Atqui lucrum, quod facit mutuatarius, partim ex ejus industria, , partim ex mutuantis pecunia proficiscitur. Ergo iniquum non est, si lucrum illud mutuantem inter & mutuatarium certô modô dividatur. 325

Resp. Dist. maj. Iniquum non est ut lucrum &c. dividatur &c. Si pecunia remaneat in dominio creditoris seu mutuantis, ut accidit in vera societate, *conc.* Si pecunia transeat in dominium mutuatarii, ejusque periculum ad ipsum pertineat, neg. maj. Porro pecunia per mutuum transit in dominium debitoris seu mutuatarii, qui ejus periculum subit, quocumque modo pereat, ergo totum lucrum ejus esse debet. Contrà verò *ille qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus, ita quod cum periculo ejus mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur: & ideò sic licitè potest partem lucri inde provenientis expetere tanquam de re sua*, inquit S. Thomas cit. q. 78. a. 2. ad 5.

II. *Qui-*

II.

Quibus ex titulis à mutuatore possit aliquid exigi supra sortem.

326 Duo sunt tituli mutuo extrinseci, ob quos licet aliquid supra sortem exigere, qui nomine *interesse* comprehenduntur. 1mus. est *Damnum emergens*, cùm scilicet quis, quia mutuo dat, in bonis jam acquisitis jacturam patitur: ut si pecuniam refectioni ædium, vel solutioni debitorum destinatam mutues alteri eam petenti; unde deinde evenit, ut ædes tuæ deteriores fiant, aut omninò corruant; vel si ipse sub usura cogaris pecuniam accipere ad debita solvenda. Ratio est 1mo. Quia non teneor damnum pati, ut alteri beneficium præstem. Atqui paterer damnum ex beneficio alteri collato, si jacturæ, quam propter mutuum feci, compensationem exigere non possem. 2do. Quia postulat æquitas, ut si rebus tuis consulam; tu vicissim indemnitati meæ consulas. Atqui non consuleres, si damnum, quod tui causâ patior, non resarcires. 3tio. Si quis à mutuatario exigat impensas in transmittendo ad eum mutuum factas, non peccat, quia hoc unicè agit, ut scilicet se præstet indemnem. Ergo à pari in proposito.

327 2dus est *Lucrum cessans*, cùm nempe mutuans ob mutuum privatur lucrô justô, quod certò vel probabiliter facturus fuisset ex pecunia mutuo data, v. g. merces, fundum, censum, aut quid simile emendo, vel aliter negotiando. Ratio est, 1mo. Quia vetat æquitas, *ne quis dispendium patiatur, undè videtur præmium meruisse.* Cap. 2. *De Fidejussoribus.* Sed si non liceret aliquid exigere titulô lucri cessantis, haud dubiè quis dispendium pateretur ob gratiam alteri præstitam. 2do. Ut aliquid titulô lucri cessantis recipere liceat, satis est, ut pecunia negotiationi, aut alii lucro certo vel probabili destinata, & per hoc fructifera, pluris valeat, quàm ipsa eadem secundùm se præcisè spectata. Atqui pecunia sic destinatâ pluris valet; valet enim præter se ipsam id, quod valet spes lucri probabilis. Atqui spes lucri probabilis per se pretiô æstimabilis est; cùm constet spem probabilem e. g. capturæ piscium justô pretiô vendi posse, ut alibi jam diximus.

3tio. Ex communi omnium sententia licet aliquid ultra sortem recipere, propter damnum emergens. Atqui lucrum cessans est damnum aliquod emergens; quia non ille solus damnum patitur, qui perdit aureos centum, quos habet de facto; sed ille etiam, qui ab eorum quos habiturus erat consecutione impeditur; atque sicut jus suum & spem alii vendere poterat; sic & ei vendere potest, cui mutuum donat. Ergo &c. &c.

Ut autem ratione damni emergentis aliquid præter sortem accipiatur, hæ potissimùm requiruntur conditiones. 1mo. Ut mutuum certa sit, ac vera causa damni, non autem culpa mutuantis. 2do. Ut summa, quæ præter sortem exigitur, major non sit detrimentô, quod accidit mutuanti. 3tio. Ut mutuatarius de damno illo moneatur, ita ut penes ipsum stet pecuniam reddere, aut censu aliquo damnum redimere. 328

Et ut ratione lucri cessantis aliquid ultra sortem accipi possit, requiritur 1mo. Ut pecunia, quæ mutuo datur, negotiationi exposita sit, aut rei frugiferæ destinata. 2do. Ut mutuans nullas alias habeat pecunias otiosas; si enim habuerit, vi mutui detrimentum lucri cessantis non patitur, cùm habeat, undè 329

dè illi occurrere possit. Ad hoc tamen non est necesse illam pecuniam computare, quæ in alios eventus gravi ex causa sepositа sit, ut est ea, quæ familiæ sustentationi, filiarum doti, ac inopinatis casibus vitandis destinata est. 3tio. Ut lucrum sit probabile, nec satis est, quòd simpliciter sit possibile. 4to. Ut deducantur expensæ, quæ in re frugifera, quæ alioquin emeretur, colendâ aut conservandâ fieri deberent.

330 Præter hos duos titulos, varii adhuc à variis adduci solent, vi quorum in mutuo aliquid supra sortem accipi possit; adeò ut si ii verè sufficiant, nemon nisi stupidus & hebes usuram admittere nequeat: Sunt autem potissimum isti, labor in numeranda pecunia; carentia gaudii, quod parit pecuniæ suæ visus; obligatio non repetendi pecuniam usque ad certum tempus; difficultas recuperandæ sortis, ejusque amittendæ periculum; ac denique Statutum, vel consuetudo loci.

Hi duo ultimi tituli attentionem nostram merentur, cæteri verò, quemadmodùm ii, quos suprà in solutionibus Objectionum refutavimus, apertè futiles sunt & inanes, proinde haud sufficientes, ut vi illorum quidquam ultra sortem in mutuo recipi possit. Nam 1mo. labor in numeranda pecunia in omni mutuo reperitur, cùm non detur mutuum v. g. pecuniarium, nisi numeratâ pecuniâ. Ergo leges, quæ prohibent, ne in mutuo accipiatur aliquid supra sortem, nullam laboris hujus rationem haberi voluerunt; alioquin una manu subverterent, quod alterâ ædificare conarentur, dùm mutuum gratuitum esse juberent, & simul permitterent, ut quid exigeretur pro labore mutui dandi, sine quo tamen mutuum dari non potest.

331 2do. Carentia pecuniæ mutuo est essentialis, cùm fieri nequeat, ut quis & pecuniam det mutuo, & eam simul retineat. Ergo cùm propter ipsum mutuum non liceat aliquid supra sortem recipere, nec id quoque propter carentiam ejus licitum esse potest.

3tio. Obligatio non repetendi sortem ante certum tempus v. g. annuum, est de intrinseca ratione mutui, ut patet; aliàs non distingueretur *à precario*, quod ad nutum concedentis revocari potest. Atqui, ut sæpiùs jam diximus, non licet exigere aliquid pro eo, quod est de intrinseca ratione mutui. Item, Non magis obligatio carendi re mutuata, eamque non repetendi ante tempus condictũ, est æstimabilis supra valorem rei mutuatæ, quàm obligatio carendi re vendita est æstimabilis supra valorem rei venditæ. Atqui obligatio carendi re vendita non est æstimabilis supra rei venditæ valorem. Ergo à pari. Undè ab Alexandro VII. inter 45. propositiones damnata est hæc numerô secunda. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem recipere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* 332

Circa periculum recuperandæ sortis Not. 1mo. duplex in mutuo distingui posse periculum: generale unum, quod idcircò intrinsecum dici potest; aliud particulare seu extrinsecum. Periculum generale illud est, quod reperitur in omni mutuo vel *secundùm se* spectato, ut quòd bona illius, cui datur mutuum, perire possint incendio, devastatione, similibusque casibus fortuitis; vel spectatô *secundùm finem*, ad quem mutuum ordinatum fuit à Deo, ut quod mutuatarius sit pauper, fidejussorem obtinere non possit, &c. Certum quippe est, ex Scripturis, mutuum in gratiam & levamen pauperis præsertim institutum fuisse, ut cui per eleemosynam succurrere te- 333

teneremur, ei per mutuum aliquando opem feramus. Periculum particulare illud est, quod à mutuo separari potest, ut quòd pecunia detur homini nullius conscientiæ, prodigo, litium amanti, naviganti in mari procelloso, commercium periculosum habenti, merces per hostium castra, aut vias latronibus obsitas deferenti.

Not. 2do. Mutuantem posse vel suscipere in se periculum jacturæ sortis, adeò ut illa pereunte sine mutuatarii culpa, mutuans nihil repetere possit præter pretium sibi pro assecuratione sua promissum; vel periculum illud mutuatario relinquere, ita ut mutuatarius rem restituere debeat, quocumque modo perierit. His prænotatis

334 Apertum est 1mo. non licere aliquid supra sortem accipere ratione periculi quod in omni mutuo secundùm se spectato reperitur. Nam, ut jam sæpiùs inculcavimus, non licet aliquid accipere supra sortem pro eo, quod est de ratione intrinseca mutui; alioqui præcisè vi mutui liceret aliquid supra sortem accipere. Atqui periculum generale est de intrinseca ratione mutui, ut ex ipsa ejus definitione patet. Ergo. Deinde periculum istud subiret ipse mutuans, etiamsi rem suam mutuo non daret. Ergo & illud subire debet, dum eam dat mutuo; aliàs melior esset ipsius conditio, quàm mutuatarii, atque hìc non servaretur æqualitas; cùm tamen de ratione cujusvis contractus sit, ut plena in eo servetur æqualitas.

335 2do. Jure saltem divino illicitum est aliquid ultra sortem recipere propter periculum, quod reperitur in mutuo spectato secundùm finem, ad quem à Deo fuit ordinatum. Nam præcepit Deus ut mutuum pauperi gratis daretur, Exod. 22. v. 25. Et de pauperibus præcipuè intelligendum est, quod Christus dixit Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Atqui mutuum nunquam gratis dabitur, si liceat aliquid recipere ultra sortem propter periculum paupertati, si ita loqui fas est, annexum, quia tale periculum à tali mutuo moraliter est inseparabile. Idque cederet in oppressionem eorum, qui sunt pauperiores, à quibus pro majori periculo plus solitò accipere liceret, contra illud Exod. 22. v. 25. *Si pecuniam mutuam dederis . . . pauperi. . . . non opprimes eum.*

3tio. Si mutuans in se sortis periculum recipiat potest eo titulo aliquid 336
supra ipsam sortem recipere. Ratio est, quia præter contractum mutui, reperitur in hoc casu contractus assecurationis, quæ assecuratio, & molestia ac sollicitudo inde resultans, est pretiô æstimabilis, ad quam nemo tenetur in gratiam & securitatem alterius. Adde, quòd in tali casu nihil exigatur ex mutuo sed ex contractu assecurationis, ex quo licitum est cuilibet sortem assecuranti exigere aliquid ab eo, pro quo præstat illam assecurationem; cur ergo etiam mutuanti similem assecurationem præstanti non liceat?

Nec obstat cap. *Naviganti, De usuris.* ubi Gregorius IX. sic loquitur: *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est.*

Nam 1mo. dici potest cum benè multis auctoribus haud certè contemnendis, in textu allegato ex incuria librariorum omissam esse particulam *non*, ita ut legi debeat *Usurarius non est censendus*: Atque hoc indicant hæc, quæ proximè sequuntur verba: *Ille quoque qui dat decem solidos . . . . . . non debet ex boc usurarius reputari.* Ubi particula

ticula *quoque* conformitatem prioris casus cum posteriore indicat; ergo sicuti hîc ponitur particula *non*, ita & in præcedenti interseri debet, secùs enim particula *quoque* hîc non faceret bonum sensum & connexionem; sed potiùs poni particula *è contrà* deberet, sicque dici *Ille è contrà*, *&c.*

2do. Ideò dicit S. Pontifex mutuantem usurarium esse censendum, non ideo, quia periculum sortis in se suscepit, sed quia mutuatarium coegit, ut ei sub auctario illud relinqueret, cùm tamen mutuatarius aliâ viâ, nempe per pignus aut fidejussionem, sortem assecurare maluisset: vel quia periculum non tantum fuit, ut pro suscepta ejus assecuratione auctarium dare oportuerit: vel quia mutuans non priùs monuit mutuatarium, quòd susceptô in se periculô propterea plus exigat. Quibus in casibus rectè præsumpsit Pontifex talem mutuantem animum gerere usurarium: qui animus tamen, si abfuisset, re ipsa in foro interno non fuisset usurarius censendus, quemadmodùm usurarius censendus non est, qui pro pretio rei cujusdam assecurationem alteri præstat, &c.

337 4to. Denique potest sine usura aliquid supra sortem accipi propter periculum probabile extrinsecum sortis. Ratio est; quia res suas in gratiam alterius periculo exponere est quid pretiô æstimabile, & quidem eo majori, quo majus est periculum, quod nemo tenetur in alterius gratiam gratis subire: neque periculum istud est per se connexum cum mutuo. Confirm. 1mo. Licitum est pro assecuratione sortis, fortè perituræ, cujus periculum mutuans in se pro mutuatario suscipit, aliquid exigere, ut primùm diximus, & infrà ubi de assecuratione differemus, fusiùs adhuc probabimus. Ergo etiam licet aliquid exigere pro periculo sortis non recuperandæ, seu propter non factam alicundè assecurationem sortis à mutuatario, quam tamen, si peteret mutuans, assecurare deberet. Confirm. 2do. Fidejussor pro periculo, quod subit fidejubendo, ne rerum suarum faciat jacturam, licitè aliquid exigit, leg. 19. §. 1. ff. *De donat.* Ergo & mutuans pro periculo, quod subit amittendi res suas.

Attamen notant hîc graves Theologi id in praxi vix sine usura evenire. 338 Ratio est, quia, ut ratione probabilis extrinseci periculi sortis amittendæ supra sortem licitè aliquid exigi possit, variæ requiruntur conditiones, quæ raro servantur. 1mo. Necesse est, ut absit intentio lucrandi ex mutuo; quia aliàs, etiam seclusô pactô, erit usura mentalis. 2do. Periculum debet esse verum, probabilibusque conjecturis fundatum; non autem fictum, prout facilè fingitur ab iis, qui lucrari amant. 3tio. Mutuatario liberum esse debet Fidejussorem aut pignus pro assecuratione sortis mutuanti præstare, nec debet cogi ad paciscendum de isto periculo. 4to. Ut mutuans pro isto periculo non plus exigat, quàm vel ipse, vel mutuatarius alteri dare vellent pro hujusmodi periculi assecuratione. 5to. Ita servandæ sunt justitiæ leges, ut non violentur eæ, quæ sunt charitatis: At conditiones illas pauci eorum norunt, qui mutuo dant, pauciores ad praxim redigunt; ita enim plerique lucro inhiant, ut seclusa ejus spe, mutuum non darent; cùm probabile periculum sentiunt, mutuo non dant; inter periculi qualitates non distinguunt, sed ab omnibus æqualiter exigunt; Fidejussores aut pignora recusant, ut quocumque tandem modo aliquid supra sortem recipiant, &c. Rarum igitur est,

est, ut in eorum agendi ratione, non irrepat usuræ fuligo.

339 Nunc tandem de famigeratissimo illo ultra sortem aliquid in mutuo exigendi titulo, qui præcisè à statuto & locorum consuetudine petitur, nobis est disserendum. Titulus iste, primùm quantùm arbitramur, à Calvino, prout initiô jam annotavimus, in orbem Christianum invectus est, quem deinde totis viribus propugnarunt ejus sequaces Acatholici, à quibus in Catholicos derivatus, atque ab iis etiam universim saltem in Imperio Romano Germanico adoptatus est, ubi adhuc obtinet; quamvis communiter à Theologis rejiciatur, qua in re tamen adversarios patiuntur Juris-Consultos Civiles penè omnes, Ecclesiasticos autem saltem in Germania non paucos, imò haud paucos præstantes Theologos.

Certè de facto in Imperio Romano existit hujusmodi Statutum & Consuetudo permittens quincunces seu quinque pro centum usuras ex mutuo, quiprobari debeat ullus alius titulus damni emergentis, lucri cessantis, periculi amittendæ sortis, &c. ut patet ex Recessibus Imperii de anno 1500. 1530. 1548. Augustæ, & annô 1570. sub Maximiliano II. & 1600. sub Rudolpho II. uti & ex communi praxi.

Sanè stante hocce titulo, & si ex Statuti vel Consuetudinis capite duntaxat liceat in mutuo aliquid ultra sortem exigere, non opus videtur, multùm esse sollicitum, an penes mutuantem adsit damnum emergens, lucrum cessans, vel alius ex illis, quos allegavimus, titulis, utpotè quos omnes evacuat hicce Statuti & Consuetudinis titulus; nisi fortè dicere velimus memoratos titulos firmitatem obtinere in iis locis, ubi Statutum & Consuetudo permittens aliquid ultra sortem non viget; Item in iis locis, ubi plus exigi potest pro ratione damni, lucri cessantis, &c. quàm sit illa determinata quantitas v. g. 5. pro 100. à Statuto vel consuetudine.

Porrò qui tuentur licitum esse titulô Statuti vel consuetudinis in mutuo recipere aliquid ultra sortem; auctarium istud vocant *usuram minùs strictè sumptam*, eò quòd talis usura seu auctarium à Statuto vel consuetudine permissum, non tam ex mutuo, quàm occasione mutui ex dispositione Juris videatur recipi posse; ferè sicut usura seu auctarium compensatorium, quod accipitur ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, non est propriè & in stricto rigore usura, eòquòd non immediatè ex mutuo, sed ex alio titulo justè, qualem & quoque Statutum vel consuetudinem esse dicunt, auctarium istud petatur. 340

Prætereà, prout jam initiô annotavimus, volunt ut usura hæc seu auctarium, quod titulô Statuti vel consuetudinis exigitur, sit moderatum, nec ita excessivum, ut causa publica, spectans bonum Reipublicæ, illud permittendi verè adhuc subsistat; verbò ut sit juxta modum à legibus definitum. Deinde ut à pauperibus non exigatur, juxta illud Exod. 22. suprà à nobis relatum; ne per hujusmodi usuras ad mendicitatem inevitabili necessitate redigantur; & sicut Jure divino & naturali, atque lege charitatis iis mutuum dare oportet, ita etiam lege divina, naturali, & charitatis ab iis usuras exigere prohibitum est. His præmissis igitur 341

Dicunt. Usura lucratoria minùs strictè sumpta, & Jure divino & naturali prohibita, probabiliter non est ita ab- 342

absolutè prohibita, ut à Magistratu humano per Statutum (idem est de Consuetudine, lege non scripta, quæ vim suam habet à consensu Legislatoris humani, & à causa, ex qua redditur rationabilis) in quibusdam circumstantiis & ex causa publica permitti non possit tanquam licita, modò sit moderata, & aliundè non repugnet charitati erga proximum à Jure naturali & divino præceptæ, ut suprà dictum est.

343 Prob. 1mo. Penes Rempublicam datur dominium altum rerum & bonorum ad privatos pertinentium, ita ut, ex causa publicum bonum spectante, de iis citra ullius injuriam Magistratus disponere possit, prout bono communi utile vel necessarium est, ut nemo negaverit. Ergo si adest causa publica, idque bono communi vel utile, vel necessarium judicatur, etiam potest disponere, ut ex mutuo datis rebus lucrum aliquod moderatum obveniat mutuanti, eique fructificent res non ampliùs suæ, sicut per usum earum, quem alteri spontè concessit, fructificant mutuatario. Ergo Jus naturale & divinum conditionatè tantùm, & non omninò absolutè, prohibuit usuras, sed sub conditione, nisi nempe Respublica, vel Magistratus, in cujus dominio alto res & bona privatorum existunt, aliud ordinandum judicaverit propter bonum commune.

344 Prob. 2do. Deus rectè permisit Judæis usuras exigere ab alienigenis, quia habet supremum dominium & absolutum in omnes res hominum, quo patet, usuras Jure naturali absolutè non esse prohibitas. Atqui Magistratus Humanus habet etiam in omnes res privatorum hominum Reipublicæ membrorum dominium altum, licèt ad existentiam causæ publicæ restrictum. Ergo etiam propter bonum publicum rectè potest permittere usuras moderatas.

Prob. 3tio. Quamvis Jus naturale 345 generatim vetet aliquem locupletari ex alieno, & rei alienæ per illius possessionem fieri dominum; tamen Magistratus humanus ob dominium altum scilicet, quod habet in quoslibet privatos homines tanquam Reipublicæ membra, per legem præscriptionis dominium rei alienæ debito tempore & modo possessæ transfert à Domino in possessorem, ita ut iste in utroque foro tam interno, quàm externo eam retinere, & sic ex alieno locupletari possit (*b*). Ergo etiam, quamvis Jus naturale generatim usuras prohibeat, seu lucrum ex re non ampliùs sua, rectè tamen illas permittit Magistratus seu Respublica ex causa publica, & ob dominium suum altum, per Statutum vel consuetudinem; adeoque sicut in causa præscriptionis Jus naturale conditionatum est non verò absolutum, ita est etiam conditionatum duntaxat quod usuras, nec eas pro omnibus circumstantiis prohibet.

4to. Igitur sicut lex præscriptionis, 346 quamvis ei repugnare videatur Jus naturale, nihilominùs ob justas & publicas causas rectè stabilita à Republica manet, ita & ab eadem Republica Statutum vel Consuetudo usuras permittens moderatas, ob justas & publicas causas, seu publicam utilitatem vel necessitatem spectantes introduci & stabiliri rectè potuit. Atqui ob hujusmodi causas justas & publicas &c. tale Statutum &

(*b*) Vid. sup. c. 2. sect. 1. §. 3. ubi de præscriptione egimus.

& Consuetudo introducta & stabilita est à Republica. Ergo.

Prob. min. enumeratione causarum illarum. 1ma. *Evitatio litium* (quæ etiam communiter assignatur, & pro sufficienti habetur in Præscriptione) si enim necessariò requireretur titulus lucri cessantis, damni emergentis, periculi amittendæ sortis, &c. aut prævia probatio *interesse*, litium non foret finis, cùm talis titulus deberet probari, & à mutuatariis, qui ægrè solvunt usuras, adesse passim negaretur. 2da. *Facilitas obtinendi mutuum*, quæ sicut bono communi & Reipublicæ membris est valdè utilis, & in casibus indigentiæ necessaria, ita est valde optabilis communitati & Reipublicæ, consequenter & Statutum vel Consuetudo hanc facilitatem procurans: si enim homines nihil lucri reportarent ex mutuo dato, vix reperire esset, qui necessitatem patientibus, refrigescente nimiùm charitate, dare mutuum vellent; sed mallent pecunias etiam otiosas, habere apud se, retentô earum dominiô, quàm apud alium translatô; quod Reipublicæ summopere noxium foret. 3tia. *Subsidium* ex usuris obveniens Ecclesiis, Locis Religiosis, viduis, pupillis, & personis miserabilibus, quæ per se ipsas non possunt negotiando lucrum capere ex suis pecuniis: si tamen eas dent aliis, qui ex earum usu lucrum faciunt, sustentari & conservari possunt; quas personas sustentari & conservari Reipublicæ apprimè interest. 4ta. *Tranquillitas conscientiarum*; cùm aliàs, si necessarius foret alius titulus, facilè multi orirentur scrupuli. 5ta. *Præsumptio generalis*, eaque duplex, quarum unâ præsumitur in mutuante regulariter & ordinariè adesse justum alium titulum aliquid accipiendi ultra sortem. Recess. Imper. Spirens. de an. 1600. §. 152. leg. 7. §. 3. ff. *De administ. tutor.* per alteram verò præsumitur adesse in mutuatario opportunitatem lucrum faciendi ex re mutuo accepta; nam neque pecunia ita sterilis est, ut, accedente hominis industria, non minùs fructificare possit, & utilitatem afferre, ac domus, equus, ager, fundus, &c. qui etiam sine opera hominis steriles sunt: adeò ut etiam in pecunia quasi ususfructus constitui valeat, leg. 1. l. 2. ff. *de usufr. ear. rer. quæ us. consum.* Atqui Lex vel Statutum fundatum in præsumptione generali, ac in ordinariè contingentibus, rectè fertur, & vim habet pro omni casu, etsi in quibusdam casibus particularibus cesset illa ratio, in qua fundatur universaliter illud Statutum vel lex, prout communiter docent Juris periti, & nos annotavimus in Tract. de Legibus part. 2. cap. 1. sect. 4. §. 5.

Igitur juxta hos Doctores sicut Jus naturale, quod vetat, ne quis re aliena locupletetur, in lege præscriptionis exceptionem patitur, ita etiam idem jus circa usuras moderatas ex mutuo percipiendas in Statuto & Consuetudine Reipublicæ patitur exceptionem.

Nos qui de hoc ultra sortem aliquid 347 in mutuo accipiendi titulo sentiendum sit, virorum prudentum ac sapientum arbitrio relinquimus. Id pro certo asseverare possumus, quòd in nostra Germania neque Judices examinent, an in casu mutui adfuerit titulus lucri cessantis &c. neque fideles etiam timorati, & Religiosi attendant, utrum adsit alius titulus, putà lucri cessantis, quando dant mutuas pecunias, cum quibus non negotiarentur, sed asservarent otiosas, & inde lucrum accipiunt 5. pro 100. & solùm tunc putant se peccare, & puniuntur

piuntur, quando ultra hoc lucrum, Statutô & consuetudine permissum, absque alio titulo aliquid accipiunt (*i*).

348 Quæritur hîc etiam an mutuans non possit fructus pignoris sibi pro mutui assecuratione traditi ultra sortem exigere & accipere? Pignoris autem nomine intelligitur res quæcumque sive mobilis sive immobilis creditori tradita in assecurationem debiti.

Si ergo v. g. Petrus à Titio receperit domum, fundum, equum, & similia in assecurationem mille florenorum, quos eidem Titio dedit mutuos, quæritur an fructus è domûs locatione, aut equi conductione prodeuntes, possint à mutuatore percipi, donec mutuatarius solvat; an verò usurarius sit contractus, quo horumce fructuum perceptionem exigit mutuator. Hujusmodi contractus alio nomine vocatur *Antichresis*, id est, *usus contrarius*, prout creditor pecuniæ suæ locô rebus alienis fruitur.

349 Sanè hujusmodi contractus omninò usurarius est, ac proinde illicitus. Constat 1mo. ex cap. 1. & 2. atque 8. *De usuris.* & Lib. 1. Instit. Cod. *De pignor. act.* 2do. Quia ex dictis, contractus, in quo vi mutui aliquid accipitur supra sortem, est usurarius. Atqui talis est contractus de quo loquimur; in eo enim accipiuntur reditus, qui verè alieni sunt, cùm res quælibet Domino suo fructificet. Ergo ut contractus ille ab usura immunis reddatur, fructus percepti in sortem, vel, ut alii dicunt, in sortis diminutionem computari debent, deductis tamen expensis tam necessariis, quàm utilibus in rei conservatione, reparatione, cultura, à mutuante factis.

Excipe 1mo. Feudum in pignus debiti Domino directo datum; quia ex Juris dispositione ea est feudi natura, ut si Domino in pignus detur, possit is interim ejus fructus percipere, modò feudatarius eo tempore liber sit à servitio præstando, juxta cap. 1. *De feudis.* 2do. Fundum, qui locô dotis in pignus datur, ex cap. 16. *De usuris.* Quia fructus ejus tenent locum dotis, & necessarii sunt ad sustinenda matrimonii onera.

III.

De pactis, quæ mutuo addita usuram parere possunt. 350

Quatuor præsertim sunt pacta, quæ mutuo adjungi solent, & ut onera mutuatario imponi. 1mum. est amicitiæ, vel condonationis injuriæ. 2dum. est remutuandi. 3tium. est pœnæ conventionalis. 4tum. est de re reddenda in eadem quantitate, specie vel numero, cùm mutuans scit eam pluris deinceps valituram; verùm de hoc ultimo pacto jam suprà sufficienter disseruimus; undè solùm de tribus aliis agemus.

Amicitiam in pactum deduci posse pro mutuo nemo ambigit, utpotè quæ ex iis non sit bonis, quæ pecuniâ æstimantur. Idem est de iis amicitiæ & urbanitatis signis, quæ absque mutuatarii molestia & incommodo exhiberi possunt.

At

(*i*) Vid. infra §. 6. de censibus circa finem n. 386.

351 At verò qui exigit, ut mutuatarius condonet reparationem injuriæ, ad quam mutuans vel alius jam à Judice condemnatus est, vel condemnari debet, quamque mutuatarius nec ex justitia, nec ex charitate remittere tenetur, usuram committit.

Ratio primæ partis de reparatione per Judicem jam decreta, quia hoc nihil est aliud, quàm debitum pecuniarium & quidem legitimum extinguere velle vi mutui, quod est velle pecuniam supra sortem ex mutuo. Ratio secundæ partis est, quia usurarium est imponere alicui vi mutui onus pretiô æstimabile: sed impedire ne quis reparationem, ad quam jus legitimum habet, juridice obtineat, est eidem imponere onus pretiô æstimabile, seu efficere, ut juri suo renuntiet. Ergo.

352 Quantùm ad 2dum. Solent, qui mutuo dant, exigere, ut mutuatarius ipse remutuet, quoties mutuans indiguerit; vel ut justô pretiô emat apud mutuantem, in molendino ejus molat, domum ejus locet, &c.

Id justum esse ac proinde licitum afferunt multi; negant alii ex ratione, quia quòd quis remutuare debeat, est pretiô æstimabile, ut patet ex eo, quod quis accipere possit pretium pro obligatione mutuum dandi, quoties id alius exigit. Ergo talem obligationem ex mutuo exigere ut debitam, & ex vi pacti, est lucrum ex mutuo reportare. Idem dicendum volunt de obligatione molendi apud mutuantem, aut emendæ apud eum mercis, quia licèt non sit gravamen ratione pretii, quod justum supponitur, est tamen gravamen ratione libertatis, quæ etiam est pretiô æstimabilis. Ita S. Thomas & post ipsum alii innumeri.

353 Tertii pacti sensus est, an videlicet in mutuo licita sit hæc pactio, ut mutuatarius, si ad terminum præstitutum non restituerit, aliquid solvat in pœnam suæ moræ.

Communiter tenent Doctores, hujusmodi pœnam conventionalem absque usura mutuo apponi posse, modò adsint certæ conditiones. Ratio est, quia hæc pœna apponitur ex contrahentium consensu, & ob finem legitimum, nempe ut contractuum firmitati consulatur, & puniatur negligentia, vel iniquitas mutuatarii, qui mutuum invito benefactore suo retinet: in quo nihil est iniqui.

Conditiones verò requisitæ hæ sunt: 1mo. Ut id non fiat in fraudem usurariam, sed ex sola intentione vera & sincera sortem suam tempore statuto recuperandi. Unde si non cures, utrum solvatur tali tempore, an non: vel si optes non solvi: vel si eum terminum, intra quem scis mutuum reddi non posse, constituas, tunc pœna apposita est velamen usuræ, & re vera lucrum ex mutuo principaliter intendis. 2do. Ut debitor verè sit in culpa non solvendo notabili tempore post transactum terminum: nam sine culpa nulla potest justè imponi nec exigi pœna, ex c. 2. *De constit.* & Leg. 22. Cod. *De pœnis.* Hinc pœna non debetur, si debitor sine sua culpa tempore præfinito non solverit propter moralem impotentiam, hoc est, difficultatem tantam, ut creditor censeatur non posse esse rationabiliter invitus circa solutionis dilationem.

3tio. Ut pœna sit moderata secundùm mensuram culpæ & rei mutuatæ, alioqui esset injusta, & iniquè cogeretur mutuatarius in eam consentire. Hinc in contractu mutui pactum legis commissoriæ, quo pignus à mutuante retine-

tur in pœnam moræ mutuatarii prohibitum est, L. 1. & 3. Cod. *De pactis* & cap. 7. *De pignoribus.* Excipe nisi pignus non excedat notabiliter debitum, & ita censeri possit esse pœna moderata. Quòd si pars debiti solvatur, non potest tota pœna exigi, sed tantùm pro ratione partis non solutæ, c. 9. *De pœnis.* Idem dic, si mora non sit notabilis; nam si per biduum vel hebdomadam ultra terminum præfinitum solutio differatur, ordinariè non debet æstimari culpa digna pœnâ constitutâ, saltem totâ.

354 Pœna autem conventionalis positis his conditionibus debetur ante omnem Judicis sententiam: quia debetur ex vi pacti justi; & hæc est intentio contrahentium, ut ipso jure transgressor pœnam solvere teneatur sine necessitate Judicem adeundi cum sumptibus & molestiis; saltem si petatur; nam multi putant talem pœnam solvi non debere, antequam petatur expressè vel tacitè: quia mutuans, si non petat solutionem pœnæ, cùm facilè possit, censetur eam condonare; & pœna videtur imponi sub hac tacita conditione, *si petatur.*

IV.

355 *De iis, qui ratione lucri usurarii ad restitutionem tenentur.*

Quæstio hîc est 1mo. de Usurario reali. 2do. De Usurario mentali. 3tio. De eo, qui bona fide contractum usurarium celebravit, vi cujus auctarium percepit, quod alio, ut lucri cessantis, titulo hîc & nunc percepturus fuisset, nisi ex bona fide aliam contrahendi viam iniisset. 4to. De tutore, qui pupilli pecuniam dedit ad usuram. 5to. De hæredibus usurarii, & quidem an teneantur in solidum. 6to. Demum de iis qui usuræ cooperati sunt: quæ omnia paucis investigabimus.

Quantùm ad 1mum. Certum est, 356
quòd usurarius realis ad restitutionem teneatur. Ita passim habetur totô tit. *De usuris.* Et Ratio est, quia usurarius alienum habet Dominô rationabiliter invitô, quod ad inducendam restitutionis obligationem sufficit. Neque enim acquirit dominium rei per usuram obtentæ; nam contractus usurarius, cùm ut talis nullus sit jure naturali, divino, &c. dominium transferre non potest; & qui usuras accipit, non magis earum dominium acquirit, quàm latro, cui viator, ne ab eo interimatur, marsupium tradit, ejusdem dominium acquirat.

Quantùm ad 2dum. Non minùs 357
certum est Usurarium mentalem, id est, qui sine pacto ullo etiam implicito aliquid supra sortem recipit, teneatur ad restituendum. Ratio est, quia in eo sita est usuræ pravitas, quòd speretur vel recipiatur aliquid, quod ille, qui dat, non debet, nec intendit transferre in accipientis dominium. Atqui usurarius etiam mentalis recipit ex hypothesi aliquid, quod sibi non debetur. Ergo tam usurarius est, quàm qui recipit ex pacto, adeoque, sicut & ille, restituere tenetur. Atque hoc expressè tradit Urbanus III. cap. 10. *De Usuris.*

Quantùm ad 3tium. Qui bona fide 358
contractum usurarium iniit tenetur ad restitutionem auctarii percepti. Ratio est, quia qui dominium auctarii non acquisivit illud restituere debet. Atqui qui bona etiam fide contractum usurarium iniit, auctarii dominium acquirere non potuit: Non enim potuit ratio-

ne

ne contractûs, utpotè qui nullus fuit; non etiam ratione bonæ fidei, nam, prout infrà dicemus, bonæ fidei possessor tenetur ad restitutionem. Ergo.

Atque ad eam restitutionem tenetur, quamvis aliter contracturus fuisset, si prioris contractus injustitiam cognovisset, atque sic sub alio justo titulo, putà lucri cessantis, idem auctarium percepisset; quia conditionalis ista nihil hîc & nunc ponit in re; aliàs qui mala fide iniisset contractum usurarium, posset ex eo lucrum retinere, saltem in casu, quo voluisset justô contrahere modô, si quem novisset; quod tamen falsum est.

Advertendum tamen usuram non esse, si contrahens expressè intendat omni, quo potest, titulô justô contrahere; aut si virtualiter & implicitè justum aliquem titulum intendat, putà si eo velit contrahere modo, quo viri pii & artis periti contrahunt; aut non alium reportare lucrum, quàm quod mercatores justè reportant: sed semper hîc cavendum est, ne hæc duo confundantur, *Volo sic contrahere*; & *voluissem sic contrahere, si cogitassem*; quamquam enim prius sufficere possit, non tamen posterius.

359 Quantùm ad 4tum. Tutores restituere tenentur id, quod ex pupillorum denariis usurariè comparaverunt. Ratio est, quia ex dictis Usura per se & intrinsecè mala est & illicita. Ergo non magis in pupillorum, quàm in aliorum gratiam exerceri potest. Ergo qui eam exercent tutores ad restitutionem ejus, quod ex ea comparaverunt, tenentur.

360 Quantùm ad 5tum. Hæredes usurarii tenentur restituere. ex cap. *Tua nos.* tit. *De Usuris.* Et ratio est, quia hæres repræsentat personam defuncti. Ergo in defectu ejus tenetur restituere.

Verùm lis est Canonistas inter & Theologos, num hæredes hujusmodi teneantur in solidum restituere.

Certum est, si res accepta esset apud unum hæredem, eum teneri eam restituere, ita tamen, ut actionem haberet de evictione contra cæteros, adeoque deberent refundere pro rata. Difficultas solùm est, quando res accepta non exstat. Canonistæ communiter affirmant hæredes teneri in solidum, quia ex cit. cap. *Tua nos*, cogendi sunt hæredes ad restituendas usuras ea districtione, qua parentes eorum, si viverent. Atqui ipsi usurarii restituere cogerentur usuras omnes ex residuis bonis. Ergo similiter & hæredes.

Contrà Theologi communiter negant teneri; quia in successione hæreditatis sicut bona defuncti dividuntur inter hæredes, ita etiam ejus obligationes personales & debita: Æquum enim est, inquiunt, ut qui tantummodò commodum ex parte percipit, onus quoque duntaxat sentiat proportione servata.

Ad Cap. autem *Tua nos* respondent, ibi tantùm significari totam obligationem restituendi transire ad hæredes simul junctos, ita tamen, ut singuli non teneantur nisi ex parte. Huic posteriori sententiæ omninò adhærendum est.

Quantùm ad 6tum. Qui cooperantur ad usuras ad restituendum tenentur, sicut & illi, qui furo cooperantur. Sunt enim illarum causa; adeoque & damni. 361

Inter cooperatores autem numerantur 1mo. Consulentes & suadentes usuras, aut pecuniam præbentes ad eas exercendas. 2do. Domini temporales, Ju-

Judices, Advocati, qui edictô, præceptô, aut aliter causæ sunt, ut vel solvantur usuræ, vel solutæ non restituantur, adversùs quos fertur excommunicatio, Clementinâ unicâ, *De usuris.* 3tio. Ministri principales usurarii, ut proxenetæ, negotiorum gestores, factores, correspondentes, notarii conficientes instrumenta requirente usurario, vi quorum solvendæ sunt usuræ. &c.

Diximus 1mo. *Ministri principales*: nonnulli enim ita remotè concurrunt, ut censeri non possint causa damni mutuatario illati: tales sunt famuli, qui recipiunt pignora, eaque asservant; qui numerant pecuniam; qui referunt omnia in libris rationum: qui autem cogunt ad solutionem usurarum, inter principales sunt numerandi; quia re vera mutuatario injuriam inferunt.

Diximus 2do. *Notarii conficientes instrumenta requirente usurario*; si enim postulante mutuatario conficiant, peccant quidem, & perjuri sunt; sed minimè injusti, quia volenti & roganti non injuriam, sed solatium attulêre.

V.

362 *De pœnis Usurariorum.*

Usurarii publici & notorii sunt infames Cap. *Infames* Caus. 3. q. 7. & Leg. *Improbum fœnus.* Cod. *Quibus ex causis infamia irrogatur.* ac per consequens irregulares & inhabiles ad officia & beneficia. Ad communionem altaris non sunt admittendi, nec Ecclesiasticæ sepulturæ tradendi, nec eorum oblationes accipiendæ; Cap. *In omnibus* tit. *De usuris.* Non admittuntur ad confessionem antequam satisfecerint, vel cautionem dederint, si possint; aliàs si periculum moram non patiatur, admittendi sunt sub juramento se non posse satisfacere, nec dare cautionem, cap. *Quanquam*, *De usuris in 6.*

Usurarii etiam occulti, *sic compellendi sunt ad restitutionem, ut beneficium absolutionis eis denegetur, nisi restitutionem faciant plenam, quantum potuerint, aut dilationem petierint ab his, quibus restituere tenentur*, si nempe actu restituendo impares sint. Ita S. Thomas Opusc. 78. c. 16. Et hæc severitas tunc præcipuè adhibenda est, cùm in præcedenti Confessione moniti, promissam restitutionem executioni non mandaverunt.

VI.

An liceat mutuum petere vel accipere sub usura? 363

Non licet mutuum petere sub usuris: quia non licet petere ab alio, quod licitè facere non potest; nam hoc esset eum inducere ad peccandum. Tamen ex communi, licet ob gravem necessitatem propriam vel alienam petere mutuum ab eo, qui prævidetur non daturus nisi sub usuris, si aliter haberi nequit, intendendo solùm mutuum, & habendo se permissivè ad usuram: quia licet petere ab alio id, quod licitè præstare potest, quamvis ex malitia sua peccaturus sit, modò adsit justa causa non impediendi ejus peccatum, qualis est hîc: nam mutuatarius non tenetur cum suo gravi damno malitiam mutuantis impedire,

re, ait S. Thomas 2. 2. q. 78. a. 5. At seclusa necessitate saltem rationabili non licet mutuum petere ab usurario, & accipere sub usuris: quia lege charitatis quisque tenetur sub mortali impedire peccatum mortale proximi, ejusque executionem, quando sine notabili suo incommodo, seu damno id potest. Ita iterum S. Thomas Opusc. 67. de empt. & vendit.

§ IV.

364 *De Contractu Societatis.*

Contractus Societatis definitur, *Conventio duorum vel plurium contribuendi ad commune lucrum & damnum secundùm proportionem rerum contributarum.*

Dicitur 1mo. *Conventio*, honesta scilicet & in negotiatione licita; 2do. *contribuendi ad commune lucrum & damnum*. quæ contributio multis modis fieri potest, ut 1mo. si unus pecuniam, animalia, naves, conferat; alius industriam & laborem. 2do. Si ambo partim pecuniam conferant, partim industriam, &c. 3tio. *secundùm proportionem, &c.* In hoc enim servatur æqualitas, & justitia, si is, qui plus ad societatem confert, sicut majus damnum pateretur, si quod confert, periret; ita etiam majus lucrum ex ejus fructibus percipiat.

365 Contractus Societatis sic definitus dividitur in *purum* & *non purum*. Prior est contractus, qui non est admixtus aliis contractibus; quod potest fieri multipliciter: vel enim unus confert tantùm pecuniam, aut animalia; alter verò industriam & operas: vel ambo conferunt pecuniam, animalia, industriam & laborem. Non purus verò est ille, cui admixti sunt alii contractus; ut cùm ei additur contractus pignoris pro securitate capitalis, si fortè alterius socii culpâ pereat; vel duo alii contractus *assecurationis* scilicet, quo conferens operas assecurat sortem capitalem, ita ut ipse solus ejus periculum etiam fortuitum subeat, ea tamen conditione, quòd alter, cujus pecuniam assecurat, certam lucri partem remissurus sit; & *emptionis*, quo scilicet assecurans emit lucrum incertum: Spes est v. g. lucrandi ex societate centum nummos; assecurans emit ab altero socio illam spem decem nummis, quos solvet, etiamsi illa spes concidat, & societas nihil pariat.

Contractus Societatis purus est licitus; quia honestum est convenire ad captandum lucrum ex pecunia & industria, modò servetur æqualitas, quæ requiritur in definitione contractûs. 366

Licitus etiam est contractus societatis cum contractu pignoris; quia cùm socius possit pecuniam alterius inutiliter consumere, aut in proprium commodum convertere, æquitas postulat, ut det alteri pignus, quo possit reddi indemnis. 367

Licitus quoque est contractus societatis, si ipsi addatur contractus emptionis lucri incerti majoris pro minore certo: v. g. cùm dantur vaccæ aut apes in societatem ita ut, si sine culpa operas conferentis pereant, pereant danti; at verò, quamdiu vixerint illa animalia, is, qui eorum curam gerit, sin- 368

singulis annis solvat pro vacca, aut alveolo, certum quid. Ratio est, quia spes lucri est pretiô æstimabilis. Ergo licitè potest vendi & emi. Cùm autem quæ sunt in spe minoris æstimentur, quàm quæ sunt in re, v. g. spes capiendi decem pisces ex uno retis jactu, non tanti valet, quanti ipsi decem pisces; ut servetur æqualitas in contractu emptionis hujusmodi, ita iniri debet, ut quo majus est periculum non lucrandi, minus pro spe lucri solvatur.

369 Certum est illicitum esse contractum societatis, si eo tempore, quo celebratur, alter è sociis assecuret capitale, & lucrum incertum emat certô lucrô minori: v. g. Petrus confert in societatem centum aureorum capitale, ex quibus se triginta lucraturum probabiliter speratе; sed quia veretur ne hoc suum capitale pereat, ex his speratis triginta aureis decem cedit socio, ut sibi suum capitale assecuret; rursùs cogitans melius esse, si lucrum certum habeat, hos residuos speratos viginti aureos pro decem certis socio vendit. Contractus iste vocatur triplex, eò quòd tres in eo reperiantur contractus, Societatis videlicet, Assecurationis, & denique Emptionis. Certum, inquam, est hujusmodi contractum illicitum esse. Et constat ex Bulla Sixti V. edita an. 1586. quæ incipit *Detestabilis*, in qua tunc triplicem contractum velut omninò usurarium damnat &c. Ratio est, quia illi duo ultimi contractus societatis contractum omninò destruunt, cui intrinsecum est & essentiale exponere rem suam periculo, ut patet ex ejus definitione. Unde qui non vult inire societatem, nisi certus sit de lucro, propriè intendit mutuare, & ex mutuo lucrari sub specioso nomine societatis.

Diximus, *si alter è sociis assecuret*, 370
nam omnes Theologi consentiunt, licitè posse assecurari sortem capitalem per alium tertium, qui non sit de Societate, v. g. vector navis potest in proprium periculum pro pretio suscipere merces Smyrnam deferendas, ubi, qui societatem contraxerunt, sunt negotiaturi.

Diximus etiam, *si eo tempore, quo celebratur societatis contractus*; nam controversia est inter Theologos, utrùm, constituta jam societate, possint socii inter se de securitate sortis & lucri pacisci. Alii enim id asserunt, modò pactum illud fiat diverso tempore: alii verò negant; quia, inquiunt, pactum illud, quovis tempore fiat, destruit societatis contractum, & in mutuum convertit. Haud dubiè usurarius esset, qui nollet inire societatem, nisi certus esset socium vel per se, vel per personam interpositam capitale assecuraturum.

Porro sic dividenda est societas: 371
1mo. Æstimandus est valor sortis. 2do. Ratio est habenda periculi, cui exponitur vel sors ipsa, vel qui præstat operas. 3tio. Æstimanda sunt industria, labor, & impensæ ejus, qui confert operas. Quare si suscepit animalia pascenda, spectandum est, utrùm pascua sint spatiosa, pinguia, & commoda: nam multò minùs deberet lucrari, quàm si pascua essent angusta, sterilia & difficilia. In posteriori hypothesi medietas fructuum fortè non responderet labori pascentis: in priori verò superaret, nec pascens gravaretur ex pacto ea conditione inito cum animalium Domino, quòd v. g. ex centum agnis, qui essent fructus gregis,

gis, certus numerus, putà quatuor vel sex substituerentur in locum ovium mortuarum, etiam sine culpa pascentis. Ut ergo divisio sit æqua & justa, totum referendum est ad judicium viri prudentis in qualibet regione.

§. V.

372 *De Cambio.*

Cambium idem est ac permutatio; cambire enim est unum permutare cum alio, quodcumque illud sit. Hîc verò strictiùs sumitur cambium pro permutatione pecuniæ cum pecunia. Qui dat pecuniam, dicitur *Campsor*; qui recipit, *Campsarius*. Definitur autem Cambium, *Contractus quo pecunia pro pecunia commutatur cum lucro campsoris.* Differt à venditione, in qua pecunia commutatur cum merce; à deposito, in quo dominium non transfertur, & eadem numerò res reddi debet; ac demùm à mutuo, quod ex lucri intentione fieri non potest, cùm è contrà campsor, qui ab aliis *colibista*, *nummularius*, & *bancarius* dicitur, possit lucrum intendere, ut docet S. Thomas, Opusc. 73.

373 Cambium sic definitum dividitur 1mo. in *fictum*, & *reale*. Fictum, quod & *siccum* appellatur, quia caret humore, quo fructum sive lucrum parere possit, illud est, quo pecunia re ipsa non permutatur, sed permutari fingitur; ut cùm datur pecunia recipienda non eo loco, quo fingitur, sed eo loco quo datur, quamvis alio tempore: tale cambium fit si quis mercatorem adeat Argentinæ, à quo mutuet pecuniam; negat ille mutuum petenti, sed offert cambium Francofurti restituendum, quamvis sciat illud post temporis lapsum reddendum esse Argentinæ. Cambium *reale* est illud, quod non fingitur, sed verè fit, ut cùm pecunia præsens cum præsenti, vel præsens cum distanti commutatur.

Cambium reale dividitur in *manuale*, *locale*, & *temporale*. *Manuale* seu *minutum*, est illud, quo præsens pecunia actu & de manu ad manum pro alia diversæ speciei mutatur, ut aurea pro argentea, Germanica pro Gallica. *Locale*, quod & dicitur *cambium per litteras*, est permutatio pecuniæ præsentis cum distanti; ut si hîc des pecuniam Campsori, ut eam per litteras cambii amico tuo Romæ restituendam curet. *Temporale* verò, id est, quod ad certum diem constituitur, est illud, quo hodie v. g. datur pecunia, puta centum nummi, ut post tres aut quatuor menses reddatur eadem pecunia cum aliquot nummis supra centum; quòd si post elapsum tempus istud non solvantur, renovatur cambium, & auctarium, quod jam debitum esse supponitur, capitali additur, ita ut debeat solvi usura usuræ, quod quidem tunc vocatur *recambium*. Atque illud est celebre cambium quod alii Lugdunense, Francofordiense alii nuncupant, vel etiam Nannetense, quod in iis civitatibus fit in usu. His præmissis ponuntur sequentes Resolutiones. 374

1ma. Cambium reale sive manuale sit, sive locale, per se licitum est servatis servandis. Ratio est quia Reipublicæ est utile, nec quidquam mali in 375

in se continet. 1mo. Reipublicæ utile est, imò necessarium; cùm Cambii ope multorum indigentiæ subveniatur, multorumque damna & incommoda vitentur: multi enim indigent pecuniâ minutâ; multi pecuniis, quæ in aliis, ad quæ peregrinaturi sunt, Regnis currunt; multi suas sine magno latronum metu deportare non possunt: his verò incommodis per cambium subvenitur. 2do. Cambium nihil mali continet. Si quid enim in eo redargui posset, hoc utique, quòd vi cambii aliquid supra summam à campsore datam recipiatur. Atqui hoc culpari non potest, quia justô fit titulô, impensarum scilicet, laboris & operæ, sine quibus non potest Campsor omnis generis monetas colligere, ut cuilibet indigenti satisfaciat; correspondentes habere, ministros, domum, aliaque id genus huic commercio necessaria conducere, ut optimè docet Auctor opusc. 73. apud S Thomam; & sequitur ex iis, quæ suprà diximus de Montibus pietatis.

376 2da. Cambium siccum illicitum est. Ratio est, quia est usurarium, utpote in quo præcisè ex mutuo, sine ullo alio titulo lucrum percipitur.

377 3tia. Similiter Cambium temporale, prout à nobis explicatum est, etiam illicitum est; Ratio est 1mo. Quia in eo auctarium non exigitur nisi pro carentia pecuniæ ad certum tempus, & pro solutionis dilatione; unde quo major est dilatio, majus exigitur auctarium. Atqui pro carentia pecuniæ, aut dilatione solutionis aliquid supra sortem exigere mera est usura, ut alibi dictum est. 2do. Quia ne quidem negotiatoribus licitum est usuras usurarum exigere; quæ tamen in temporali Cambio exiguntur. 3tio. Quia id eo licitum est Campsoribus, ut aliquid supra sortem exigant, quia varios habent id faciendi titulos, ut modò diximus. Atqui hi tituli locum non habent in Cambio temporali; ibi enim non dantur litteræ cambii pro aliis regionibus, &c.

§. VI.

De Censibus.

378 *Census* nomen à verbo *censere* derivatum videtur, quia ab Imperatoribus Romanis censebantur seu æstimabantur bona privatorum, ut in tributis imponendis justitia distributiva servaretur. Hæc æstimatio *census* dicebatur, sicut & ipsum tributum, ut patet ex cap. 22. Matth. ubi, *Licet*, inquiunt Pharisæi ad Christum, *censum dare Cæsari, an non?*

Hìc *Census* nomen pro proventu seu reditu accipitur (*k*); atque triplex est. 1mo. idem est ac jus certam exigendi pensionem (*l*). 2do. est hæc ipsa pensio. 3tio. sumitur pro contractu, quo emitur aut venditur jus hujusce pensionis seu proventûs.

De

(*k*) Germanicè *Gefälle*, *Zins*, &c.

(*l*) Pensio à pendendo idem est ac datio à dando.

379 De censu secundùm primam acceptionem hìc nobis præcipuè sermo est; atque definitur, *Jus percipiendi annuam pensionem ex re vel persona alterius utili vel fructifera.*

Dicitur 1mo. *Jus* seu facultas *exigendi pensionem*, quam qui debet dicitur *censuarius* & *venditor*, quia pro certa, quam mutuo recipit, pecuniæ summa, aut alia re æquivalenti, constituit & vendit alteri jus certam quotannis, vel definito alio tempore, pensionem recipiendi: is verò, cui ea debetur, dicitur *creditor*, *censualista*, & *emptor*, quia jus illud pecuniâ suâ emit; pensio debita dicitur *canon*, necnon *reditus*, quia quotannis, vel definito tempore redit & redditur. Dicitur 2do. *Ex re vel persona alterius*; quia jus hujus pensionis non tantùm in re aliqua fundari potest v. g. domo, agris, vinea; sed etiam in persona, modò sit fructifera, & aliquid sive ex officio, sive labore & industria lucrari possit.

380 Census ita definitus dividitur in *Reservativum*, & *Consignativum*. Prior est jus seu facultas percipiendi certam pensionem, quam quis sibi reservat in re utili & fructifera, cujus plenum alteri dominium tradit. Ad hanc speciem pertinent Census Dominicales (Herrschaftliche Gefällen, Zinsen, &c.) qui Dominis competunt, eò quòd translata in aliquos particulares fundorum quorumdam proprietate, aliquam sibi ex iis pensionem reservaverint quasi in recognitionem. Census verò *Consignativus*, de quo hìc sermo, est jus percipiendi annuam pensionem ex re vel persona alterius sub pretii constitutione; seu est jus, quod quis datô & constitutô alteri personæ pretiô ab eadem emit certam quotannis sibi dandam pensionem, juxta taxam Principis & leges locorum.

Census *Consignativus* subdividitur 381 1mo. ex parte fundamenti, seu rei, super qua constituitur, in *realem*, *personalem*, & *mixtum*. 2do. ex parte pensionis in pecuniarium, & fructuarium. 3tio. ex parte temporis, quo durat, in *temporalem*, *vitalitium*, & *perpetuum*. 4to. ex parte modi, quo creatur, in *redimibilem*, & *irredimibilem*.

Census *realis* est, qui constitutus est super re aliqua fructifera, putà domo, agro, vinea, &c. eamque immediatè afficit, ac perpetuò comitatur, adeo ut, ad quemcumque res illa transeat, simul & transeat ei annexum pensionis onus. Census *personalis* ille est, qui immediatè constitutus est super persona, quæ sibi, vel suis etiam hæredibus obligationem imponit solvendi ex industria, & labore suo, vel etiam ex bonis, si quæ habeat, certam pensionem. Hic census non transit in realem, quamvis pro ejus assecuratione detur hypotheca, quia res hypothecata primò locô non obligatur, sed duntaxat in defectum personæ.

Mixtus est, qui tam super re, quàm personâ constitutus est, ita ut re etiam pereunte persona maneat obligata. *Pecuniarius* est ille, qui solvendus est in pecunia; *Fructuarius*, qui in fructibus, ut vinô, frumentô, &c. *Temporalis*, qui ad certum tempus, ut annos viginti constituitur. *Vitalitius*, qui ad vitam hominis. *Perpetuus*, qui in perpetuum constitutus est, ita ut per se nunquam expiret. *Redimibilis* est, qui redimi potest ad nutum vel censuatii, vel censualistæ, vel utriusque. Ir-

Irredimibilis est ille, qui non potest redimi. His præmissis modò exponendum venit an, & qua conditione prædicti census liciti esse possint.

382 1mo. Census reservativus omninò licitus est. Constat ex Genes. 47. ubi Joseph hujusmodi census reservativos adhibuit; cùm Ægyptiis bona ipsorum priùs in Pharaonis dominium asserta restituit annua super iis pensione Pharaoni reservata. Ratio est, quia sicut quis potest rem suam tradere vel non tradere, ita & tradere reservato sibi jure pensionis; quod omninò æquum est.

383 2do. Census consignativus realis etiam est licitus; imò & personalis. Prima pars constat ex unanimi hodie Ecclesiarum omnium, Monasteriorum, Fidelium, imò nationum omnium consuetudine, à quibus prædicti census approbantur, & exercentur; item ex auctoritate summorum Pontificum Martini V. Calixti III. Nicolai V. & aliorum, qui hujusmodi census licitos declarârunt. Ratio est 1mo. quia tam potest homo alteri vendere jus ad pensionem sive fructuariam, sive pecuniariam ex re sua annuatim recipiendam, sive in perpetuum, sive ad tempus, quàm possit alteri illud jus legare, vel donare. Atqui posterius potest. Ergo & prius. 2do. Jus illud est pretiô æstimabile. Ergo vendi potest. 3tio. Illa emptio & venditio licita est, in qua nulla est inæqualitas. Atqui nulla est inæqualitas in venditione census realis. Si enim in ea aliqua reperiretur inæqualitas, tunc vel maximè ideo, quòd emptor census certam singulis annis pensionem recipiendo, post temporis lapsum plus recipiat, quàm dedit. Atqui hæc ratio non probat ullam esse hic inæqualitatem; nam etiam qui fundum fructiferum emit, pretium, quod pro eo dedit, post aliquot annos recuperat, & ulterioris temporis lapsu summam consequitur majorem eâ, quam venditori dederat, nec tamen ullius injustitiæ accusatur. Ratio utriusque hæc est, quòd, ex communi hominum sensu, summa per multas partes divisa, nec recipienda nisi successive, & sic variis incommodis & periculis exposita, non tanti valeat, quanti istarum partium collectio simul possessa, quæ & nullis penè obnoxia est incommodis, & ad quodlibet lucri, negotiationisque genus longè utilior est & commodior.

Secunda pars etiam, quæ nunc communiter ab omnibus Theologis recipitur, prob. 1mo. Quia potest quis alteri gratis concedere jus annuæ pensionis super persona sua. Ergo & vendere, quia pretiô æstimabile est, adeoque & vendibile. 2do. Quia persona non minùs per artem & industriam suam potest esse fructifera, quàm ager & domus. Ergo sicut vendi potest pensio super agris aut prædiis, sic & vendi potest pensio ex lucro, quod persona suo sibi labore acquiret & comparabit.

Nec obest Bulla Pii V. an. 1569. emissa, quæ incipit, *Cùm onus*, in qua statuit, censum nullo modo constitui posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sua natura fructifera; adeoque omnes census personales excludit. Nam cùm in illa Bulla non explicetur jus naturale aut divinum, sed jus humanum duntaxat sanciatur, ea non obligat nisi in locis temporaliter Sedi Apostolicæ subjectis, imò nec in iis servatur; cùm etiamnum Romæ census personales sint in usu; Multa quoque alia in eadem Bulla præscribit

sum-

ſummus Pontifex, quæ ſtando juri naturæ prorsùs ſunt libera. 1mo. Rem, in qua creatur cenſus, debere eſſe immobilem, determinatam, & certis finibus deſignatam. 2do. Pereunte re illa, cenſum etiam perire emptori. 3tio. In ipſo contractu numerandam eſſe pecuniam, ita ut pro pretio non poſſit emptor cedere venditori debita, quibus erga ipſum aſtringebatur. Hæc autem nullibi in uſu ſunt, & ubique cenſus conſtituuntur ſuper omnibus etiam bonis venditoris; adeò, ut pereunte re ſpecialiter in contractu conſignativo deſignata, cætera bona venditoris obligata emptori maneant. Nec tenetur emptor numerare pecuniam, quando venditor aliunde illi debet, ſed cenſetur ſolvere abdicando jus exigendi debitum: nec in his quidquam repugnat legi naturali aut divinæ, modò æqualitas ſervetur.

384 3tio. Cenſus redimibilis ad nutum venditoris eſt omninò licitus. Ratio eſt, quia venditio cenſûs redimibilis, nihil eſt aliud, quàm venditio rei cum pacto de retrovendendo in favorem venditoris Atqui talis venditio eſt licita, prout ſuprà §. 1. num. 281. probavimus, ubi de contractu cum pacto retrovenditionis egimus. Ergo.

4to. Quid de cenſu ad nutum emptoris redimibili ſentiendum ſit, etiam ex iis colligi poteſt, quæ cit. §. 1. n. 282. diximus; ut & de cenſu ad nutum tùm emptoris, tùm venditoris redimibili.

385 Cæterùm ut cenſus conſignativus licitus ſit requiritur, ut juſtô pretiô, id eſt, lege vel conſuetudine conſtitutô ematur, & venditor cenſûs poſſit ſuâ operâ vel induſtriâ lucrari, aut habeat bona in re vel in ſpe certa, ex quibus penſio duci poſſit, &c.

Unum hîc non prætermittendum arbitramur; ſcilicet eos Theologos & Canoniſtas, qui tuentur licere titulô Statuti & conſuetudinis locorum ex mutuo auctarium recipere, ab iis, quæ modò de licitate cenſuum conſignativorum juxta omnium penè Theologorum mentem ſtabilivimus, validum in ſuæ opinionis fulcimentum deſumere argumentum. Ajunt enim, in cenſu perſonali pecuniario idem fieri, quod in mutuo itidem pecuniario; atque ut in mutuo licitum ſit aliquid ultra ſortem accipere, nihil opus eſſe, niſi ut nomen *mutui* in nomen *cenſûs* mutetur. v. g. ut mutuatarius mutuatori dicat vendo tibi penſionem quinque florenorum, annuatim à me percipiendam pro pretio centum florenorum mihi modò numerandorum, &c. (*m*) 386

§. VII.

De Locatione & Conductione. 387

Locatio & conductio ſunt unus idemque contractus, ut venditio & emptio, qui quidem ex parte locantis *locatio*, & ex parte locatarii *conductio* appellatur.

Locatio eſt *Contractus quo uſus vel fructus rei aut perſonæ ad certum tempus pro pretio traditur.* Conductio autem eſt *Contractus, quo accipitur ille uſus vel fructus, &c.* Qui accipit dicitur *Conductor;* qui verò rem utendam aut fruendam dat, *Locator.* Utrique ſunt ſuæ obligationes:

(*m*) Vid. Colleg. Juris Can. lib. 5. tit. 19. num 2175. ubi dicitur hujusmodi contractui pactum aſſecurationis intervenire debere &c. ut ſcilicet licitum ſit.

388 1mo. Locator efficere debet, ut conductor re uti vel frui liberè possit, Leg. 25. ff. *Loc.* Non tenetur tamen Locator de vi majori, ut si Princeps domum locatam usurpet, si ea casu fortuito pereat, Leg. 23. ff. *De Reg. Jur.* 2do. Locatur occultum rei locatæ vitium aperire debet, ut si domus ruinosa sit, si spiritibus vexata, aut vexari dicta; si equus aut mulus onera abjicere & excutere consueverit: unde tenetur de damno, si scienter vitium celaverit, Leg. 19. ibid. Si res innutilis sit, Locator nihil accipere potest; si utilis quidem sit, sed minùs, quàm pactus est conductor seu Locatarius, minuenda est pensio. Et hæc in foro conscientiæ vera sunt, sive defectus evidens sit, sive non, modò eùm sciverit locator, aut saltem scire potuerit. 3tio. Debet Locator impensas in re factas, necessarias nempè & utiles, solvere, nisi aliter conventum sit. 4to. Rem ante tempus constitutum repetere non potest, nisi id exigant, necessitas reficiendi domum, mali Conductoris mores, solutionis defectus, &c. Item si Locator domo sua verè indigeat, &c.

389 Conductoris seu Locatarii varia sunt onera. 1mo. Re conducta uti non debet, nisi in usum, pro quo eam conduxit; sic equô ad vehendum onus uti non potest, qui ad eum ferendū hominem conduxit; nec majus onus imponere, qui de minori pactus est. 2do. Tenetur de dolo, culpa lata & levi non sua tantùm, sed & sublocatariorum ac famulorum, Leg. 25. ff. *Locali, &c.* 3tio. Culpæ Locatarii etiam adnumeratur, si propter inimicitias ex sua culpa procreatas res locata à vicino ipsius vel alio damnum passa sit; secùs verò si nullam in iis culpam habeat, nam tùm æquum non est, ut id ipsi in damnum imputetur.

Aliæ conditiones, ut quòd pensio conventa solvi debeat, res locata constituto tempore restitul, ut ante illud tempus res sine causa non deseratur, parum difficultatis habent. Pensio solvenda est, etiamsi ex parte Conductoris, absque ejus culpa, contingat, ut re locata, v. g. equô, uti non possit: secùs si equus morbô afficiatur, aut domus corruat, vel ob bellum inhabitari non possit. Idem dicendum de eo, qui operas suas locavit; is enim totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quominùs operas præstaret, Leg. 38. ff. *loc.* Qui malè aut segniter laborant, ad restituendum tenentur, prout majoris aut minoris damni causa fuêre.

Cæterùm res locari non potest ei qui prævidetur eâ abusurus: undè peccas, si arma cuipiam elocaveris, quem iis usurum putas ad occisionem: peccas quoque si meretrici loces domum. Ratio est, quia non licet alteri procurare occasionem, & commoditatem peccandi. 390

Ut autem domum meretrici locare non licet, sic nec eam quis pati potest in domo sua, quam sceleris puram crediderat, & postmodum meretricem esse comperit. *Si quis* (inquit Justinianus Novell. 14. *De Lenonibus*) *patiatur in domo sua lenonem.... & non ex domo sua expulerit, sciat se & decem librarum auri sustinere pœnam, & circa ipsam periclitaturum habitationem.*

§. VIII.

De deposito, commodato, precario, & mandato. 391

Depositum, commodatum, &c. sumuntur hîc pro contractu; licèt sæpè sumantur pro ejus materia, scilicet re deposita, commodata, aut data precariò,

Deposi-

Depositum definitur, *Contractus, quo res custodienda traditur alteri, ab eoque suscipitur reddenda eadem non solùm specie sed etiam numerô.* Ad depositum non sufficit mera traditio, sed requiritur susceptio ex parte depositarii, qui alioqui non tenetur de deposito, nisi fortè ex officio custodire teneatur, ut caupones, stabularii, aurigæ, &c. qui tenentur de rebus eorum, quos etiam gratis receperint. Leg. 6. ff. *Nautæ, &c.*

392 Ad depositum velut species refertur *Sequestrum*, quod est *contractus, quo res, de qua est controversia, alteri tertio custodienda traditur, eo fine, ut posteà ei reddatur, cui adjudicabitur.*

393 Quilibet ratione utens, sive pupillus, sive fœmina sit, sive etiam Religiosus, nisi privata Ordinis sui lex resistat, potest esse depositarius. Ubi circa Religiosum nota, quòd Monasterium hujus rei, etiamsi Religiosi despositarii dolô vel culpâ pereat, periculum in se suscipere non censeatur.

394 Depositarius porro non potest sine Domini consensu expresso aut tacito, vel saltem prudenter præsumpto, uti re deposita; quia usus rei concessus ei non fuit, sed tantùm custodia. Hinc tenetur ad restituendum, si usus sit re, ut equô, veste, cujus usus pretiô æstimabilis sit. L. 3. *Cod. Depos.*

Quòd si Depositarius utatur vinô aut triticô apud se depositis, certò sciens se res ejusdem pretii & valoris habiturum eo tempore, quo depositum repeti debet, tunc deponentis negotia utiliter gerit; quia, si res illæ casu fortuito perirent, damnum pertineret ad deponentem. Videtur etiam, quòd Depositarius uti possit pecuniâ, quæ sibi traditur sacculô nec clausô, nec obsignatô, modò certus sit, se eam redditurum, cùm exigetur; modò etiam non consistat in veteri moneta, quæ curiositatis magis, quàm usûs gratiâ conservetur.

Obligationes Depositarii hæ sunt. 395 1mo. tenetur Rem depositam servare ac custodire eâ curâ ac diligentiâ, quam homines diligentes solent in simili re propria adhibere, Leg. 32. ff. *Depos.* Quòd si res deposita pereat, vel deterior fiat, tenetur solùm de dolo & culpa lata (*n*). Leg. 1. Cod. *Depos. &c.* Si tamen depositum cedat in commodum utriusque, ut si depositarius mercedem pro custodia accipiat, tenetur etiam ex culpa levi (*o*). Hinc sartores, molitores, aurigæ, caupones, & similes tenentur ex culpa levi, nam tenentur ex officio sibi & aliis utili, quod annexam habet eorum, quæ ipsis traduntur, custodiam, res apud se depositas custodire, vi contractûs virtualis ac impliciti in utriusque partis commodum cedentis. Si verò depositio cedat in commodum solius depositarii, ut si apud ipsum deponatur pecunia eo solo fine, ut possit eâ uti, si egeat; tunc tenetur de culpa levissima (*p*). Ex cap. unico, *De commodato.* Ratio est; quia postulat æquitas, ut in custodia rei alienæ, quam quis in solam sui utilitatem accepit, summam, ne quid Dominus patiatur detrimenti, adhibeant diligentiam. Item si se ipsum obtulit ad custodiendam rem maximâ diligentiâ, vel promiserit, ex cap. 2. *De Deposito.* Imò etiam ex cul-

Dddd 2 pa

(*n*) Culpa lata, contrahitur ex omissione illius diligentiæ, quam prudentes ejusdem conditionis homines in hujusmodi rebus adhibere solent.
(*o*) Culpa levis est omissio diligentiæ, quam adhibent diligentiores.
(*p*) Culpa levissima est omissio ejus diligentiæ, quam prudentissimi & solertissimi in rebus ejusdem naturæ adhibent.

pa levissima tenetur de casu fortuito, si ex pacto ad casum fortuitum se obligaverit, si depositum transtulerit in locum periculosum, si fuerit in mora non reddendo, cum reddere poterat & debebat. Ratio est, *quia contractus ex conventione legem accipiunt*, Leg. 1. ff. *Depositi.* atque ita decernitur cap. 2. *De deposito.* ibi: *Pacto culpâ vel morâ praecedentibus, casus etiam fortuitus imputatur.*

396 2do. Tenetur depositum repetenti statim reddere, cap. 2. ubi sup. & leg. 1. ff. *Depos.* nam alioqui retineret rem alienam invitô Dominô. Excipe nisi eam reposcat in suum vel aliorum damnum; ut si furens ensem repetat: nam tunc deponens non est rationabiliter invitus: vel nisi res deposita sit furtiva, & Dominus eam repetat; tunc enim Domino restitui debet, Leg. 31. ff. *Depos.*

Porro si Depositarius alteri, quàm Domino, reddiderit depositum, & illud perierit, non tenetur ad restitutionem, modò bona fide & prudenter, licet falsò putaverit eum esse Dominum, vel aliquem ab eo missum ad illud repetendum; quia tunc abest fraus, dolus, & culpa lata, ex quibus solùm tenetur de damno.

397 *Commodatum* est *contractus*, *quo res alteri gratuitò conceditur ad certum usum pro tempore determinato, ante quod repeti non potest.* Undè si quis ante præfixum tempus rem commodatam retrahat, tenetur de damno, quod inde patitur commodatarius, nam ut habetur cap. unic. *De commod. non oportet nos beneficiô decipi, sed juvari.* Existimant tamen non pauci, quòd, si commodanti simile damnum ex rei suæ carentia inopinatò immineret, posset illam repetere, etsi commodatario idem incumberet damnum; quia nemo intendit contractum merè gratuitum cum tanto suo incommodo subsistere debere.

Tenetur commodans aperire vitium 398 rei commodatæ, si sit periculosum; alioqui tenebitur de damno inde secuto, lib. 18. & 22. ff. *Commod.* quia dedit illius occasionem. Debet etiam extraordinarias impensas facere: commodatarius verò tenetur ad modicas & ordinarias circa rem commodatam sustinere.

Insuper Commodatarius non potest 399 uti re in alium usum, quàm cujus gratiâ ei data est, nisi Dominus id permissurum credat. Instit. *De obligat. quæ ex delicto.* Item tenetur rem commodatam finito tempore restituere, etiamsi non repetatur, *cùm dies statuta pro Domino interpellet*, cap. ult. *De locato.* Alioqui tenebitur omne lucrum cessans & damnum inde proveniens compensare, cùm sit illius causa injusta: nam non habet jus utendi re aliena, eamque retinendi ultra tempus sibi concessum, sed Dominus habet jus illam tunc possidendi, & eâ utendi. Denique tenetur maximam diligentiam ac curam ad rem commodatam integrè & in bono statu conservandam adhibere; ex leg. cit. & Instit. *Quibus modis, &c.* Quare si res pereat vel deterior fiat, ex culpa etiam levissima, tenetur ad restitutionem, nam contractus cedit in ejus solius utilitatem, ex cap. unico. *De commod.* Quòd si in utriusque commodum res fuisset commodata alteri, hic tenebitur solùm de culpa levi: si verò in solius commodantis, de culpa lata; ut suprà de Deposito dictum; quæ & alia ibidem dicta hûc etiam referri possunt.

Precarium est *gratuita solius rei* 400 *usûs concessio ad nutum revocabilis.* Undè non differt à commodato, nisi quòd possit quovis tempore repeti à concedente, non tamen in continenti; alioquin esset inane & illusorium, non beneficium. Solvitur ipsius rei alienatione, & morte accipientis; cap. ult. *De Precar.*

Man-

401 Mandatum non activè, ut nomen sonare videtur, sed passivè sumitur, estque *officium gratis susceptum in gratiam & commodum alterius*; sive est *obligatio aliquid agendi in commodum alterius gratis suscepta*, v. g. negotium aliquod gerendi, aliquid ipsi emendi, &c. Nam si pretiô suscipiatur, est potiùs *locatio operæ* quàm *mandatum*. Mandatum autem non potest esse nisi de re licita, leg. 6. ff. *Mandat.* & re integra solvitur morte mandantis, leg. 15. Cod. *Mandati.*

402 Obligationes Mandatarii & cujusvis negotiorum gestoris vel procuratoris sunt 1mo. Ut alterius negotium diligenter & utiliter gerat tanquam proprium; nam ad hoc se obligavit acceptando mandatum, nec ei aliter negotium commissum fuisset, ex leg. 21. Cod. *Mandati.* 2do. Ut negotium susceptum conficiat: *voluntatis est enim suscipere mandatum, necessitatis consummare*, leg. 17. ff. *commod.* Nam ad id se obligavit, illud suscipiendo. 3tio. Tenetur saltem de dolo & culpa lata, si mandatum in solius mandantis utilitatem gratis susceperit, leg. 3. ff. *De negot. gest.* De levi, si id etiam in suam utilitatem cedat, vel si se obtulerit, cùm alius diligentior præstò esset. De levissima verò si maximam diligentiam promiserit, vel hanc res exigat. 4to. Non potest fines mandati sui transire; *diligenter enim fines mandati custodiendi sunt*, leg. 5. ff. *Mandati.* Unde non potest v. g. aliquid pluris emere, aut minoris vendere, quàm ei præscriptum sit. 5to. Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, vel priùs petierit (quo casu locatio operæ est potiùs quàm mandatum, prout jam dictum) nec ei licet operam suam occultè compensare, alioqui tenetur ad restitutionem. Nam hoc ipso, quòd mandatum suscipiat nihil petendo, censetur velle alteri gratificari, & operam suam gratis ex amicitia præstare, leg. 1. ff. *Mandat.* ibi: *Mandatum nisi gratuitum nullum est; nam originem ex officio atque amicitia trahit. Contrarium ergo est officio merces: interveniente enim pecunia res ad locationem & conductionem potiùs respicit.*

Mandantis verò obligatio hæc est, ut Mandatario præbeat necessaria ad mandati executionem, & sumptus solvat, ex cap. 6. *De procurat.* nam id æquitas & justitia exigit. 403

Qui verò absentis & ignorantis negotium gerit sine mandato perindè ac mandatarius tenetur negotium alterius in se susceptum diligenter administrare tanquam suum; & damna ex sua culpa lata, imò & levi, saltem si alius diligentior negotium illud suscepturus fuisset, absenti illata resarcire, Instit. *De obligat.* & Leg. 20. Cod. *De negot. gest.* Quia is, qui alterius negotium suscipit, diligentiam suam ac industriam promittere censetur, quam proindè saltem ordinariam adhibere tenetur. 404

Absens verò tenetur ei impensas & damna ex negotii administratione secuta compensare, & operæ mercedem congruentem solvere; & si recuset, datur actio contra eum, Leg. 2. ff. *De negot. gest.* idque etiamsi negotium malè succedat, modò negotii gestor prudentiam & diligentiam debitam adhibuerit: nam cùm res ipsa, & bonum commune postulet, ut res & negotia absentium administrentur; æquum est impensas ea de causa factas, operas, & damna secuta compensari ei, qui talia negotia gessit. Hic autem rationem expensi & recepti reddere debet, Institut. *De obligat.*

§. IX.

405 *De fidejussione, assecuratione, pignore, hypotheca, transactione.*

Fidejussio est *contractus, quo quis in se suscipit obligationem solvendi debitum alterius, si debitor ipse non solverit.*

Variæ sunt fidejussionis conditiones. 1mo. Non obligatur fidejussor, si invalida sit, aut extincta principalis debitoris obligatio; quia non intendit se obligare pro eo, qui re ipsa non debet. 2do. *Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quàm debet is, pro quo obligantur: nam eorum obligatio accessio est principalis obligationis; nec plus in accessione debet esse, quàm in principali re.* Instit. *De fidejussor.* 3tio. Fidejussor non potest conveniri à creditore ad solvendum, nisi priùs à principali debitore debitum repetitum fuerit, & is solvere non possit: hæc enim est veluti conditio hujus contractus, nisi aliter conventum fuerit, aut fidejussor renuntiaverit juri, quod habet, ne ante debitorem conveniatur; aut etiam debitor procul absit, &c. 4to. Fidejussoris obligatio transit ad ipsius hæredes. 5to. Tenetur solvere ante sententiam Judicis, sicut & ipse debitor, cujus in locum ipse succedit. 6to. Peccat graviter, qui certus de sua impotentia ad solvendum pro alio, ejus fidejussorem se constituit, putans fieri posse, ut debitor non sit solvendo: nam creditorem injustè decipit, falsam ei securitatem offerendo, & dat ei occasionem periculi ac damni.

406 Præcipua Fidejussoris jura sunt 1mo. Quòd possit agere contra debitorem, ut restituat sibi tùm illud omne, quod solvit, tùm damna quæ passus est. Debitor enim vi contractûs fidejussorem debet indemnem servare. 2do. Cogere potest creditorem, ut sibi cedat omnem actionem, cùm personalem, tùm hypothecariam, quam contra debitorem habet. 3tio. Ut non maneat obligatus, si creditor debiti petitionem suo tempore neglexerit, & debitor posteà factus sit impotens; quia non tenetur fidejussor damnum resarcire, quod creditor suâ tantùm culpâ patitur. 4to. Juxta probabiliorem multorum sententiã potest licitè pro fidejussione sua pretium aliquod exigere à debitore, & de eo cum ipso pacisci pro ratione quantitatis debiti & periculi. Quia obligatio solvendi debitum alterius seu fidejussio est onus pretiô æstimabili, quod fidejussor non tenetur gratis in se suscipere. Neque id exigit pro solutione pecuniæ alterius locô datæ vel dandæ; nam hoc esset usurarium; sed pro subeunda obligatione solvendi debitum alterius; proinde fidejussio non est mutuum virtuale; quia non consistit in traditione rei, sed præcisione in susceptione obligationis rei alienæ.

Assecuratio est *Contractus, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit, obligando se vel gratis vel pactã pretiõ ad eam compensandam, seu ad solvendum ejus pretium, si perierit.* Quandò hæc obligatio pretiô suscipitur, est contractus similis venditioni: nam venditur obligatio præstandi Domino rem indemnem, quæ est pretiô æstimabilis. 407

Ad ejus justitiam requiritur 1mo. Ut pretium respondeat quantitati periculi. 2do. Ut periculum subsit saltem probabiliter, vel saltem subesse ab utroque judicetur: hinc peccaret contra justitiam, qui assecuraret navim, quam cognovisset jam ad portum pervenisse; aut qui sciens rem suam jam periisse, de ejus assecuratione cum aliquo pacisceretur. 3tio. Ut ille cui merces assecurantur, servet conditiones, de quibus justè convenire potuit, v. g. ut navis talem viam teneat, si fieri possit, aliis oneribus non 408

grave-

gravetur, 4to. Ut assecurans habeat, vel habere possit, undè solvat; aliàs insignis est nebulo, qui perdere non valens agit, ut lucretur; & restituere debet, si quid receperit, etiamsi res incolumis ad metam devenerit.

409 *Pignus* est *Contractus*, *quo debitor rem mobilem aliquam tradit creditori ad securitatem debiti, pro quo sic obligata est, ut ex ea solutio peti possit, si debitor non solverit.*

410 *Hypotheca* verò est *Contractus*, *quo res immobilis obligatur creditori ad securitatem debiti, ut ex ea pariter, si debitor non solverit, peti possit solutio.*

Differunt inter se *Pignus* & *Hypotheca*, 1mo. Quòd in pignore res tradatur creditori, in hypotheca verò res sola conventione obligetur sine traditione. Interdum tamen mobilia sine traditione hypothecantur. 2do. Quòd pignus sit rei mobilis, hypotheca verò rei immobilis. Hæc tamen nomina passim in Jure idem sonant, & sumuntur etiam pro ipsa re alteri obligata ad securitatem debiti, & pro jure petendi solutionem ex re sic obligata.

411 Pignus dividitur in *prætorium*, quod Judicis Statutô; *conventionale*, quod ex partium consensu, & *legitimum*, quod ipsa Legis dispositione constitutum est vel consuetudine; etiamsi de eo nulla facta sit in contractu mentio: sic bona tutoris & curatoris sunt hypothecata pupillo & minori pro administratione bonorum, bona mariti pro dote uxoris, &c. Eadem est divisio hypothecæ, quæ insuper adhuc dividitur in *universalem*, per quam bona omnia cùm præsentia, tùm futura obligantur; & *particularem*, id est, unius vel plurium rerum in specie, & hæc rem semper afficit ad quemcumque perveniat, donec debitum solvatur.

Obligationes illius, qui aliquid in pignus seu hypothecam assignat sunt 1mo. Ut res, quæ pro multis debitis non sufficit, pro iis omnibus in hypothecam non detur; quia alioqui debitores omnes ex ea solutionem capere non possent. Quòd si posteriores creditores priorem aliorum hypothecam cognoverint, iis, utpotè scientibus & volentibus, non fit injuria. 2do. Debet refundere creditori impensas, quas iste in pignoris seu hypothecæ conservatione fecerit; quia alioqui creditoris conditio deterior fieret ex pignore seu hypotheca. 3tio. Non potest rem oppignoratam seu hypothecatam cuipiam vendere, nisi priùs emptorem monuerit; quia cùm hypotheca sit onus rem afficiens, deciperetur emptor, si rem emeret onere gravatam, quam liberam putat. 412

Obligationes verò illius, qui pignus accipit aut hypothecam sunt 1mo. Ut ea diligenter servet, & curet ne pereant; tenetur enim de culpa lata & levi. Potest autem creditor ipsum pignus oppignorare, ex Leg. 1. Cod. *Si pignus pignori datum sit.* 2do. Ut statim restituat pignus, debitô integrè solutô. 3tio. Ut ipsum non vendat, nisi debitor sit in mora solvendi, & eo priùs monito; quòd si illud pluris vendat, quàm sit debitum, excessum debet restituere debitori. &c. 413

Transactio denique definiri solet *Pactio inter duos vel plures utrimque onerosa de re dubia, & lite incerta sive motâ sive movendâ.* 414

Igitur ad ejus justitiam tria requiruntur. 1mo. Ut res, super qua transigitur, sit dubia saltem probabili existimatione utriusque partis; alioqui fieret injuria parti jus clarum habenti, quæ transigendo non componere, sed vexationem injustam redimere censeretur. 2do. Ut conventio sit cum aliquo onere

re utriusque partis: alioqui esset donatio, non transactio. 3tio. Ut per eam lis componatur vel dirimatur; nam ad hoc est instituta.

Ubi semel facta est Transactio vix datur locus restitutioni in integrum; quia sicut in ludo, aliisque sortis contractibus, ita & in Transactione paciscentes incerto eventui se spontè & reciprocè committunt, adeoque queri de læsione non possunt, nisi ea tam enormis sit, ut dolus præsumi queat.

X.

415 *De Ludo & Sponsionibus.*

Quamvis sæpiùs confundantur *ludus*, *jocus*, & *lusus*, differunt tamen, quia *ludus* propriè dicitur in factis; *jocus* in verbis; & *lusus* magis fit voluptatis gratiâ, quàm spe lucri.

Ludus ergo generatim sumptus, & prout jocum etiam & lusum complectitur definiri potest, *Exercitatio non seria ad animi defatigati quietem ordinata.* Dicitur 1mo. Exercitatio; quæ si in verbis consistat, vocatur jocus; si in factis, propriè est ludus, qui si magis voluptatis gratiâ fiat, quàm spe lucri, lusus nuncupari potest. Dicitur 2do. *Non seria;* quæ enim seriò fiunt, cùm aliquam animi contentionem requirant, ad laborem pertinent, qui naturaliter defatigationem parit: ludus verò est contentionis relaxatio. Dicitur 3tio. *Animi defatigati;* quia ludus est quoddam remedium, non propter se appetibile, sed propter aliud, nempe propter animi defatigationem tollendam, quæ est malum quoddam, quatenùs impedit serias & necessarias actiones. Assumendus est ergo ludus ad levandum animum, quemadmodùm cibus aut somnus ad refocillandum corpus. Dicitur 4to. *Ordinata ad quietem*, id est delectationem. Aliter quippe animus quiescit, aliter corpus. Corporis quies est cessatio ab opere: animus verò sine operatione esse nequit; atque etiamnum quiescente corpore intendi & defatigari solet. Quies ergo animi est delectatio. Dupliciter autem delectatio captari potest. 1mo. Mutando opera seria, & transecundo à difficilioribus ad faciliora, & magis delectabilia; ut videre est in iis, qui pietatem impensiùs colunt cum firma satis corporis valetudine: hi quippe ab omnibus cæteris ludis abstinentes, animum refocillare solent quibusdam duntaxat jocosis confabulationibus, in quibus aliquid boni ingenii reluceat, ut ait Cicero lib. 1. *de Officiis.* 2do. Indulgendo ludicris exercitationibus quandoque necessariis iis, qui frequenter & diu feriis operibus intendunt, quibus mens corpusque defatigantur nimiùm ac debilitantur.

Alii, quod ad idem redit, *Ludum* generatim definiunt, *Jucundum aliquod dictum vel factum ad animi relaxationem ordinatum.*

Ex utraque hac Ludi generatim sumpti definitione patet 1mo. Ludere aliquando non minùs honestum esse, quàm comedere, bibere & dormire, quia illud, æquè ac ista, est vitæ necessarium. 416 2do. Sicut virtus sobrietatis, quæ Temperantiæ species est, necessaria est, ut quis licitè & honestè utatur cibô & potu, &c. Sic ad tenendum modum in ludo requiri aliquam virtutem, quam S. Thomas & omnes Philosophi communiter *Eutrapeliam* (q) vocant, quæ & altera Temperantiæ species est; atque idem est ac Urbanitas quædam.

Ut

(q) *Höfflicher, zierlicher, artiger, gescheider Schertz, und Spiel.*

416 Ut autem Ludus generatim sit licitus, hæc ex communi sententia requiruntur. 1mo. Ut Ludi genus nullo jure sit prohibitum. 2do. Ut non sit occasio peccandi; nec scandalum, aut damnum ullum cuiquam pariat. 3tio. Ut modus debitus, decorum, & omnes circumstantiæ debitæ serventur, ita ut congruat personæ, tempori, & loco, &c. Nam bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. 4to. Ut nec sæpiùs nec diutiùs ludatur, quàm exigat necessitas reficiendi vires animi, & eum expeditiorem reddendi ad debita officia. Necessitas enim est mensura ludi, sicut cibi & potûs. *Parùm* autem *de delectatione sufficit ad vitam quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 168. a. 4. 5to. Denique, ut Ludus necessarius referatur ad finem honestum, nam homo semper propter finem honestum agere tenetur.

417 Ludi sic definiti & explicati varia sunt genera & species, ut spectacula seu ludi theatrales; choreæ; sermones seu confabulationes jocosæ; Itemque ludi in quibus exponitur pecunia.

Spectacula & ludi theatrales histronici & comici ab Ecclesia severè prohibentur velut illiciti, hujusque histronicæ & comicæ artis professores (reclament licèt suos theatrales ludos ab omnibus obscœnis expurgatos) excludit tùm à perceptione Sacramentorum, quamdiu in illa professione vixerint; tùm à sepultura Ecclesiastica, si in ea usque ad mortem obstinati permanserint. Nam quænam in illis spectaculis audiuntur, nisi amatoria? Quid cernitur nisi pompa Satanica? nimirùm viri & mulieres ad seducenda spectantium corda compositi, qui libidinis ignes injiciunt, dum se produnt, qui impudicorum passiones excitant, dum describunt & exaggerant.

Duplici ergo ex capite peccant, qui ad illa spectacula conveniunt: 1mo. Quia peccandi periculo ultrò se exponunt. 2do. Quia participes sunt ludi exitialis, & ab Ecclesia prohibiti. Hac de re legi possunt SS. Patres, præcipuè autem Tertullianus, lib. *de Spectaculis*.

Inter exitiosos ludos SS. Patres & Theologi choreas numerant, nec immeritò. Unde enim impotens ille saltandi pruritus, nisi ex mutua masculi & fœminæ ad invicem concupiscentia? Saltatio quippe nullatenus per se delectat, frigetque, nisi in ea socientur viri & mulieres; imò insanire videntur, qui seorsim à mulieribus saltant. Et verò si ex improviso occurrens momentaneus fœminæ aspectus velut sagittas alienis oculis conjicit; & concupiscentia, quamvis honestatis jugô compressa, inde tamen commovetur & subsilit: quomodò tùm quiescet, cùm illi laxantur habenæ, cùm ex professo delectatio captatur ex consortio cum mulieribus præparatis ad capiendas animas, ut dicitur *Prov.* 7. An non laqueos animarum dixeris splendentem corporis ornatum, capitis & pectoris denudationem, compositos pedum gressus, suavem vocis modulationem, manuum contrectationem? Ad ludi enim hujus leges pertinet, quod alibi turpe censeretur, nempe mulieres manus præbere viris, nonnunquam & oscula. Ita SS. Patres & Theologi illi. 418

Nihilominùs censendum videtur cum multis, honestas choreas, temporibus & diebus illis, qui pœnitentiæ, & abstinentiæ, necnon cultui divino specialiter non sunt consecrati; sed quibus aliàs decenter jucundari & lætari licet, permitti posse; tùm quòd ludi isti ex se sint innocentes, nec aliud exhibeant, quàm publicum virorum & mulierum simul tripudiantium conventum; tùm quòd per

per eos occasio præcludatur privatis & clancularii utriusque sexus congressibus, qui utique sunt longè periculosiores, & vix unquam sine peccato finiuntur. Unde ad vitandum majus malum instituti videntur. Certè non magis, imò multò minùs hujusmodi publici chorearum ludi, ad concupiscentiam allicere viros & mulieres videntur, quàm quilibet alius eorum congressus & aspectus. Quamvis in illis, sicut in istis, magna cautione opus fore censeamus, ne dum circa exteriora effusi, non advertant, quid in secreto cordis agatur, sicque etiam velut inopinatò ipsis delictum subrepat; serioque cogitent, vel minimam delectationem veneream plenè voluntariam esse peccatum lethale. Unde concludit Gerson, *Serm. in Dom. 3. Adventûs, Choreas, ob fragilitatem hominum, difficile sine diversis peccatis haberi, & omnia peccata choreisare in choreis.*

419 Non est, quòd de illa Ludi specie, quam confabulationem jocosam & jucundam nuncupant, quidquam hîc dicamus: ultrò enim omnes admittunt eam esse licitam, dummodò conditionibus illis, quas suprà recensuimus ornata sit.

420 At de ludo, in quo exponitur pecunia, paulò fusiùs hîc nobis agendum est, ut qui non modò temperantiæ species esse dignoscatur, sed etiam, atque præcipuè, ad Justitiæ virtutem pertineat, necnon sub ejus Objecto contineatur, quippe cùm contractûs species sit; atque huc propriè spectet.

Ludus ergo sumptus pro contractu definitur, *Certamen ad animi relaxationem institutum, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori res aliqua, quasi præmii locô, cedat.* Triplicis speciei est seu generis. Sunt enim ludi qui merè pendent ab industria ludentium, & nihil, aut ferè nihil à fortuna seu casu habent, ut ludus pilæ: alii merè pendent à fortuna, & nihil, aut ferè nihil ab industria, ut ludi taxillorum, multi chartarum ludi, aliique quotquot dicuntur aleæ (Wag-Spiel, Glücks-Spiel) alii demùm mixti sunt, & partim à fortuna, partim ab industria pendent, ut plures chartarum ludi.

Equidem jure naturali nullus ex his ludis est prohibitus; quia sicut potest unusquisque rem suam alteri simpliciter & absolutè donare, sic & eam potest in alterum transferre sub aliqua conditione, sive à fortuna solùm, sive etiam simul ab industria, sive denique à sola industria pendeat ea conditio. 421

At verò Jure Civili & Ecclesiastico ludus omnis aleæ, seu qui aleæ quidpiam admixtum habet severè interdictus est, saltem si frequens sit. De Jure Civili patet ex toto titulo *De aleatoribus.* ff. & Cod. De Jure Ecclesiastico non minùs est evidens Cap. *Episcopus.* qui ex Canonibus Apostolorum desumptus est, Dist. 35. sic habetur: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ . . . deserviens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. Similiter & Laicus.* Concilium Illiberitanum, Can 79. *Si quis fidelis*, inquit, *aleâ luserit, post annum poterit communione reconciliari.* Concilium Quini-sextum Can. 50. *Qui aleâ luserit excommunicetur.* Denique, ut plures alias tum Canonum, tùm Conciliorum, tùm SS. Patrum auctoritates prætermittamus, Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. *de reform.* innovat & confirmat antiquos Canones aleam prohibentes.

Hinc colligitur cum S. Raymundo de Pennafort, lib. 2. Summ. tit. 2. *quòd peccatum eorum, qui aleæ deserviunt,* 422

sit

fit mortale, cùm tales pœnæ, quas decernunt citatæ auctoritates, *non sint imponendæ pro levi crimine.* Idem docet S. Antoninus 2. part. tit. 1. juxta quem tamen *Ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem & moderatè, non videtur esse mortale*, quæ exceptio regulam graviter confirmat. Et verò in ludô *multa committuntur peccata, scilicet fraus, mendacium, perjurium, blasphemia, scandalum, amissio temporis, & ira frequenter; undè ludus satis videtur habere rationem peccati mortalis.* Sunt verba S. Bonaventuræ in speculo.

Non modò qui aleâ ludunt peccant, sed & ii, qui ludentes eos inspiciunt (*r*). *Ludi inspectores mortaliter peccant*, inquit S. Bernardinus Senensis (intellige, si ludus ille moraliter malus sit) quod probat ex Authent. *De sanctiss. Episcop.* lib 1. Cod. tit. 3. post leg. 17. qua interdicitur *Clericis omnibus ad tabulas ludere, aut ludentium inspectores fieri.... Si quis autem ex his in hoc deliquerit*, jubetur *hunc tribus annis à venerabili ministerio prohiberi, & in Monasterium redigi.*

423 Verùm non obstantibus auctoritatibus ex Jure Civili & Ecclesiastico adductis, tamen Aleæ modicam exponere pecuniam recreationis gratiâ, & sub iis conditionibus, quas suprà initiò hujus §. num. 4 6. recensuimus, aliisque, quas mox subnectemus, juxta plerosque non est grave peccatum; imò caret omni prorsùs peccatô tam in Clericis, quàm in Laicis. Quia leges suprà laudatæ damnant duntaxat aleatores seu *aleæ deservientes*: aleator autem & aleæ deserviens dici non potest, qui raro, moderatè, & recreationis gratia aleâ, vel saltem aleâ, cui mixta est industria, ludit. Præterea dictæ leges permittunt modicam aleæ ludo exponi pecuniam. ff. lib. 11. tit. 5. & Cod. lib. 3. tit. 43. *De Relig. sumpt. Non permittimus etiam in his ludis* (aleæ) *ultra unum solidum ludere, etiamsi multùm dives sit, ut si quem vinci contigerit, gravem casum non sustineat.* Et ita sentiunt communiter Theologi, & ratio est, quia levitas materiæ à mortali excusat. *Cùm ludit aliquis causâ recreationis, peccatis supradictis exclusis, non videtur habere rationem mortalis*, inquit S. Bonaventura, loc. sup. cit. causas, autem, quas hîc exclusas vult, suprà retulimus ibid.

Addimus nos nec tales rationem peccati venialis habere, si adhibitis, præter eas, quas suprà adnotavimus, his insuper conditionibus ludant. 1mo. Ut ludentes eorum, quæ exponunt, liberam habeant dispositionem, ex concessione Superiorum, si sint Religiosi, & id, quod exponunt, perdere possint, absque eo, quòd desint suis officiis, ut eleemosinæ in pauperes, debitorum solutioni, familiæ suæ sustentationi, &c. Hinc qui lucratur à filio-familias non habente castrensia, &c. ab uxore non habente paraphernalia, à Religioso, qui nihil, quòd suum sit, possidet, &c. peccat & tenetur ad restitutionem, nisi hi quibuscum lusit, eorum à quibus pendent, sufficientem consensum obtinuerint, aut nisi id, quod ab iis perditum est, *sit quid modicum, de quo præsumi possit, quòd patres, tutores, superiores, &c. non curarent*, inquit S. Antoninus apud Pontas verbô *Ludus.* Cas. 5. 2do. Ut summa, quæ ludo exponitur, sit modica, secundùm uniuscujusque facultatem & statum, nec major, quàm

(*r*) Idem dicendum de iis qui aleatoribus domum suam ad ludendum commodant: quia occasionem & commoditatem peccandi aliis præbent. Idque Jure Cæsareo prohibetur.

opus sit ad animi delectationem, & ne ludus langueat: qui enim majores summas exponunt, præter multa, quibus se exponunt, peccandi pericula, lucro avidè inhiant, ipsumque principaliter intendunt, quod si in Laicis mortale non est, saltem veniale; in Clericis verò semper mortale est. 3tio. Ut absit omnis fraus: undè mortaliter peccant, nisi materiæ parvitas exeuset, qui decipiunt in numero calculorum, cui chartas abscondunt, easve speciali, quo distingui possint, signô notant; & ad restituendum tenentur tùm lucrum hoc modò & arte acquisitum, quia iniquè acquisitum est; tùm id, quod alter certò aut probabiliter acquisivisset; imò etiam in dubio, an lucraturus fuisset, quanti valebat spes victoriæ in eo, qui deceptus est.

Etsi verò fraus a ludo exulare debeat, non tamen astutiæ quædam, quæ ludi legibus & ludentium consensu permissæ sunt, ut aspicere chartas, quas collusor non satis custodit; easdem à tergo dignoscere, modò eo fine signatæ non sint; fingere metum, ut alter sponsionem augeat. 4to. Ut adsit inter lusores sufficiens æqualitas: hujus defectu tenetur ad restituendum. 1mo. qui certò sciens se alium peritiâ notabiliter superare, excessum silet; vel se ludum illum non callere simulat. 2do. Qui nihil amittere potest æquale ei, quod alter exponit, ut iis contingit, qui parati sunt lucrum recipere, si vincant non solvere, si vincantur, quia nihil habent. 5to. Ut absit coactio, & alter alterum ad ludum vel incipiendum, vel continuandum non pertrahat per injurias, fraudes, convitia, imò per preces ita importunas, ut malles rem tuam periclitari, quàm tantis affici molestiis. Unde qui sic alium ad ludum pertrahit, putà qui e. g. minatur se id, quod jam perdidit non soluturum, nisi alter in ludo perstat, ad restituendum quod ab alio fortè lucratus est, tenetur, quia qui me invitum, aut quasi invitum ad ludum traxit, injuriam mihi intulit, & est illius, quod patior damni causa. Si verò ipse perdiderit, non teneor restituere, quia verè & absque cujusquam injuria lucratus sum. Sic restituere debet, qui decipit in punctorum numeratione, non qui decipitur.

Quærunt hîc Theologi an licitum sit 424
pro precibus ludere. Negant aliqui, quia, inquiunt, sancta sanctè tractari debent, nec decet religiosa ludicris misceri. Affirmant alii; idque probat piorum usus, & pietas, ut dum honestam aliquam in Ecclesia militante recreationem sumunt, aliquod Ecclesiæ purganti levamen procurent; & verò tam piè & sanctè orat, qui preces ante ludum pactas fundit, quàm qui sine ludo orat.

Denique expendendum videtur, An 425
qui ludô vetitô, seu aleâ aliquid lucratus est, teneatur lucrum restituere, vel qui perdidit solvere; cùm nempe de magna summa agitur; nam juxta omnes qui modicum perdidit, tenetur solvere. Quia contractus ludi fuit justus, obligatque naturaliter; neque Leges, quæ vigent, prohibent modicum quid ludo per se & ex natura rei licito exponere, ac proindè lucrum modicum solutum retineri potest, nec conceditur jus illud repetendi. Hoc supposito

Quantùm ad 1mum. juxta commu- 426
nem sententiam, seclusa lege speciali loci irritante contractum ludi, magna pecuniæ summa jam acquisita ludô vetitô seu aleâ, servatâ aliunde justitiâ, potest retineri in conscientia, donec per sententiam Judicis exigatur restitutio: quia contractus ludi jure naturæ habet vim transferendi dominii ex libero consensu ludentium, & jure positivo communi, vel saltem ex consuetudine,

dine, non est ipso facto irritus; nec ludentes redduntur inhabiles ad transferendum dominium, neque obligantur ad restitutionem, nisi post sententiam Judicis: ex eo autem, quòd contractus sit prohibitus, non ideò hoc ipso est irritus; *quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Cap. 16. *De Regular.* ut patet in matrimonio post votum simplex castitatis contracto, in negotiatione Clericis interdicta, &c.

427 Quantùm ad 2dum. Qui aleâ lusit, & notabilem summam perdidit, sistendo in jure naturali, tenetur solvere. Quia contractus fuit validus, ac proindè ex illo victor comparavit jus ad id, quod lucratus est. Prætereà, qui perdidit, debuit ludendo consentire in solutionem, si perderet: alioquin mala fide lusisset, ideoque lucrari non potuisset.

At an Jure Civili communi, seu Cæsareo lusor teneatur in conscientia solvere debita ludô contracta? Alii negant, quia Leg. 1. Cod. *De aleator.* conceditur victo & ejus hæredibus jus repetendi in judicio, quod solvit. Ergo victus potest jure retinere id, quod solutum jam repetere statim posset: cui enim lex dat actionem repetendi, eidem etiam dat exceptionem, ut non solvat, juxta Regul. Jur. 71. in 6. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.* Et Leg. 198. ff. *de Reg. jur.* Deindè leges Cæsareæ statuunt, ut victus non cogatur solvere: unde cùm retinere meam rem, & datam recipere æquivaleant, injustum non est commodiorem modum absque inutili circulo eligere. Hinc Leg. 3. ff. *De compensat.* dicitur: *interest nostrâ potiùs non solvere, quàm solutum repetere.*

Alii verò contendunt debitorem teneri solvere, nisi Judicem requirat pro debiti sui absolutione. Quia 1mo. qui lusit, validè lusit. Ergo contraxit obligationem standi contractui valido, donec irritetur: & hic victor habet jus ad solutionem, donec eo privetur per judicem. 2do. Sicut qui validè lusit & perdidit, non potest ante sententiam Judicis solutum repetere, aut occultè recipere, ita nec potest ante sententiam non solvere. 3tio. Leges non concedunt jus repetendi solutum nisi in judicio. Ergo jus non solvendi acquiritur solùm per sententiam Judicis: & cùm eædem leges dicunt, *victus non cogatur solvere*, subintelligitur *à Judice*; unde significant solùm actionem victori non dari ad repetendum debitum. Porro certum est victum teneri solvere, si juraverit se soluturum; quia juramentum de re licita præstanda servari debet ex Religione & reverentia erga Deum.

Diximus *jure communi;* nam potest esse alia consuetudo patriæ, vel lex specialis annullans obligationem naturalem solvendi debita ludô contracta. Sed videtur in his rebus standum esse consuetudini receptæ nec per legem abrogatæ. Hæc de ludo dicta sufficiant; modò pauca de Sponsione veniunt addenda.

Sponsio igitur, Germanicè Wettung, est *Contractus, quo duo vel plures de veritate vel eventu rei alicujus contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut illud ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus.* 428

Hic Contractus, si adsint conditiones requisitæ, licitus est; tùm quia nullo jure prohibetur; tùm quia est quidam fortunæ contractus, quod uterque contendens pari jacturæ & lucri periculo expositus est.

Conditiones autem hæ sunt, 1mo. Ut res, de qua agitur, in eodem sen-

su à contendentibus accipiatur & intelligatur; nam alioqui nullus esset contractus sponsionis, siquidem spondentes non consentirent in idem, si diversimodè rem intelligerent. 2do. Ut res, de qua contenditur, sit incerta contendentibus: alioqui jam non esset æqualitas in spe & periculo, quæ ad justitiam sponsionis requiritur; nam Sponsio est contractus onerosus, quo emitur spes lucrandi periculô perdendi.

Hinc si quis certus de rei veritate vel eventu, aliquid sponsione lucratus est, tenetur id restituere, etiamsi de sua certitudine alterum monuisset, qui nihilominùs vellet contendere; quia hic non vult donare, aut se punire, sed spondere, eò quòd putet rem non esse semper incertam, & alium falli, & ideò posteà diligenter veritatem inquirit. Cùm autem in sponsione ematur, & vendatur spes lucri periculô amittendi, veluti merx pretiô; si nullum sit periculum perdendi, nihil emitur nec venditur: ac proinde invalidus est contractus, sicut invalida est emptio gemmæ falsæ pro vera, etiamsi emens monitus fuisset falsam esse, sed credere noluisset. Hæc universim de contractibus onerosis dicta sufficiant; modò etiam dicendum est de contractibus gratuitis seu lucrativis, quo nomine intelliguntur promissiones, donationes, & ultimæ voluntates. Undè sit

XI.

429 *De Promissione.*

Promissio definiri potest *Contractus, quo quis per actum exteriorem se alteri homini ad aliquid licitum & possibile sponte & liberè obligat.* Sive est *deliberata & spontanea fidei obligatio de re bona & possibili.* Quæ si fiat sub certa verborum formula, qua unus rogat, & alter promittit, dicitur *stipulatio*, v. g. *Spondes te mihi daturum viginti aureos? spondeo.*

Dicitur 1mo. *Deliberata:* quia cùm promissio sit quidam contractus habens vim obligandi, postulat sufficientem consensum, ad quem perfecta & matura requiritur deliberatio, & advertentia, quæ ad mortale peccatum sufficiat. 430

Dicitur 2do. *Spontanea*, quo excluduntur fraus, vis, metusque etiam reverentialis, preces importunæ, & quidquid causa esse potest involuntarii etiam secundùm quid; quia promissio debet esse omninò libera & voluntaria, utpote quæ sit liberalis & merè gratuita pollicitatio; debet etiam abesse error & dolus circa rei substantiam vel causam finalem: alioqui deesset consensus substantialis, adeoque voluntarium. 431

Dicitur 3tio. *Fidei obligatio.* Quo differt promissio à *proposito;* propositum enim quantumcumque firmum & efficax, nullam in suo conceptu formali includit obligationem; Unde qui dicit, *promitto*, si merum desiderium aut propositum significare velit, non censetur strictè promittere, adeoque nec obligari. Sic intelligendi sunt pœnitentes, quando promittunt se ampliùs non peccaturos, nec enim significant, se novam obligationem contrahere, aliàs recidendo dupliciter peccarent. Promissio ergo addit supra propositum intentionem se obligandi. Ut autem actu & de facto obliget, debet priùs acceptari ab eo, cui fit. Est enim species contractûs & pacti, quod sine utriusque partis consensu nullum est; definitur enim Leg. 3. ff. *De pollicit. Duorum consensus atque conventio;* qua deficiente nulla ex eo oritur obligatio, Leg. 1. ff. *De pact.* Deinde sicut promissio 432

missio vel obligatio onerosa tacitam hanc habet conditionem, *si alter vicissim se velit obligare*, qua sublata non obligat: sic etiam gratuita promissio hanc tacitam habet conditionem, *si acceptetur*: qui enim promittit, non censetur habere animum se obligandi, donec alter acceptet, & rem sibi gratam fore declaret, cùm velit ei gratificari; quod scire non potest, nisi id alter innuat. Hinc promissio seu pollicitatio semper revocari potest ante acceptationem.

433 Porro juxta multos, ut hujusmodi gratuita promissio censetur acceptata, regulariter sufficit taciturnitas ejus, cui fit ex Reg. Jur. 42. in 6. *Qui tacet consentire videtur.* Quæ præcipuè valet in iis, quæ tacentis commodum continent. Regula verò sequens: *Is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*, procedit in promissionibus onerosis acceptandis.

Juxta multos excipiuntur pollicitationes, quæ fiunt Civitati, vel Ecclesiæ, vel ad pias causas, quamvis enim jura non loquantur expressè nisi de pollicitationibus factis civitati ad restaurandas ruinas, &c. l. 3. & 4. ff. *De pollicit.* tamen id illi extendunt ad pollicitationes & donationes ad pias causas, quia hæ æquiparantur iis, quæ fiunt civitati, si privilegia spectentur, ex Leg. 18. & 23. Cod. *De Sacros. Eccles.* Hasque pollicitationes seu promissiones independenter ab acceptatione obligare tuentur.

Cæterùm sicut promittenti de acceptatione promissarii innotescere debet, sic & ipse ut promissione sua obligetur, eam exteriùs significare debet, nam alioqui non posset acceptari. Hinc si sit merè interna non obligat, nisi Deo sit facta, à quo, utpote cordium inspectore, statim acceptatur.

Dicitur 4to. *De re bona;* Omnis 434
enim promissio & pactio de re mala & illicita facienda non obligat & nulla est jure naturali, saltem ante executionem; quia nemo ad peccatum committendum se obligare potest. Quòd si jurata sit hujusmodi promissio, juramentum est invalidum, cum non possit esse vinculum iniquitatis. Imò promissor tenetur statim retractare promissionem, utpotè iniquam, & ad peccatum allicientem.

Diximus, *saltem ante executionem;* Multi enim docent, imò communis ferè est Theologorum sententia, post opus malum patratum obligari promissorem ad solutionem pretii promissi, si datio & acceptatio illius nulla lege sit prohibita, aut irritata. Quia 1mo. Promissio matrimonii facta puellæ sub conditione sui copiam habendi, quamvis ante copulam non obliget, ex dictis, post eam tamen ex justitia obligat promittentem ad servandam promissionem, quam si non impleat, puellæ, quæ ex parte sua conditioni stetit, injuriam facit, & inæqualitatem inter se & illam ponit. 2do. In illis pactis intervenit duplex promissio, una absoluta faciendi rem illicitam, & hæc nunquam valet, nec obligat; altera est conditionalis, & ex suppositione conditionis positæ; & hæc bona est, utpote nulla lege prohibita nec irritata: sic si promittam pauperi & dicam, *si peccavero, dabo tibi eleemosynam;* hæc pactio perficitur posita conditione turpi, oriturque obligatio ex vi consensûs ut sequentis, non ut antecedentis opus malum. 3tio. Posita conditione impletio rei promissæ non est turpis, ut jam dictum, nec enim promissum impletur ob causam turpem, sed ut fides data servetur, &c.

Nec obstare videntur utriusque juris leges, quibus pactiones ob causam-tur-

turpem absolutè & indistinctè decernuntur *nullius esse momenti*, *nullam obligationem inducere*, *nullam vim habere*, cap. ult. *De pact.* Leg. 26. ff. *De verb. obligat.* & Leg. 6. Cod. *De pact.* &c. Nam his legibus significatur tantùm, tales pactiones non valere ante opus patratum, neque post patratum dare actionem in foro externo: per illas autem non tollitur obligatio naturalis, quæ ex promissionibus onerosis oritur.

435 Dicitur denique 5to. *De re possibili.* ad impossibile enim nemo tenetur. Unde si id, quod tempore promissionis erat possibile, fiat posteà impossibile, tollitur obligatio. Imò putant aliqui, quòd, etsi id non fiat omninò impossibile, ad tollendam obligationem sufficiat aliqua mutatio superveniens, quam si promissor prævidisset, non fuisset promissurus; atque hanc etiam esse S. Thomæ sententiam ajunt, 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5.

Verùm hæc regula limitatione indiget, 1mo. Quia locum non habet in promissionibus Deo factis: multi enim castitatem vovent & Religionis ingressum, qui si utriusque difficultates ab initio sensissent, neutiquam vovissent: & ii tamen non ideò à votorum obligatione solvuntur, ut omnes fatentur; quia hosce eventus potuerant ac debuerant prævidere, & juxta Christi monitum, Luc. 14. vers. 28. sedentes, id est, non cursim, sed per otium computare, an sumptus haberent ad Evangelicæ turris constructionem necessarios. 2do. Quia etiam locum non habet in promissionibus onerosis homini factis, quæ quotidiè corruerent, si obligatio mutatione rerum tolleretur; cùm sæpè promissori aut promissario aliquid contingat, quod ab initio prævisum conventionem impedivisset. 3tio. Quia nec valere potest in ipsis quoque gratuitis promissionibus, cùm mutatio ab homine prudenter agente provideri potuit & debuit.

Promissio sic definita & explicata juxta communiorem in re gravi obligat sub mortali. Ratio est 1mo. Quia omnis contractus parit obligationem, idque ex justitia. Atqui promissio acceptata, ut supponitur, est contractus quidam jure gentium institutus. Ergo ejus obligatio in gravi materia gravis esse debet. 2do. Obligatio justitiæ est ea, quæ parit jus exigendi aliquid. Atqui promissio etiam gratuita jus illud parit: nam promittere non est solùm affirmare se aliquid facturum, sed insuper se ad id faciendum alteri obligare, ideoque dare ei jus exigendi, quod ipsi promissum est: hinc queri solent homines illatam esse sibi injuriam, quoties quis datam & ab ipsis acceptatam fidem frangit. Ergo. 3tio. Juxta omnes promissio, quæ fit coram notario, testibus, aut in scriptis strictam & ex justitia parit obligationem, cùm det actionem in foro externo, cujus sententia huc spectat, ut suum cuique jus reddatur. Atqui extrinsecæ illæ formalitates novam promissioni obligationem non addunt, sed supponunt, atque majorem duntaxat securitatem inducunt; vis enim promissionis tota pendet à mente, non à verborum sono, signisve exterioribus. Ergo. 4to. S. Augustinus lib. 1. *de Doctr. Christ.* cap. 36. generaliter ait: *omnis fidei violator iniquus est.* Tullius quoque, licèt Ethnicus, *lib. 1. Offic. Fides*, inquit, *est justitiæ fundamentum, dictorum, conventorumque constantia.* Ergo qui in promissis fidem non servat, justitiæ fundamentum, quo pacta nituntur, evertit, & iniquus est; adeoque pro rei gravitate graviter delinquit. 436

Hæc tamen sic limitanda esse arbritramur. 1mo. Gravitatem obligationis, 437

nis, quæ ex promiſſione naſcitur, pendere ab intentione promittentis negandum non eſt; quia promiſſio eſt quaſi lex privata, quam ſibi quiſque imponit: unde ſicut obligatio legis pendet ex legislatoris voluntate, adeò ut leviter, vel graviter obliget, prout ipſi placuerit, ita & promiſſio. 2do. Quantitas, vel in furto ſufficit ad mortale, hîc non ſufficit, ſed major requiritur; quia minùs invitus cenſetur promiſſarius, quòd res gratis promiſſa recuſetur, quàm ſi res propria æqualis valòris auferatur. Quidam hanc quantitatem quadruplô ampliorem ſtatuunt; qui minimè ſunt improbandi.

438 Porro promiſſiones pleno jure irritæ hæ recenſentur. 1mo. Promiſſiones, quæ dant occaſionem peccandi, ut per ſe patet. 2do. Promiſſiones, quibus adimitur libera poteſtas diſponendi de rebus ſuis, v. g. promiſſio non condendi aut non revocandi teſtamentum, non inſtituendi alium hæredem, niſi talem; quia hæc omnia ſunt contra bonos mores civiles, id eſt, eos mores, quos expedit in Republica benè inſtituta vigere. 3tio. Beneficii Eccleſiaſtici nondum vacantis promiſſio quovis modo facta eſt illicita & nulla ex Concilio Lateranenſi III. cap. 8. etiamſi nullum in particulari promittatur, quia ſic *mortis alienæ votum ingeritur*, cap. 2. *De conceſſ. præbendæ & Eccleſ. non vacantis*, in 6. Unde nec licet illud petere, cùm ejus promiſſio ſit vetita.

439 Denique promiſſio acceptata & valida deſinit obligare, 1mo. cùm res promiſſa ſit inutilis & noxia promiſſario, impoſſibiliſve aut illicita petenti; quia tunc ceſſat materia promiſſionis. 2do. Cùm promiſſarius obligationem remittit; quia tunc cedit juri ſuo. 3tio. Cùm promiſſio facta eſt ob cauſam, quæ non fuit aut non eſt; ut ſi promiſeris quidpiam alteri, quem errore facti credideras de te benè meritum eſſe; quia non promiſiſti niſi ex hac falſa ſuppoſitione, & eſt error in cauſa finali, ſeu motivo ſubſtantiali. Item ſi dotem promiſeris egenæ virgini, cui ampla contigit hæreditas; nam tunc cauſa finalis tuæ promiſſionis ceſſat, nec, niſi ea tempore executionis ſubſiſtente, intendiſti te ad dandum obligare. 4to. Cùm duo ſibi viciſſim promiſerunt, & prior promiſſis ſtare non vult; tùm quia frangenti fidem fides ſervanda non eſt; tùm quia, cùm paria ſint utriusque partis jura, locum hîc habet compenſatio. 5to Cùm ſtatus rerum & perſonarum ita mutatur, ut promiſſor juxta prudentum judicium non cenſeatur voluiſſe ſe obligare in tali eventu: tùm quia promiſſio non obligat ultra intentionem promittentis; nec habet vim niſi ex intentione, quam expreſſè vel implicitè habet, dum promittit: tùm quia ſicut ex Reg. Jur. 18. in 6. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*, ſi in ſpeciali peterentur: ita neque in promiſſione comprehenduntur illi eventus, qui judiciò prudentum fuiſſent excepti, ſi menti occurriſſent.

Hinc non tenetur ſtare promiſſis 1mo. qui rem promiſſam, quam vilioris pretii eſſe crediderat, multò majoris eſſe deprehendit, præſertim ſi tanta promiſſio vires ejus ſuperet. 2do. Qui promiſit ſe tali die culturum eſſe proximi vineam, & uxoris aut filiorum, qui gravi morbô torquentur, curam gerere debet. 3tio. Qui puellæ, quam virginem exiſtimabat, nuptias promiſit, haud promiſſurus, ſi noſſet eſſe corruptam. 4to. Qui pollicitus erat, ſe pecuniam mutuo daturum, & eâ, ob impro-

improvisam necessitatem, indiget, &c. Atque hoc extenditur etiamsi promissio fuerit jurata; quia juramentum promissionem non firmat, nisi eo, quo facta est, sensu: undè si promissio tacitum habeat conditionem, sive ex mente promittentis, sive ex natura rei, aut dispositione juris, juramentum eam non tollit, sed solùm, secundùm eam, promissionem confirmat: neque enim additur juramentum, ut promissio aliter accipiatur, quàm per se accipi soleat, sed ut eo modo intellecta, quo sollet intelligi, non possit revocari.

§. XII.

440 ### *De Donatione.*

Donatio definiri potest, *Liberalis rei alicujus alteri collatio.* Dicitur 1mo. *Liberalis;* quia ad donationem donator non movetur ex debito justitiæ, aut aliquo alio, etiam gratitudinis, debito; Nam si donatio ex debito gratitudinis procedat, tùm donatio simpliciter dici non potest, sed cum addito, nempe *renumeratoria*, seu *antidotalis.*

Dicitur 2do. *Rei alicujus collatio*, id est traditio *realis*, pariens dominium & jus in re; quo differt à promissione, in qua res ipsa non traditur. *Donatio*, quæ *verbalis* appellatur, ut cùm quis alteri dicit, *do tibi equum meum, qui absens est.*, non tam est donatio quàm promissio, aut saltem non est perfecta & completa donatio.

Ut Donatio valeat, debet esse deliberata, spontanea, & acceptata, &c. ut de promissione diximus, ob easdem rationes: nam *nec ignorans, nec invitus quisquam donat*, Leg. 10. Cod. *De donat.*

Dividitur donatio in donationem *inter vivos*, & donationem *mortis causâ.* Prior est ea, qua quis donat cum intentione, ut res se vivô sit donatarii; Altera verò, qua quis sic donat, ut nolit rem nisi post mortem suam esse donatarii; ut si quis dicat: *Do tibi hanc rem post mortem meam*, vel *cùm moriar*, vel *quia timeo, ne moriar.* 441

Donatio *inter vivos* de se irrevocabilis est, nisi in certis casibus, quos infrà adnotabimus. At Donatio *mortis causâ* essentialiter est revocabilis, ex Leg. 4. ff. *De adimendis*, &c. ibi: *In supremis enim dispositionibus hæc regula dubio procul obtinet, ut ambulatoria sit hominis voluntas usque ad extremum vitæ.*

Ad Donationis sic definitæ & divisæ validitatem quatuor requiruntur conditiones, quarum prima se tenet ex parte donantis: secunda ex parte donatarii: tertia ex parte rei quæ datur: quarta demum ex parte formalitatum, quæ nisi adsint, caduca est, & nulla donatio. 442

Itaque 1mo. ad donationis validitatem requiritur, ut donator sit ad donandum habilis: undè generaliter loquendo ii soli donare possunt, quibus contrahere licitum est, quique liberam & Legibus non ligatam habent de re sua disponendi facultatem. Hinc 1mo. non possunt validè donare ii omnes, qui non possunt contrahere, de quibus suprà Sect. 1. §. 2. 2do. Qui à natura sunt muti simul & surdi, ita ut nec scripturâ, nec voce voluntatem suam certò exprimere valeant. 3tio. Religiosi professi, utpotè civiliter mundo mortui. 4to. Qui præsunt communitatibus, putà civitati, Monasterio, item tutores & curatores ex bonis pupillorum & minorum possunt solùm facere

cere

cere eleemosynas, & donationes remuneratorias moderatas, in quibus censeantur utiliter rependere, non liberaliter propriè donare. 5to. Maritus ex bonis communibus nihil potest invita uxore donare saltem sine legitima causa, ob quam uxor non sit rationabiliter invita: quia marito sola potestas ea administrandi competit, quoad partem ad uxorem pertinentem: at sub facultate administrandi non continetur facultas donandi, nam donatio non est rei administratio, sed amissio, ex Leg. 7. ff. *De donat.* 6to. Donationes conjugum inter se jure communi non sunt validæ saltem irrevocabiliter, adeoque ad arbitrium donantis revocari possunt, exceptis quibusdam casibus Leg. 1. & 3. ff. *De donat. inter vir. & uxor.* & C. ult. *De donat. inter vir. & uxor.* ubi Gregorius IX. sic loquitur: *Donatio, quæ constante matrimonio, inter conjuges dicitur esse facta, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur, &c.* Ratio est, ne conjuges mutuo amore se se bonis spolient cum damno liberorum & parentum; & ne concordia videatur pretiò conciliari. Donationes tamen inter conjuges non revocatæ confirmantur alterius obitu, ex Leg. 32. ff. & L. 3. Cod. hoc tit. & cap. cit. modò eæ non impediant, ne liberi suas legitimas partes accipiant, ex Leg. 1. Cod. *De inoffic. don.* 7mo. Donatio patris facta filio nondum emancipato, quæ jure ff. erat nulla, jure Cod. est tantùm revocabilis, exceptis paucis casibus: undè non revocata confirmatur morte patris, vel etiam emancipatione filii, si res est tradita; quia quamdiu Filius est sub patria potestate, censetur veluti una persona cum patre quoad effectus civiles. Valet autem donatio Matris in Filium, quia Filius non est in potestate Matris, scilicet civili, & in ordine ad effectus civiles.

Porro in his omnibus & similibus, ubi agitur de dispositione bonorum, spectandæ & servandæ sunt leges ac consuetudines speciales locorum rationi consentaneæ, quæ sæpè à jure communi Cæsareo discrepant: nam, cùm voluntates subditorum eorumque bona subjiciantur potestati legislativæ in ordine ad bonum commune, nemo potest de suis bonis disponere licitè contra Leges justas, quæ semper obligant in conscientia, imò nec validè, si sint irritantes. Vid. cit. Sect. 1. §.

Secunda conditio est, ut donatarius recipere non prohibeatur. Hinc donatarii esse non possunt 1mo. qui certam in alios habent auctoritatem; sic nullæ sunt donationes in vivis, vel testamentariæ, factæ à pupillis, &c. in gratiam tutorum, curatorum, eorumque uxorum, nisi tutores rationes suas jam reddiderint. &c. &c. 443

Tertia conditio est, ut res, quæ datur, dari permittatur. Hinc 1mo. non valet donatio in fraudem creditorum facta. 2do. Donatio excedens quingentos solidos seu florenos invalida est quoad excessum, nisi insinuetur, Leg. 36. Cod. *De donat.* Excipiunt multi quamlibet donationem ad causam piam: quia donatio ad redemptionem captivorum non eget insinuatione, *leg. cit.* & legata ad causas pias non indigent solemnitate per leges ad legata profana requisitâ. Porro nomine donationis venit remissio debiti liquidi. 3tio. Donatio omnium bonorum tam futurorum, quàm præsentium inter vivos est invalida; quia per talem donationem homo privat se potestate testandi, quod leges improbant velut contra bonum ordinem, quem in Republica esse decet, Leg. 61. ff. *De verb. oblig.* valet tamen si fiat mortis causâ, 444

 quia

quia cùm possit arbitriô donantis semper revocari, non aufert testandi facultatem.

445 Denique quarta conditio quibusdam formalitatibus ad validitatem donationis requisitis, & sine quibus ea non subsistit, continetur. Tres numerari solent.

1ma. est *Acceptatio*, ex leg. *Hoc jure* ff. *De donat.* ibi: *Non potest liberalitas nolenti acquiri.* seu ut habet Regula 69. ff. *De diversis Regulis juris. Invito beneficium non datur.* Unde revocari potest donatio, ut v. g. fundatio Capellæ, quamdiu ab Episcopo acceptata non est, neque confirmata.

Hæc acceptationis necessitas locum habet in iis etiam donationibus, quæ fiunt Ecclesiæ & minoribus. Minores viginti quinque annis validè non acceptant sine curatorum consensu; sicut nec uxores absque mariti auctoritate: valet tamen donatio utrique conjugi facta, etsi à solo marito acceptetur. Acceptationis omissio Jure Romano suppleri potest.

2da. formalitas ad donationis validitatem requisita est *Traditio*. Traditio autem est duplex *realis* & *ficta*. *Realis* est, cùm donator rei dominium directum & utile in donatarium actu & absolutè transfert; *ficta* verò, cùm donator ita rei proprietatem transfert in donatarium, ut ejus usumfructum sibi retineat, &c. Traditio ficta in plerisque consuetudinibus sufficit; sed non sufficit in iis consuetudinibus, quæ expressè requirunt, ut donator re sua penitùs se exuat, ut donatarium eâ quasi induat.

3tia. demum formalitas est *Insinuatio* qua nempè donationes in Acta publica referuntur; quia omnium interest donationes non esse ignotas, præsertim eas nosse creditorum interest, quibus præjudicium ex donationibus creari posset. Igitur 1mo. Insinuari debent tùm donatio, tùm acceptatio: nam insinuatio solius donationes irritam eam faceret. 2do. Insinuationi obnoxiæ sunt donationes, tùm inter vivos, tùm causâ mortis: item minoribus sunt necessariæ. Tamen juxta communem sententiam donationes ad pias causas insinuatione non indigent, prout suprà adnotavimus; neque etiam donatio summæ pecuniariæ de manu ad manum facta; quia nulla lex generatim prohibet eam donationem, quæ ab homine vivente fit brevi manu, sed certis duntaxat personis, putà marito, vel uxori, &c.

Nunc etiam dicendum, quibus causis donationes tùm inter vivos tùm mortis causâ factæ possint revocari.

Igitur Donatio inter vivos revocatur ob quatuor causas. 1mo. Ob ingratitudinem donatarii leg. ult. Cod. *De revoc. donat.* & cap. ult. *De donat.* Ut si donatori atroces injurias, vel grave rerum ejus damnum, vel vitæ periculum intulerit. Item si inopiâ pressum non aluerit. Sed ante sententiam Judicis hæc pœna non debetur, & si donans antequam ingratitudinis actionem intenderit, moriatur, eadem actio ab hæredibus ejus intendi non poterit. 2do. Ob prolem posteà susceptam; ut si quis prole carens magnam suorum bonorum partem donarit, & posteà ei nascatur proles, Leg. 8. Cod. *De revocand. donat.* quia tunc donatio habet saltem ex dispositione juris hanc conditionem, *si proles non nascatur*: id etiam locum habet in eo, qui filios illegitimos, non tamen ex adulterio, procreatos habet, & eorum matrem accipit in uxorem: nam talis per hanc 446

spuriæ

spuriæ prolis legitimationem comparatur ei, cui proles supervenit; adeoque factam alicui tertio donationem revocare potest. 3tio. Si sit inofficiosa, hoc est facta contra officium pietatis debitæ liberis vel parentibus, ut quando per eam filii privantur suâ legitimâ, id est, parte hæreditatis sibi debita secundùm leges, L. 1. Cod. *De inoffic. donat.* 4to. denique, Si quid donatum sit ob causam non secutâ causâ.

447 Donatio verò facta mortis causâ in tribus casibus revocari potest. 1mo. Si donatorem illius pœniteat, sive expresè, sive etiam implicitè, ut si rem illam alteri donet; quia talis donatio ex dispositione juris habet hanc tacitam conditionem, *nisi revocetur*. 2do. Si ante donatorem moriatur donatarius, tunc donatio est ipso jure revocata, nisi donator promisisset se eam non revocaturum, nam tunc juxta multos transiret ad hæredes donatarii. 3tio. Si donator dederit intuitu instantis periculi mortis, censetur tacitè revocata donatio, sublatô periculô; quia censetur facta sub hac conditione, *si non evasero.* ex tit. *De mortis causâ donat.*

448 Cæterùm, quemadmodùm paragraphô præcedenti de promissione diximus, dolus vel error circa causam finalem donationis eam irritat. Ratio est quia donatio, sicut promissio gratuita, fit sub conditione, si nempe causa finalis subsistat, & quia causa finalis est motivum substantiale donationis, sicut & promissionis gratuitæ, quo proinde non subsistente, non subsistit actus: nam actus voluntatis, sublatô volendi motivô, nusquam est. Ergo si error sit circa causam finalem, deest tunc volitio donandi, sicut promittendi. Sic si qui falsò putans Titiam esse consanguineam, dotem ei promittat, vel donet, quia est consanguinea, hæc promissio vel donatio nulla est.

Hinc tenentur ad restitutionem 1mo. 449
Qui fingit se habere aliquam conditionem, seu qualitatem, quæ requiritur, ut quis admittatur gratis in aliquod Collegium, vel Hospitale, vel ut accipiat aliquod pium legatum. Item qui fingit se pauperem, ut gratis recipiatur in Seminarium fundatum pro pauperibus alendis: nam adest dolus & error circa causam finalem & conditionem, qua non posita nulla est intentio donandi, nec ullum jus nascitur. 2do. Qui accipit aliquid ob causam fictam. 3tio. Qui se fingit pauperem, tenetur accepta titulô eleemosynæ restituere vel donatori, quia adhuc illius sunt; nam non fuit voluntas dandi nisi vero pauperi; vel pauperibus, quia dum non constat donatorem revocasse voluntatem, censetur perseverare in priori voluntate dandi pauperi: unde tunc ejus voluntatem exequitur. Secùs si error sit solùm circa causam impulsivam, quæ nempè tantùm movet ad faciendum vel dandum promtiùs, faciliùs, non autem movet ad dandum simpliciter; quia, eâ etiam sublatâ, adhuc tamen est voluntas dandi: ut si Petro verè pauperi, sed pietatem simulanti, des eleemosynam principaliter ob paupertatem.

§. XIII.

De ultimis Voluntatibus. 450

Generatim ultimæ voluntatis nomine intelligitur *actus, quo quis legitimè statuit, quid de rebus suis post mortem suam fieri velit.* Qui actus aliud non esse intelligitur, nisi ipsa *Donatio mortis causâ*, de qua paragraphô præcedenti egimus; adeo ut Donatio hæc respectu cæterarum ultimarum volunta-

tum genus esse dignoscatur, hæ verò illius species; quamvis non ignoremus esse Jurisperitos, qui eam inter ultimæ voluntatis species collocent; qua de re hîc disputandum nobis non esse censemus, ut qui, levibus omissis, seria tractare semper aveamus.

451 Igitur quadruplicis generis seu speciei sunt ultimæ voluntates, nempe *Testamentum*, *Codicillus*, *Legatum*, & *Fideicommissum*. De quibus paucis admodùm, & quantùm Theologis f..s est, stabilitis scilicet generalibus duntaxat principiis agemus. Iis verò, qui adeò intricatæ rei hujus pleniorem notitiam desiderant, auctores sumus, ut Juris-Consultorum libros & responsa adeant & evolvant.

452 Igitur 1mo. de Testamento agendum. *Testamentum* autem, *ex eo appellatur*, inquit Justinianus Instit. lib. 2. tit. 10. *quòd testatio mentis fit*. Atque definitur, *Ultimæ voluntatis dispositio solemniter facta cum institutione hæredis*.

Dicitur 1mo. *Ultimæ voluntatis dispositio*, per quod convenit cum aliis ultimis voluntatibus.

Dicitur 2do. *Solemniter facta*, quia cùm Reipublicæ multi intersit, ut qui de rebus suis disponunt, id liberè faciant, & non ex aliena suggestione, certæ quædam Jure Civili institutæ sunt formalitates, quarum defectu nulla sunt Testamenta.

Dicitur 3tio. *Cùm hæredis institutione:* est autem hæredis institutio, nominatio successoris in universum jus testatoris; eaque institutio in Imperio Romano ita necessaria est, ut sine ea non possint stare testamenta.

Testamentum jure communi dividitur in *solemne*, in quo scilicet servantur omnes solemnitates à Jure præscriptæ; & in *privilegiatum*, quod valet, etiamsi non omnes illæ solemnitates serventur; talæ est testamentum militis (s). *Solemne* subdividitur in *scriptum* seu *clausum*, quod fit scriptô coram testibus requisitis; & in *nuncupativum* seu *apertum*, quod fit viva voce coram testibus requisitis, licèt posteà possit scripto mandari. 453

Circa solemnitates à Jure in Testamentis requisitas consuli debent leges, ac locorum consuetudines. Jure autem Cæsareo ad testamentum scriptum hæc requiruntur: 1mo. Ut hæres claris & expressis verbis instituatur, illiusque nomen propria manu testatoris scribatur; vel, si alienâ, ipse testator subscribat, & subscriptum ac involutum ostendat testibus, dicatque in eo suam ultimam voluntatem contineri. 2do. Ut adhibeantur septem testes rogati, masculi, puberes, idonei, hoc est, qui non excludantur à jure, quales sunt hæres, Filius-familias, furiosi, damnati ob crimen, &c. (t) 3tio. Ut omnes & singuli testes nomen suum subscribant propria manu, & annulô seu sigillô obsignent. 4to. Demum ut id totum in uno eodemque loco & tempore, unoque contextu peragatur. Leg. 12. Cod. *De Testam.*

Ad

(s) Illud sola voluntate perficitur. Adhuc aliud recensetur à Jurisperitis Testamentum *olographum* dictum, quod scilicet propria Testatoris manu scribitur; in quo alia solemnitas non requiritur, quàm testatoris scriptio & subscriptio.

(t) Jure Canonico tres sufficiunt testes idonei cap. *Cum esses.* tit. *De Testam* ubi expressè derogatur Juri Civili, & à lege divina, & à SS. Patrum, & à generali Ecclesiæ consuetudine alienum esse septem testes esse in Testamentorum confectione adhibendos, pronuntiat Alexander III. Quod tamen decretum Pontificium in Imperio Romano Germanico non obtinet, nisi quantùm ad pias causas.

Ad nuncupativum requiritur solùm, ut testator suam ultimam voluntatem tam circa hæredis institutionem, quàm circa Legata coram septem testibus, masculis, liberis, puberibus, & ad id vocatis, declaret, distincta voce, & tali, ut possit audiri.

Testator autem tenetur hæredes instituere in portione legitima descendentes, & his deficientibus ascendentes, in recta scilicet linea, nisi justam exhæredandi causam habeat: undè hi dicuntur hæredes necessarii, §. 5. Instit.. *De exhared. lib.*

454 Testari verò non possunt, 1mo. Qui carent usu rationis, ut infantes, & perpetuò amentes. 2do. Filius-familias: si tamen pubes sit, potest testari de bonis castrensibus, & quasi castrensibus ad quaslibet causas, & de adventitiis ad pias causas, sed cum patris consensu, ex cap. 4. *De sepult. in 6.* 3tio. Testari non potest servus. 4to. Religiosi solemniter professi. 5to. Prodigi post interdictam administrationem. 6to. Qui commiserunt aliquod crimen, cui jure annexa est talis pœna, & morte damnati. 7mo. Clerici de bonis Ecclesiasticis, cap. 9. *De testam.* In multis tamen locis, imò in tota ferè Germania est contraria consuetudo, sed semper tenentur de iis in pias causas disponere: nam juxta communem sententiam tenentur jure divino naturali ea bona toto vitæ tempore sic impendere. Quare nulla consuetudo, nec potestas humana potest eos excusare vel dispensare.

455 Quæri hîc solet an Testamentum sine requisitis solemnitatibus confectum, in quo tamen constat de Testatoris voluntate, in foro conscientiæ validum sit, atque hæredes illud exequi legata solvendo, &c. teneantur?

Profectò si agatur de testamento condito in iis Regnis & provinciis, quæ Jure Cæsareo reguntur, ut in Germania nostra, una est Theologorum sententia, legata ad pias causas ab hæredibus esse præstanda, etsi testamentum præscriptis Jure Cæsareo solemnitatibus destituatur; modò tribus aut duobus legitimis testibus nitatur. Hoc expressè declaratur ab Alexandro III. lib. 3. tit. 26. *de testam.* cap. 11. *Relatum:* ubi: *Mandamus*, inquit, *quatenùs cùm aliqua causa talis* (de relictis Ecclesiæ loquitur) *ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundùm leges, sed secundùm Decretorum statuta tractetis, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis; quoniam scriptum est: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Quæ quidem Pontificis responsio, licèt Judicibus Velletrensibus Romano Pontifici subditis directa, tamen ubi viget Jus Cæsareum, obtinuit auctoritatem in legatis piis in foro tam externo quàm interno, partim tacito Principum consensu pietatis intuitu annuentium; partim Jurisconsultorum & Theologorum frequenti calculô; partim ipso usu Ecclesiasticorum Judicum. Rationes hujus sententiæ sunt: 1ma. Ex ipsius Juris Cæsarei & ambiguitate & difficultate repetitur: Ex Ambiguitate quidem; quia jam à multis sæculis doctissimi viri dubitant, num solemnitates Jure Civili & Cæsareo præscriptæ ad testamenti validitatem spectent, an solummodò ad probationem in foro externo perficiendam, tùm quia ipsæ leges Cæsareæ jubent aliquando præstari legatum, ubi eæ solemnitates desunt, si hæres de testatoris voluntate conveniat, *Leg. 2. Instit. Tit. 23. §. ult.* Et Leg. *Quæstionem*, Cod. *De testam.* tùm quia eas sæpè prætermitti sinunt; ut in Testamento inter liberos, eod. tit. Leg. *Hac consultissima*, in fine. Et in testamento militis, Cod. *De testamento militis.* Unde sequi videtur peritissimis

mis viris leges Cæſareas in hac parte ſola niti præſumptione fraudis, proindeque non habere locum, ubi de voluntate teſtatoris aliter conſtat. Ex difficultate autem eas omnes juris ſubtilitates & addiſcendi, & in uſum revocandi, quam nemo prudens non ſentit; teſtamenti verò, maximè in piis legatis, notitiam & uſum perfaciIem eſſe oportere ratio docet. Secunda ratio eſt, quia legatum ad pias cauſas non minùs favorabiliter excipi debet, quàm teſtamentum militis, quod valet absque iis formalitatibus, quæ à Jure præſcribuntur. Ergo à fortiori valere debet teſtamentum ad pias cauſas. Tertia ratio ſumitur ex ipſa piorum legatorum natura, quæ non debent cenſeri gratuitæ donationes, ſed remedia quædam ad teſtatoris ſalutem veluti neceſſaria; ſæpè etiam ſunt reſtitutiones ex juſtitia debitæ, & à Conſeſſario præſcriptæ. Hæc pro modulo noſtro & inſtituto de Teſtamentis dicta ſunto: modò de reliquis ultimis voluntatibus, *Codicillis*, nempè, *Legatis*, & *Fideicommiſſis* pauca ſubjungimus.

456 *Codicillus* eſt ſcriptura continens ultimæ voluntatis diſpoſitionem circa ea, quæ quis vult fieri poſt mortem citra hæredis inſtitutionem. Adhibetur ad legata ac fidei commiſſa relinquenda, vel ad aliquid explicandum aut mutandum circa teſtamentum. Ad ejus valorem non requiritur ſolemnitas, undè in eo ſufficiunt quinque teſtas, etiam non rogati, nec vocati; neque etiam requiritur, ut teſtator manu propria ſubſcribat.

457 *Legatum* eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio, qua teſtator particulare donum ab hæreditate ſelectum directis verbis alicui relinquit. Sumitur etiam pro ipſo dono ſic relicto.

Fideicommiſſum non differt à Legato, niſi quòd in Fideicommiſſo verba dirigantur ad hæredem, ut aliquid donet tertio, v. g. *Volo hæredem meum ſolvere centum nummos Titio;* in Legato verò verba ad ipſum Legatarium diriguntur, ut, *Lego centum nummos Titio*. 458

Legatum ſicut & Fideicommiſſum duplex eſt, *particulare* ſcilicet, & *univerſale*. *Particulare* eſt, cùm alicui deſignatum aliquod bonum legatur, ut ſumma pecuniæ, tabella, villa. *Univerſale* verò, cùm aliquis bona omnia ſua legat, aut omnium bonorum partem, ut mediam, quartam, &c. Aut hæredis fidei committit alteri tradenda. 459

Jus Cæſareum concedit Fideicommiſſario quartam partem hæreditatis, quæ *Trebellianica* dicitur à Jure-conſulto Trebelliano, ne inutiliter hæreditatem adierit. 460

Similiter eodem Jure Romano à Legato univerſali detrahitur quarta pars, quæ cedit hæredibus, *Falcidia* dicta à Falcidio Tribuno plebis, quòd ipſe primus eam invexerit. Hæc lex nullatenùs differt à Trebellianica, niſi quòd iſta de Fideicommiſſis dicatur, *Falcidia* verò de Legatis, vi cujus, non attentis teſtatoris legatis, hæredes quarta parte hæreditatis nunquam privari poſſint, adeò ut cum diſpendio hujus quartæ partis legata, quibus fortè oneratum eſſet teſtamentum, ſolvere non teneantur.

At circa legata ad pias cauſas notandum, quòd non modò debeantur etiam non adita, id eſt, nec dictô nec factô acceptata hæreditate, ſed etiam immunia ſint à detractione falcidiæ.

Circa

461 Circa Fideicommissum quæri solet à Theologis, an valeat in foro conscientiæ in favorem ejus, qui per leges non potest hæres vel legatarius institui? Ad quod communiter respondent, Et testatorem & eum, qui talis dispositionis executionem promittit mortaliter peccare: quia violant legem justam, quæ id graviter prohibet. Hinc S. Hieronymus Ep. ad Nepotianum ait: *Per Fidei-commissa legibus illudimus.* Legatumque illud sive à Fideicommissario, sive ab iis, in quorum favorem relictum erat, legitimis hæredibus restitui debet, quia nec pertinet ad Fidei-commissarium, cui donatum non fuit; nec ad uxorem defuncti v. g. aut filium spurium, in iis Consuetudinibus, quæ hujusmodi personas ad hæc legata inhabiles esse decernunt.

462 Denique quinam & quibusnam legare valeant, colligi potest ex iis, quæ tùm de donatione, tùm reliquis ultimæ voluntatis speciebus elocuti sumus, utrobique enim par videtur esse ratio. Cætera, quæ hìc tùm de legatis, tùm aliis ultimis voluntatibus, differi possent ac deberent, investiganda sunt in Utriusque Juris peritorum libris & responsionibus. Hæc pro instituti nostri ratione dicta nobis sufficiant.

CAPUT IV.

463 *De Virtutibus justitiæ annexis.*

IN Ethica nostra seu Philosophia morali cap. 2. §. 3. virtutes justitiæ annexas seu, ut easdem cum Scholasticis ibidem nuncupavimus, partes justitiæ potentiales duodecim imò tredecim omninò recensuimus; nempe Religionem, Pietatem, Observantiam, Veritatem, Gratitudinem, Vindicationem, Liberalitatem, Amicitiam, Affabilitatem, Humanitatem, Comitatem, & Hospitalitatem. Quibus à Theologis junguntur Obedientia, prout ibidem in nota adnotavimus, & Pœnitentia. De Religione speciali Tractatu sufficienter egimus: De Pœnitentia autem differemus ubi de Sacramentis. De reliquis verò non est, quod iis, quæ circa illas in nostra Ethica cit. loc. disseruimus quidquam addamus; pauca duntaxat tùm de Obedientia, tùm de Veritate eique opposito mendacio hìc dicere animus est.

Porro recensitæ virtutes ideò ad virtutem Justitiæ reducuntur, quia naturam rationalem inclinant ad actus, qui sunt ad alterum, quod de ratione Justitiæ est, ut quæ essentialiter & propriè non nisi ad alterum fit, prout patet ex iis, quæ suprà cap. 1. annotavimus.

Obedientia igitur generatim definiri 464 potest *virtus, qua quis voluntati Superioris se accommodat.* Duplex est Strictè & propriè sumpta, & minùs strictè seu latè accepta. Strictè sumpta dici potest *Virtus inclinans ad observanda Superiorum præcepta.* Ea iterum duplex est, *Generalis* nempè & *Specialis.* Generalis est *Virtus inclinans ad observandum quodvis præceptum ex quovis motivo bono:* & sic obedire pertinet ad quamlibet virtutem, ex cujus motivo mandatum servatur. Ei opponitur inobedientia generalis, quæ est *vitium generale consistens in cujusvis præcepti violatione ex quovis motivo;* ideoque est peccatum mortale in re gravi, veniale in levi, & includitur in omni peccato tanquam ratio generica.

Specialis verò est *Virtus inclinans subditum ad exequenda præcepta Superiorum, quia præcepta sunt.* Ei opponitur inobedientia formalis, quæ est *violatio præcepti, quia præceptum est:* unde semper est mortalis, etiam in re levi; quia est contemptus præcepti, ac potestatis præcipiendi; nam nolle obedire præcepto, eò quòd præceptum sit, est illud contemnere, & simul potestatem, undè manat.

Obedientia autem latè seu minùs strictè sumpta est *virtus, qua quis voluntati Superioris se accommodat, sive præcipiat sive non;* prout in Ethica nostra cit. loc. diximus.

464 Veritas, sive, ut alii loquuntur, *Veracitas* est, prout ibidem eam descripsimus, *Virtus, qua damus operam, ne quid à nobis aliter enuntietur, quàm sit, vel fuerit, vel futurum sit.* Seu breviùs, est *virtus qua inclinamur ad semper loquendum conformiter menti nostra:* undè facit ut rectè utamur signis ordinatis ad mentem nostram alteri patefaciendam. Ei opponitur mendacium, quod est *locutio contra mentem.* Circa illud duo hîc nobis sunt resolvenda, 1mo. An omne mendacium sit intrinsecè malum. 2do. An aliquando liceat uti æquivocatione, vel restrictione mentali, ut vocant. Sit igitur

465 CONCLUSIO. I.

Omne mendacium est intrinsecè & per se malum.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura, quæ illud omninò prohibet. Eccli. 7. *Noli velle mentiri omne mendacium; assiduitas enim illius non est bona.* Prov. 13. *Verbum mendax justus detestabitur.* Colloss. 3. *Nolite mentiri invicem.* Ephes. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem* (u).

Prob. 2do. ex SS. Patribus, pro omnibus sufficiat S. Augustinus, qui librô de mendacio mendacium nunquam esse licitum, atque intrinsecè malum asserit. Item Alexander Papa III. cap. 4. *de usuris.* Ubi ait, quòd *Scriptura sacra probibeat pro alterius vita mentiri.*

Prob. 3tio. Ratione. Illud est intrinsecè malum, quod in se & intrinsecè continet aliquam inordinationem. Atqui mendacium in se continet aliquam inordinationem; nam pervertit naturalem institutionem & finem locutionis ad hoc hominibus concessæ, ut possint inter se communicare sensus suos: ac proindè per se evertit communicationem cum hominibus, & commercium vitæ socialis; estque deceptivum proximi. Ergo mendacium est intrinsecè & per se malum.

Idem dicendum de simulatione, nam 466
est verè & propriè mendacium in facto, mendacium enim, ut jam diximus, est locutio contra mentem. Per locutionem autem intelligitur actuum internorum significatio per quævis signa mentis significativa, sive sint verba, sive facta, gestus, nutus, sive scriptura, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 111. a. 1. ubi his verbis concludit: *Undè simulatio propriè est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Non refert autem, utrùm aliquis mentiatur verbô, vel quocumque alio factô. Unde cùm*

(u) Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Et Psal. 5. *Perdet omnes, qui loquuntur mendacium.*

cùm omne mendacium sit peccatum, consequens est etiam, quòd omnis simulatio sit peccatum. Undè etiam S. Augustinus *lib. de mendacio cap.* 3. ait: *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat.*

466 Non tamen dicendum omne mendacium, quamvis intrinsecè malum sit, esse mortale. Nam, ut docet idem S. Augustinus in Psal. 5. Mendacium, quod nec proximum, nec Dei honorem graviter lædit, nec scandalum parit, nec est contra bonos mores, ut est mendacium merè jocosum, vel officiosum, veniale tantùm est. At mendacium perniciosum, quod graviter lædit bonum proximi, vel honorem Dei, aut grave scandalum parit, est mortale. Ratio est; quia graviter repugnat Charitati Dei, vel proximi, aut etiam Justitiæ, vel Religioni: tale est omne mendacium contra Fidem, Religionem, vel bonos mores, in judicio, testimoniis, juramentis, contractibus, detractione gravi, &c.

Equidem non ignoramus, quòd quidam ex antiquis Patribus, ipseque S. Hieronymus, censuisse videantur, leviter mentiri, in gratiam majoris alicujus boni, ne quidem veniale peccatum esse. At vel benignè in hoc sunt interpretandi Patres isti; vel deserendi. Nam Scriptura, SS. Patres, Summi Pontifices, Ratioque ipsa docent omne mendacium esse peccatum.

467 Modò expedienda & solvenda venit difficultas de Amphibologia seu æquivocatione, & restrictione &c; an videlicet eâ uti quandoque liceat.

Amphibologia vox græca, idem latinè est ac *æquivocatio*, atque dicitur *sermo ambiguus*, seu *locutio habens sensum duplicem*: ut v. g. istud Oraculi responsum, *Crœsus Halin penetrans magnam pervertet opum vim*: ambiguum est enim ex hoc Oraculo, an Crœsus fluvium Halin superans hostium opes subversurus sit, an verò propriarum opum jacturam facturus. Duplex est; alia *determinabilis exteriùs*, & *latè* dicta, cujus scilicet sensus verus à proferente intellectus potest per se cognosci ex circumstantiis aut indiciis exterioribus: alia *non determinabilis*, & *strictè* dicta, cujus sensus à loquente intellectus non potest ullatenùs deprehendi.

Restrictio mentalis seu *tacita*, est *mentis conceptus, quo verba exteriùs prolata ad alium, quàm quem præ se ferunt, sensum ab ipso loquente restringuntur*: ut si quis ei, qui mutuum petit, respondeat, exteriùs, *Non habeo pecuniam*, subaudiendo interiùs, *quam tibi dare velim.* 468

Duplex etiam est; una *strictè*, altera *latè mentalis* vocatur. Prima residet in sola mente, nec ullatenùs verbis, signis, aut aliis circumstantiis exteriùs manifestatur: Altera, vel ex modo loquendi, vel ex circumstantiis, vel ex consuetudine deprehendi potest & percipi ab audiente.

Fatentur nunc omnes, nunquam licitum esse sine justa causa uti restrictione etiam latè mentali, nec æquivocatione exteriùs determinabili. Ratio est, quia id nocet humanæ societati, & fini, ad quem verborum significatio & ipsa locutio fuit instituta; quandoquidem soleant homines verba, ut sonant, accipere, ubi non adest causa aliter accipiendi. Hinc S. Gregorius lib. 25. Moral. cap. 7. *Apud homines*, inquit, *cor ex verbis, apud Deum verò verba*

pensantur ex corde. His ita præmissis, fit

469 CONCLUSIO II.

Nunquam licet uti æquivocatione exteriùs non determinabili, nec restrictione strictè seu purè mentali.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Psal. 14. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? . . . Qui loquitur veritatem in corde suo . . . . qui jurat proximo suo, & non decipit.* Psal. 23. *Quis ascendet in montem Domini? . . . . qui non juravit in dolo proximo suo.* Sed qui jurat seu loquitur cum amphibologia & restrictione, proximum decipit, & jurat in dolo, ergo mendax est & perjurus, *cùm perjurium*, adeoque & mendacium, sit *nequiter decipere credentem*, Can. 1. Cauf. 22. q. 2. Eccli. 38. *Qui sophisticè loquitur odibilis est.* Atqui qui utitur amphibologiâ aut restrictione purè mentali sophisticam, id est ad decipiendum compositam locutionem adhibet, ut patet, Ergo.

470 Prob. 2do. Ex Patribus. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 38. *Justa*, inquit, *& digna præscriptio est, in omni quæstione ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis; cæterùm aliud consulenti, aliud respondere dementis est.* Sed qui æquivocatione & restrictionibus utitur, non respondet ad sensum interrogationis, sed aliud interrogatur, aliud respondet. Ergo.

Sanct. Augustinus Enchirid. cap. 22. *Verba*, inquit, *propterea sunt instituta, non per quæ invicem homines fallant; sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt; peccatum est.* Atqui qui amphibologiâ & restrictione purè mentali utitur in verbis, id facit, ut alterum fallat, & ne in ejus notitiam cogitationes suas perferat, adeoque utitur verbis ad fallaciam. Ergo. Item Ep. 125. aliàs 224. *Perjuri sunt*, inquit, *qui servatis verbis expectationem eorum, quibus jurandum est, deceperint.* Atqui expectationem hanc decipiunt, qui amphibologias exteriùs non determinabiles, aut restrictiones purè mentales adhibent, atque ita ambiguè jurant & loquuntur, ut aliud ipsi sentiant, aliud verò ab aliis intelligi velint. Ergo sunt perjuri & mendaces.

Denique, ut cætera brevitatis gratiâ omittamus, idem S. Doctor lib. contra mendacium cap. 18. hunc sibi casum proponit: *Ecce gravi morbô periclitatur ægrotus, cujus jam vires ferre non possint, si ei mortuus unicus & charissimus filius nuntietur; à te quærit, an vivat, quem vitam finiisse tu nosti. Quid respondebis? quando quidquid aliud dixeris, præter unum de tribus, aut mortuus est, aut vivit, aut nescio, nihil aliud credit ille quàm mortuum . . . . Ex illis autem tribus duo falsa sunt, vivit, & nescio; nec abs te dici possunt nisi mentiendo. Illud autem unum verum, id est, mortuum esse si dixeris, & perturbati hominis mors fuerit subsecuta, abs te occisus esse clamabitur. . . . Non me movet . . . . quòd, nobis mentiri nolentibus, & hominibus verô auditâ morientibus, homicida dicatur veritas.* Atqui si S. Augustinus licitum credidisset restrictionis mentalis usum, saltem in casu tàm perplexo, in quo agitur de impedienda hominis morte, non dixisset, *ex tribus illis duo esse falsa, vivit & nescio, nec dici posse nisi mentiendo.* Jam enim falsa non essent, nec mendacia, si sine mendacio, & falsitate dici possent cum restrictione mentali;

tali; verè enim diceretur moribundo patri, *vivit filius tuus*, intelligendo *secundùm animam*; vel diceretur *nescio*, subaudiendo, *ut tibi dicam*. Ergo.

471 Prob. 3tio. Ex censura adversùs sequentes propositiones lata ab Innocentio XI. annò 1679. Prima, quæ est inter damnatas 26ta. sic habet: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria spontè, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus.* Secunda, quæ est 27ma. inter proscriptas sic exprimitur: *Causa justa utendi bis amphibologiis, est, quoties id necessarium est aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium actum virtutis, &c.* Tertia quæ est numerô 28va. sic sonat: *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus exigi solet* (scilicet nulla mediante commendatione, nullo munere ad illud officium ipsum pervenisse) *non habito respectu ad intentionem exigentis.*

472 Prob. 4to. Rationibus. 1mo. Quod per se deceptivum est proximi, & contra naturalem institutionem ac finem locutionis & signorum ordinatorum ad exprimendos conceptus mentis; id per se malum est & inordinatum; adeoque peccatum & illicitum. Atqui hujusmodi est æquivocatio exterius non determinabilis & restrictio pure mentalis. Ergo. 2do. Quod externum sermonem non corrigit, efficere non potest, ut qui loquitur non sit mendax respectu illius, qui audit. Atqui amphibologia exteriùs non determinabilis & restrictio purè mentalis sermonem externum non corrigit. Ergo etiam efficere non potest, ut qui loquitur non sit mendax respectu illius, qui audit, adeoque ut non peccet. 3tio. Mendacium in nullo casu licitum esse potest, ut præcedenti conclusione ostendimus, atque omnes fatentur. Atqui restrictiones purè mentales seu æquivocationes exteriùs non determinabiles vera sunt mendacia. Nam juxta S. Augustinum suprà citatum lib. de mendacio cap. 3. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo & aliud verbis... enuntiat*, & qui hujusmodi æquivocationibus & restrictionibus utitur aliud habet in animo, &c. imò non utitur restrictionibus, nisi ut alter aliud concipiat, quam ipsemet concipit. Ergo. 4to. Illud nunquam licet, quod non minùs Societati humanæ, & vocum institutioni adversatur, quàm ipsummet mendacium. Atqui amphibologiæ & restrictiones hujusmodi non minùs adversantur, &c. quàm ipsummet mendacium: an non enim æquè me fallit, qui dicit, *Non habeo pecuniam*, subintelligens tibi dandam, quam qui rotundè & palam dicit, *Non habeo pecuniam.* Et verò si hujusmodi amphibologiæ & restrictiones licitæ forent, profectò illarum usu tolleretur sermonum certitudo, nemo enim unquam certus esset de fide & mente alterius, omnibusque dolis pateret aditus; & sic everteretur auctoritas testimonii humani, & fides humana, ideoque & commercium inter homines corrueret.

Solvuntur Objectiones *Contra secundam Conclusionem.* 473

Ob. 1mo. multi Scripturæ textus, qui declarare videntur, viros Sanctissimos, imò Christum ipsum, *qui peccatum*

 tum

tum non fecit, amphibologiis restrictionibusque purè mentalibus, Deo non improbante, usos esse. Ac quidem 1mo. Genes. 12. vers. 11. Abraham voluit ut Sara uxor sua sororem suam se diceret, idque crediderunt Ægyptii. Idem fecit Isaac Genes. 26. dixitque interrogantibus Ægyptiis uxorem suam esse sororem suam. 2do. Genes. 27. Jacob patrem suum induxit, ut crederet eum Esau primogenitum suum, *Ego sum primogenitus tuus Esau.* 3tio. Christus ipse Marci 13. interrogatus à Discipulis de die Judicii respondet v. 32. *De die illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi pater.* Quæ propositio vera non est, nisi cum restrictione mentali, ita ut filius hominis nesciat Judicii diem ***ad prodendum***, id est aliis manifestandum. 4to. Joannis 7. v. 8. ***Vos***, ait Christus ad fratres suos, *ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo*, ubi subauditur *vobiscum*, vel *manifestè*, prout posteà factum est. 5to. Joan. 11. v. eod. ait Christus: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut excitem eum à somno.* Atqui hæc propositio æquivoca est, & sciebat Christus eam aliter à suis Discipulis intelligendam esse, ac ipse intelligeret. Dixerat enim JEsus de morte ipsius; illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret. 6to. Joan. 20. vers. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, inquit iterum JEsus ad Judæos, qui hoc de Templo Jerosolymitano intellexerunt, Christus verò de suo corpore. Ergo &c.

Resp. 1mo. Ex rebus adeò sublimibus & Propheticè gestis nihil colligi potest in gratiam eorum, quæ in usu quotidiano & commercio civili contingere solent; & *quæ mysticè, propheticè, parabolicè, sive æconomicè, ad insinuandam altiùs veritatem dicta vel tacita sunt in Scripturis sacris, cum vulgaribus gestis non sunt confundenda*, inquiebat annô 1700. Clerus Gallicanus.

Resp. 2do. Ex facto Abrahæ, Isaac, & Jacob nihil firmi concludi potest, quia certum non est eos non peccasse, & ab omni etiam veniali mendacio immunes fuisse. Aliqui quidem Patres eos nihil hîc mali admisisse contendunt, alii verò eos plùs aut minùs deliquisse putant; & cùm hæc horum Patriarcharum facta Scriptura referat, indè non sequitur ea Deo haud improbante facta esse. Vide quæ hac de re diximus in Tract. 1. Theol. nost. De S. Script. part. 2. cap. 1.

Quantùm ad textus ex Evangelio desumptos negamus, ex iis quidquam colligi posse, quod amphibologiis aut restrictionibus mentalibus faveat. Quod Marci 13. dicat Christus se nescire Judicii diem, dicendum, cum agmine Patrum, & S. Augustino, Christum nescire diem Judicii, quia non expediebat, ut eam discipulis suis manifestaret; prout cit. Tract. de S. Scriptura jam adnotavimus. In hoc autem ne umbra quidem erat restrictionis mentalis, quia horumce verborum sensum statim intelligere debuerunt Apostoli, utpotè quibus perspectum esset, nihil esse, quod Christum lateret; quemadmodùm cùm dixit Deus ad Abraham Genes. 22. v. 12. *Nunc cognovi, quòd times Deum*, statim sentire debuit Patriarcha ille, non tunc tantùm, sed semper notum Deo fuisse amorem, quo ipsum prosequebatur. 474

Ad id quod objicitur ex Joan. 7. 1mo. Aliud est dicere *non ascendo*; aliud *non ascendam*. Primum dixit Christus, qui re ipsa non ascendit cum fratribus suis, imò nec fortè ascendit ad primos festi dies, ùt colligitur ex v. 11. & 14.

At Secundum non dixit. 2do. Græci Codices penè omnes legunt, *nondum ascendo*; Arabicus legit, *nunc non ascendo*; Codex Donatiani, item Codex Constantiensis, ac vetustum exemplar Lovaniense, legebant, *ego enim nondum ascendam*, ut notat Erasmus: indè verò nihil contra nos.

Nihilô validius est argumentum, quod desumitur ex Joan. 2. Christus enim dicendo *Templum hoc*, corpus suum aliquo signo, ut manu ad pectus admota demonstrabat, ut notant Cornelius à Lapide, Toletus, Ludovicus Capellus, & alii.

Quod spectat ad verba Christi de Lazaro, 1mo. Nihil à consueto & familiari Judæis sermone recessit Christus, quia Hebræi mortem dormitionis & somni nomine exprimere solebant; hinc illud toties repetitum in Scripturis, *Dormivit cum patribus suis &c.* idque facilè intelligere debebant Apostoli, qui Christum audierant somni vocabulô uti ad significandam mortem, Matth. 9. 2do. Usque adeò clara erant Christi verba, ut mirum sit hìc aberrasse Discipulos: an enim probabile videri poterat, Christum confecturum esse longum & periculosum iter, ut hominem à communi somno excitaret? 3tio. Statim ut sensit Christus, verba sua ab Apostolis non intelligi eo, quo dicebat, sensu, mentem suam aperuit: *Tunc ergo dixit JEsus manifestè, Lazarus mortuus est.* Sanè non absumus, quin, ubi justa causa intercesserit, hujusmodi æquivocationibus, quæ exemplô Christi statim explicentur, uti liceat. Nec refert, quòd Christus, antequam ita obscurè loqueretur, sciverit verba sua alio, quàm intenderet, sensu, ab Apostolis intelligenda esse: multa enim dixit Christus, quæ malè, vel minùs benè interpretanda esse noverat, à quibus tamen propter audientium malitiam vel tarditatem abstinere non debuit, quia si audientibus profutura non erant, saltem alii ex iis compendium facturi erant.

Ob. 2do. Doctrina, quæ restrictiones mentales prohibet innumera invehit incommoda. Nam e. g. ex ea sequitur 1mo. Confessarium interrogatum de crimine, quod in confessione audivit, peccare, si respondeat, se nihil de hac re audivisse. 2do. Peccare eum, qui cùm extraneas, à quibus visitatur, personas, recipere non potest, præcipit famulis, ut dicant, eum domo exiisse, subintelligendo *manè* vel *heri*. 3tio. Innocentem, qui morte damnandus est, non posse negare se fuisse in tali loco, ubi erat cadaver, tali noctis horâ, subaudiendo, se hìc non fuisse, ut occideret. 4to. Eum, à quo repetitur certa summa, quam jam solvit, quique ad hanc iterum solvendam damnabitur, non posse uti æquivocatione, cujus ope elabatur, dicendo v. g. se mutuum non accepisse, intelligendo, se non accepisse ad mentem Judicis, qui non interrogat de mutuo simpliciter, sed de mutuo, quod adhuc restituendum sit. Ergo, &c. 475

Resp. 1mo. Doctrina, quæ mendacia officiosa prohibet, pluribus etiam incommodis obnoxia est, nec ideo tamen admitti debet.

Resp. 2do. ad singula incommoda in Objectione recensita. Ad 1mum. Confessarius vel interrogatur ab homine, qui Confessionis sigillum rangere nolit, vel ab homine, qui ita impius sit, ut de iis etiam interroget, quæ in confessione audiri potuerint. Si primum, quod quidem inter Catholicos supponi debet, negare potest, & debet Confessarius, se quidquam de tali crimine audivisse, neque id negando mentietur; quia neque interrogatio, neque responsio attingunt

tingunt res, quæ ex ſola confeſſione cognoſcuntur. Si ſecundum, Confeſſarius hoc unum reſpondere debet, nimirum impiam eſſe hanc interrogationem, ſeque nihil reſpondere poſſe, ſive pœnitens crimen, de quo agitur, fecerit, ſive non (*x*).


Ad 2dum. Inter viros probos uſu communi & omnibus noto receptum eſt, ut hæc verba, *Dominus domi non adeſt*, hoc ſolùm ſignificent, eos actu videri non poſſe. Quòd ſi hoc receptum non eſſet, mentirentur tùm Domini, tùm famuli, qui Dominos adeſſe negant.

Ad 3tium. Homo mori potiùs debet, quàm mentiri; mentiretur autem, qui diceret ſe tali horâ, tali in loco non fuiſſe, quia uteretur reſtrictione purè mentali, quam Judex ex nulla circumſtantia detegere poteſt.

Ad 4tum. Idem dicendum videtur; quia talis non interrogatur an mutuum reddiderit, ſed an acceperit; cùm autem negat ſe illud recepiſſe, nulla eſt circumſtantia, quæ reſtrictionem ejus aliqualiter Judici manifeſtet.


Quod ſpectat ad reſtrictiones, quæ 476
latè mentales dicuntur, negant communiter Theologi eas, ſi ex juſta cauſa adhibeantur, eſſe illicitas, quia vel ex conſuetudine, vel modô loquendi, vel ex circumſtantiis obſervari poſſunt; undè non impediunt, quominùs ſermo exterior, attentis omnibus circumſtantiis, omninò verus ſit, & cum animo conſentiat. *Aliud enim eſt mentiri*, inquit S. Auguſtinus in Pſal 5. *aliud verum occultare;* nam *quamvis omnis*, ait idem S. Doctor lib. contra mendacium cap. 10. *qui mentitur, velit celare, quod verum eſt, non tamen omnis, qui vult quod verum eſt celare, mentitur.* Et S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 4. ad 4. *Licet*, inquit, *veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione.* Aliud eſt enim verum celare, & aliud falſum ſignificare. Hìc tantùm cavendum eſt, ne in praxi nimia hujuſmodi reſtrictionibus detur extenſio, & ne latè mentales dicantur, quæ ſunt purè & ſtrictè mentales.

(*x*) Caſus iſte in noſtra Germania locum habere non poteſt; ubi viri Eccleſiaſtici, præſertim in hujuſmodi rebus & cauſis impunè non parent ſæcularibus Judicibus: Et ſanè talem Judicem hujuſmodi à Confeſſario quærentem, longè ipſe à ſe abigeret.



APPEN-

APPENDIX
DE
VITIIS ET PECCATIS
VIRTUTI JUSTITIÆ OPPOSITIS,
SEU
DE INJUSTITIIS VEL INJURIIS, AC
RESTITUTIONE EASDEM NECESSARIO
CONSEQUENTE.



APPENDIX

477 *De vitiis & peccatis virtuti Justitiæ oppositis, seu de injustitiis vel injuriis, ac restitutione easdem necessariò consequente.*

PROOEMIUM.

Quamvis materia de vitiis & peccatis virtuti Justitiæ oppositis, injuriis nempe seu injustitiis, propriè ad Tractatum de Peccatis, ad quem vitia & peccata cæteris virtutibus opposita etiamnum reservavimus, spectare videatur; tamen de iis hîc per modum Appendicis agere consultum duximus; tùm quia de Restitutione, quæ propriè ad Tractatum de Justitia, cujus pars est, pertinet, nullatenus differi potest, quin simul de vitiis, quæ eam pariunt, sermo instituatur; tùm quia, si de ea, præter eum, quem postulat ordinem, unâ cum vitiis, quæ ipsa necessariò consequitur, primùm in Tractatu de peccatis agere in animum nostrum induceremus, Tractatus ille, qui cæterorum vitiorum expositione jam satis amplus futurus est, in immensum cresceret, ac proinde æquô prolixior evaderet. Commodius igitur nobis visum est hîc de injuriis seu injustitiis, atque Restitutione agere.

Injustitiæ nomen autem vel latè sumitur, scilicet pro omnis legis violatione, quo sensu peccatores cujuscumque generis sæpè in Scriptura Sacra vocantur injusti: vel strictè & propriè, prout nempe opponitur justitiæ strictè sumptæ, de qua in præsenti Tractatu locuti sumus; quæ Injustitia, si consideretur, ut actus, definiri potest *voluntaria juris alieni violatio:* . sicut enim per actum justitiæ jus suum alteri tribuitur, ita per actum injustitiæ hoc jus violatur. Si verò Injustitia consideretur ut habitus, definiri solet, *Prava voluntatis dispositio, ex actibus injuriosis orta, & ad similes actus inclinans.* In patiente injustitiam dicitur *injuria*, in faciente verò *injustitia.*

tia. Verùm definitioni Injustitiæ ut actus est, potissimùm insistimus, utpotè ex qua sæpiùs frequentata primùm nascatur habitus illius.

Dicitur ergo 1mo. *Voluntaria*, quia si omninò & invincibiliter involuntaria fit, nequaquam Injustitia dici potest; undè qui ex tali ignorantia quidpiam, quod per se injustum est, agit, non ideo injustus dicendus est; injustus enim dici non potest, nisi qui injustè agit, injustè autem non agit, cui injuria nullo modo est volita.

Dicitur 2do. *Juris alieni violatio*. Quo habetur, quòd volentis jus non violetur, id est, quòd volenti non possit fieri injuria juxta receptam regulam 27. Juris in 6. *Scienti & consentienti non fit injuria*. Quia ille solùm injuriam pati potest, cujus jus violatur, ut patet ex allata definitione. Atqui violari non potest jus alterius nisi nolentis, vel explicitè, si sciat; vel implicitè, si nesciat, & ita sit affectus, ut, si sciret, expresè nollet. Item quia hominis jure suo cedentis jus non violatur. Atqui qui vult &c. cedit jure suo.

Attamen ut talis injuriam non pati dicatur, oportet ut plenè consentiat; nemo enim negat, quin consentienti ex dolo, vi, vel metu injustè incusso; vel ex necessitate aliqua, ut qui sub usuris mutuo accipit, vera fiat injuria: quia ad tollendam injuriam non sufficit quælibet juris cessio, sed ea solùm quæ injustæ coactionis, doli, & omnis involuntarii expers fuerit: alioqui posset aliquis ex iniquitate & dolo commodum reportare; quod falsum est, quia ex communi regula nemini fraus & dolus patrocinantur. Ex his etiam colligitur 1mo. Usurarium strictam inferre mutuatario injuriam, etsi hic enim sciens & volens usuras solvat, non tamen ita volens jure suo cedit, ut non potiùs cuperet jus suum, si posset, servare illæsum.

Colligitur 2do. eum etiam pupillo injuriam inferre, qui etsi volenti quidpiam aufert; quia pupillus, quamdiu est sub tutore est moraliter non volens; quia secundùm leges non potest cedere jure suo, & ita fit ei injuria, quando ab eo etiam physicè consentiente, aliquid aufertur. 3tio. Martyres à persecutoribus & tortoribus suis verè injuriam passos esse; quia quamvis volentes respectu Dei, propter quem pati se gaudebant; non tamen erant volentes respectu persecutorum, nec iis ullum in se ipsos jus tribuebant, nec tribuere poterant, cùm ne ipsi quidem propriæ vitæ aut membrorum dominium haberent; sed respectu eorum permissivè duntaxat se habebant: unde retinent actionem injuriarum, quas passi sunt, ut patet ex Sap. 5. vers. 1. *Stabunt justi in magna constantia adversùs eos, qui se angustiaverunt*.

Ex data Injustitiæ definitione etiam facile habetur quodnam sit illius Objectum, cùm enim oppositorum oppositæ sint rationes, Justitia autem versetur circa jus alterius prout servatur adæqualitatem, hinc è contrà Injustitia circa idem jus alterius, prout violatur versari dignoscitur. 478

Undè etiam Injustitia totidem modis dividi potest, quot modis Justitia. Adeoque Injustitia alia est contra Justitiam generalem, alia contra Justitiam particularem. Sed ratione materiæ triplex potissimùm distinguitur injustitia, pro triplici genere damnorum, quæ proximo inferri possunt in bonis animæ, corporis, & in iis, quæ externa dicuntur, seu famæ & honoris sint, seu fortunæ. 479

tuntæ. Hæc de Injustitiæ nomine, essentia & divisione, modò etiam præambuli locô pauca de Restitutione differenda veniunt.

480 Igitur Restituere juxta vim nominis nihil aliud est, quàm aliquem iteratò statuere in possessionem, vel dominium rei suæ. At quia quædam sunt bona, in quæ homo, qui ea amisit, iterùm statui non potest, ut patet de eo, cui vita vel membra ablata sunt, idcircò Restitutionis nomen generaliùs à Theologis & Jurisconsultis accipitur pro qualibet illati damni compensatione, sive fiat per ejusdem rei restitutionem, ut cùm redditur alicui pecunia eidem furtô ablata; sive fiat per aliquam compensationem, ut cùm familiæ hominis, quem occidisti, aliquid reddis, quo damnum ejus utcumque compenses.

Unde Restitutio definiri potest, *Redditio rei debitæ vel in se vel in æquivalenti.* Dicitur 1mo. *Redditio.* Quia restitutio est actus Justitiæ commutativæ, quo constituitur æqualitas rei ad rem, inter datum & acceptum, inter jus personæ & rem, quæ illi personæ redditur.

2do. *Res debita:* seu res debeatur ex Injuria, furto v. g. vel rapina; seu debita sit allo titulo, depositi v. g. commodati, &c.

3tio. *In se vel in æquivalenti:* quia Restitutio fieri potest absque eo, quòd reddatur aut reddi possit illud numerô bonum, quod alteri ablatum est: ut si pecuniæ summam ei conferas, cui membrum amputasti (quod alii Satisfactionem dicere malunt) Ut autem restitutio fiat æquivalenter, lucrum cessans & damnum emergens compensari debet, ut patebit ex dicendis.

Porro Restitutio differt 1mo. à Satisfactione. Satisfactio enim est injuriæ alicui illatæ reparatio; unde ea tantò major esse debet, quò dignior est persona offensa: at Restitutio 1mo. Necessariò non supponit injuriam, ut patet in redditione mutui & depositi. 2do. Non respicit personam, sed rem; unde major esse non debet Restitutio, quæ fit nobili, quàm quæ fit plebejo. 481

Differt 2do. à Solutione. Nam 1mo. Solutio supponit rem, quæ solvitur diversam esse ab ea, pro qua solvitur; Restitutio verò ejusdem rei esse potest. 2do. Solvi dicitur, quod debetur ex voto & juramento, non dicitur verò restitui; è contrario, depositum dicitur restitui, non verò solvi.

De Injustitia & Restitutione sic definitis & generatim expositis modò nobis fusiùs agendum; atque ut omnia ordine & citra omnem confusionem procedant; Tractationem nostram in duas partes, juxta primô locô datam suprà Injustitiæ divisionem, dispescimus; in quarum prima de Injuriis & Restitutione in genere; in secunda verò de iisdem in particulari, juxta datam suprà secundô locô Injustitiæ divisionem, agemus. Sit igitur



482

PARS PRIMA

De Injuriis & Restitutione in genere.

QUinque Capitibus hanc primam Appendicis nostræ partem concludimus, in quorum primo, de necessitate Restitutionis; in secundo, de Radice obligationis restituendi; in tertio, de cooperantibus ad damnum; in quarto de circumstantiis restitutionis & ordine in ea servando; in quinto denique de causis excusantibus à restitutione vel ejus dilatione tractabimus. Sit

Caput Primum.

De necessitate Restitutionis.

Conclusio.

Restitutio in re aut in voto necessaria est ad salutem.

Prob. 1mo. ex Scriptura. Ezechiel. 33. v. 14. *Si impius fecerit judicium & justitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit . . . . nec fecerit quidquam injustum, vitâ vivet, & non morietur.* Rom 13. v. 7. *Reddite omnibus debita.* Jacob. 5. v. 4. *Ecce merces operariorum . . . . quæ fraudata est à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Unde sic conficitur argumentum: Illud est ad salutem necessarium, quod ita in Scripturis præcipitur, ut ejus omissio mortem animæ inferat, & severam à Domino vindictam expectare debeat. Atqui in citatis textibus præcipitur restitutio eorum omnium quæ debentur, adeò ut qui illam omiserit morte æterna mori debeat, &c. Ergo.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus, pro quibus omnibus in re evidenti sit S. Augustinus Ep. 54. & refertur cap. *Si res* 1. Caus. 14. q. 6. *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum . . . . cùm restitui potest.* Quæ ultima verba repetuntur Reg. 4. de Regulis Juris in 6.

Prob. 3tio. Ratione; Qui voluntariè perseverat in gravi peccato contra primaria legis naturalis præcepta, salutem obtinere non potest. Sed qui non restituit, cùm restituendi facultatem habet, voluntariè perseverat in gravi peccato contra hæc legis naturalis præcepta, *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis. Suum cuique reddendum est.* Hæc enim præcepta vetant, ne cuipiam injuria fiat, ne jus alterius violetur. Atqui injuriam alteri facit, & jus ipsius violat, qui rem ejus subripit, aut subreptam penes se servat. Ergo.

Con-

Confirm. Quia omissio restitutionis est virtualiter furtum, est enim acceptio rei alienæ continuata. Atqui fur salvari non potest. Ergo nec qui rem alienam non restituit.

Diximus, *Restitutio in re aut in voto*, seu proposito; quia ei, qui restituere non potest, satis est, ut sincerum habeat propositum restituendi, cùm restituere poterit.

483 *Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1mo. Si restitutio esset necessaria, Christus eam præcepisset Pharisæis, cùm eos arguit rapinæ, & ad pœnitentiam hortatus est. Atqui Christus altum silet de restitutione, *Quod superest*, inquit Lucæ 11. v. 41. *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Ergo.

Resp. neg. maj. Non enim omnia ad salutem necessaria in omnibus locis dicuntur, sed quædam uno quædam alio. Quòd si salus apud Lucam tribuatur eleemosynæ, intelligendum est id modò nihil desit cæterorum, quæ sint necessaria. Sic Matthæi 6. dicitur: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.* Si nempe non obstet defectus alicujus alterius ad remissionem peccatorum requisiti: an enim qui injurias sibi illatas condonat, adulterii, iræ, intemperantiæ, &c. remissionem statim obtinebit? &c.

484 Ob. 2do. Qui rem habet alienam domino consentiente, aut irrationabiliter invito, non tenetur ad ejus restitutionem. Atqui dominus consentit, aut consentire debet, ut res sibi ablata ab eo retineatur, qui eam abstulit, alioqui præferret rem suam temporalem æternæ alterius saluti, quæ periclitabitur, nisi consentiat, ut alter rem illam sibi retineat. Ergo (*a*).

Resp. neg. min. Si enim valet pia hæc subtilitas, jam unusquisque rem alterius invadere poterit: nulla erunt furta, nemini vel in judicio, vel alibi bona sua defendere licitum erit, ne fortè fratris sui animam iræ, aliisve vitiis exponat. Apage novum charitatis genus. Neque homo tenetur spirituale proximi bonum bono suo corporali anteferre, nisi cùm proximus in gravi aut extrema necessitate constitutus est, à qua liberari non potest nisi per temporalis boni nostri jacturam, aut periculum, prout in Tract. de Virt. Theolog. ubi de Charitate erga proximum, adnotavimus. At cùm homo animæ periculum nonnisi propria voluntate subit, aliter est sentiendum; alioqui melior esset furum, quàm virorum frugi conditio.

Ob. 3tio. Rachel Genes. 31. furata est Idola patris sui. David 1. Reg. 27. legitur oves & boves abstulisse; idem Princeps mediam partem bonorum Miphiboseth dedit Sibæ. Atqui nec Rachel, nec David leguntur restituisse, quod tamen fecissent, si ad salutem necessarium fuisset. Ergo. 485

Resp. 1mo. Nec sancta fuisse omnia, quæ fecerunt viri sancti, nec scripta fuisse omnia eorum charitatis aut pœniten-

(*a*) Ita olim ratiocinabantur Græci, ut refert Alphonsus à Castro Verb. *Restitutio.* Undè fures absolvebant, postquam oleô eos inunxissent, nulla iisdem imposita obligatione restituendi. Ita etiam propemodùm sensisse videtur ille, qui post fures, qui ipsi pecunias suas eripuerant, clamabat: *dona vobis omnia, &c*

nitentiæ opera. Fieri potuit, ut restituerint, quamvis id Scriptura non expresserit.

Resp. 2do. Rachelem multi accusant furti domestici; alii verò existimant, potuisse Rachelem jure compensationis auferre Idola Laban, qui debitam filiabus suis dotem denegaverat, ibid. v. 14. *Nonne quasi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum?* David verò abstulit oves & boves eorum, quos Dominus occidi jusserat: quibus autem vita eripi potest, iis & bona eripi possunt, nisi aliud obstet. Quantùm ad Miphiboseth pro certo supponendum, quòd ei idem restituerit, vel aliquid æquivalens: certè in restitutionis partem computari potest, quòd David eum aluerit cibô regiô: quod enim priùs ex liberalitate faciebat, hoc deinceps ex justitia facere potuit. Si verò non restituit, malè egit; ejus tamen culpa inde multùm imminui videtur, quod veritatem facilè comperire nequiverit.

486 CAPUT II.

De Radicibus Restitutionis.

QUatuor assignari possunt restitutionis radices. 1ma. est injusta acceptio, scilicet cùm res aliena dominô Rationabiliter invitò usurpatur. 2da. est injusta detentio, cùm scilicet aliquis rem alterius nonnisi iniquè retinere potest, quod quidem contingere potest absque injusta acceptione, ut si inter meas gemas, alterius gemmam, quam sine advertentia collegi, detexero, eamque restituere nolim, injustus ero detentor. 3tia. est injusta damnificatio, cùm cuipiâ infertur damnum absque ulla rei ejus acceptione, aut detentione, ut cum quis alterius ædes vel sata succendit. 4ta. denique oritur ex contractu explicito, vel implicito seu quasi contractu in assumptione officii seu muneris, aut etiam mandati. Sic tenetur ad restituendum, qui pecuniam mutuo acceptam, fortuito casu amisit: Sic ei restitui debet, qui alterius absentis negotia spontè gessit & utiliter, aliquid pretiò æstimabile pro illis impendendo; ut si flammam à domo ejus removerit, si vindemiam ejus tempore congruo collegerit & expresserit.

Titulò injustæ acceptionis simul & 487
detentionis, restituere tenetur, qui rem injustè accepit & retinet, Possessor malæ fidei scilicet. 1mo. Tenetur rem ipsam restituere si extet; si verò non extet, qui eam vendidit, consumpsit, aut donavit, æquivalens ejus pretium reddere debet, ut & si ei fortuitò perierit, aut ab alio rapta sit. Ratio est tùm quia nemo locupletari debet cum injuria alterius; tùm quia qui inæqualitatem in alterius bonis suâ culpâ posuit, eandem reparare tenetur, etiamsi nihil indè perceperit emolumenti 2do. Restituere debet fructus omnes cùm civiles tùm naturales, & mixtos secundùm eam partem, qua naturales sunt (*b*). Ratio est, quia res domi-

(*b*) Fructuum nomine intelligi solet omnis utilitas, quæ ex aliqua re colligi potest, deductis impensis, quæ fieri debent. Fructus alii sunt *naturales*, qui scilicet sola aut ferè sola operante natura producuntur: tales sunt fœtus animalium, fructus arborum, &c. Alii dicuntur *industriales*, qui per hominis industriam proveniunt ex re merè sterili, tale est lucrum ex negotiatione, &c Alii *mixti*, suntque qui partim naturaliter partim ex industria proveniunt: tales sunt fructus agrorum, vinearum, &c. Alii denique *civiles*, suntque reditus, qui ex certo jure alicui concesso secundùm leges percipiuntur: *sic urbanorum prædiorum pensiones pro fructibus accipiuntur*, ex Leg. 36. ff. *De usur.* ut & vecturæ navium, Leg 29 ff *De hæred. pet.* Idem dicendum de locatione piscationis, venationis, perceptionis tributorum, &c.

domino suo fructificat. 3tio. Tenetur adhuc idem malæ fidei possessor ad restituenda lucra cessantia, & damna emergentia; quia alioqui non constitueretur æqualitas debita. 4to. Non potest detrahere nisi expensas necessarias, id est eas, sine quibus res peritura erat aut deterior futura, leg. 79. ff. *De verb. signif.* item verè utiles seu eas, quæ licèt necessariæ non sint, rem tamen meliorem faciunt, & ejus reditum adaugent; & eas repetere potest, si eas rei dominus facturus erat, aut sine rei detrimento separari possint; ut & eas expensas, quæ solius voluptatis causâ, & rem duntaxat ornant, nec fructum augent, factæ sunt, ut sunt viridaria, aquæ salientes, incrustationes, loricationes, picturæ, &c.

Quid de possessore dubiæ fidei, seu eo, vel qui rem acquisivit, de qua dubitabat, an esset furtiva; vel qui postquam bona fide acquisivit, dubitare incipit, an furtiva sit nec ne, hîc dicendum sit facilè colligi potest ex iis, quæ hoc Tract. c. 2. Sect. 1. §. 3 *n.* 157. &c. de usucapione seu præscriptione elocuti sumus.

Ex titulo verò injustæ detentionis, Possessor etiam bonæ fidei, seu ille, qui aliquid possidet, quod sine dolo & fraude suum esse putat; quamprimùm cessat in ipso bona fides, tenetur restituere 1mo. fructus naturales, si extant: si verò non extent, restituere debet, in quo factus est ditior. Ratio 1mæ partis est: Quia res quælibet domino suo fructificat, non alteri. Atqui possessor bonæ fidei, non est dominus rei, quæ ex hypothesi est aliena. Ergo res illa non fructificat huic possessori, sed vero ipsius domino. Ergo fructus ei sunt restituendi, deductis tamen expensis & æstimatione operatum, quæ præmitti solent ut hujusmodi fructus colligantur, &c.

Prob. 2da. pars. Quia nemo justè ditior fieri potest ex alienis bonis. Ergo id quo quis factus est ditior, restituendum est, quia alioqui possideretur res aliena; saltem in æquivalenti. Unde leg. 1. Cod. *De petit hæred.* dicitur: *Bonæ fidei possessores fructus reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint;* ubi corrigitur lex *Qui scilicet* ff. *De usuris.* Quæ contrarium innuere videtur.

Ditior autem factus censetur 1mo. Qui adhuc habet valorem rei alienæ, quam vendidit. 2do. Qui consumendo rem alienam pepercit suæ, quam consumpsisset, aut sumptibus, quos ex re propria fecisset; adeoque restituere debet, quantùm rebus propriis pepercit.

2do. Ex dictis sequitur, fructus mix- 488
tos, sive adhuc extent, sive iis ditior factus sit possessor bonæ fidei, ab ipso restituendos esse secundùm id, quod naturales sunt. Idem quoque dicendum de fructibus civilibus; quia fructus illi maximè accedunt ad naturales; unde non rarò cum eis confunduntur. Et certè locatio vineæ, vel prati, parùm exigunt industriæ; hîc tamen deduci debent expensæ, si quæ fuerint.

Diximus, *secundùm id, quod naturales sunt;* quia Possessor bonæ fidei non tenetur fructus merè industriales restituere. Nemo enim tenetur restituere id, quod suum est non alienum. Atqui fructus merè industriales non sunt alterius, sed illius, à cujus labore & industria prodierunt. Ergo qui alterius instrumentô usus est ad opus aliquod artificiale peragendum, opus illud sibi retinere potest, nec restituere tenetur. Imò hoc etiam extenditur ad possessorem malæ fidei: unde si quis ex aliena pecunia, etiam iniquè parta, lucratus sit,

ſit, ſive ludendo, ſive mercaturam exercendo, non tenetur ad reſtitutionem hujusce lucri.

489 Titulô injuſtæ damnificationis reſtituere tenetur, qui ex culpa aliqua Theologica, extra contractum aut quaſi contractum, intulit damnum. Titulô autem contractûs, aut quaſi-contractûs, qui ex varia, pro conditione contractûs, culpa damnum intulit. Quæ ut clariùs à nobis definita intelligantur, priùs exponenda & velut repetenda ſunt ea, quæ in hocce de Juſtitia & Jure de culpa paſſim jam adnotavimus.

490 Culpa igitur duplex diſtinguitur, alia Theologica, quæ eſt peccatum mortale vel veniale: alia Juridica, quæ eſt omiſſio alicujus diligentiæ per ignorantiam, incuriam, aut inadvertentiam, ex qua alicui damnum creatur; nec refert an hæc culpa ſeu omiſſio peccatum ſit, aut non.

Culpa Juridica eſt triplex, lata ſcilicet, levis, & leviſſima, quibus, ut completa ſit gradatio, addunt aliqui latiorem & latiſſimam.

Culpa latiſſima eſt communis diligentiæ, quam cæteri adhibere ſolent, omiſſio damnoſa, ea intentione, ut alter decipiatur, & damnô afficiatur. Talis eſt culpa militis excubias agentis, qui dormit, aut dormire fingit, ut faciliorem hoſti acceſſum præbeat. Hæc culpa eſt grande peccatum, & verus dolus: Dolus autem eſt quævis machinatio ad decipiendum.

Culpa latior eſt dolus præſumptus: ut ſi ſciens, & valens impedire, non impediam tamen, quominùs fur rem apud me depoſitam auferat, vel ne hoſtis urbem ingrediatur.

Culpa lata eſt omiſſio illius diligentiæ & circumſpectionis, quam prudentes ejusdem conditionis homines in hujusmodi rebus adhibere ſolent. Talis eſt negligentia illius, qui librum ſibi commodatum foris relinquit ſupra ſcamnum.

Culpa levis eſt omiſſio diligentiæ, quam adhibent diligentiores. Talis eſt culpa illius, qui librum reliquit in cubiculo, quod ſeris non occluſerat.

Culpa leviſſima eſt omiſſio ejus diligentiæ, quam prudentiſſimi & ſolertiſſimi in rebus ejusdem naturæ adhibent; qualis eſt illius, qui cubiculum clauſit, ſed non probavit manu pulſando, an benè clauſum eſſet. Ex his multa ſunt, quæ ſine ullo peccato contingere poſſunt, putà ex diſtractione involuntaria, ex oblivione naturali, &c.

His poſitis adhuc obſervandum eſt, non eandem eſſe rerum omnium, quæ alicujus culpâ pereunt, conditionem. Quædam enim non ſupponunt contractum, ut ſi beſtia tua de ſe ſtabulum meum ingreſſa, ibi cum iis, quæ meæ erant, ſubrepta fuerit. Quædam verò ſupponunt contractum, aut quaſi-contractum. Contractus autem, ut jam alibi annotavimus, vel transfert dominium, ut emptio, mutuum; vel non transfert, ut locatum, conductum, & depoſitum. Contractus quilibet aliquando cedit in utilitatem ſolius accipientis, ut commodatum; aliquando in utilitatem ſolius dantis, ut depoſitum; aliquando tandem in utilitatem utriusque, ut locatum, conductum, emptio, &c. Quaſi contractus ſunt, ut ſuprà jam inſinuatum, alienorum negotiorum geſtio, tutela, cura, officium Judicis, Advocati, Medici, & alia id genus. His ita prælibatis, 491

Ratio primi aſſerti, ſcilicet, quòd, ut quis ob damnum illatum ad reſtituendum obligetur, ſufficiat & requiratur culpa Theologica aliqua etiam venialis, extra contractum vel quaſi contractum habetur 1mo. ex cap. 9. *De injuriis* lib. 5. tit. 36. *Si culpâ tuâ datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem fortè tuliſti, aut hæc imperitiâ tuâ, ſive negligentiâ evenerunt*, 492

runt, jure super his te satisfacere oportet. Atqui per peccatum etiam veniale, alicui injuria etiam formalis inferri potest. Nam ab eo formalis injuria infertur, qui sciens & volens jus alterius lædit. Sed qui peccat venialiter, non desinit esse sciens & volens, aut saltem penes ipsum stat, quominùs sciat & velit. Ergo. 2do. Quia si venialis culpa non sufficeret ad inducendam restituendi obligationem, nullum daretur veniale furtum, nullaque iis imponenda foret lex restituendi, qui per minuta furta magnam pecuniæ quantitatem congessissent. Atqui falsum consequens, ut per se evidens est. Ergo.

493 At in hoc nulla videtur esse difficultas inter Theologos; verùm graviter disputant, an qui ex culpa veniali grave alteri damnum intulit, illud ex toto, an verò ex parte duntaxat reparare teneatur. Qui prius tuentur, his potissimùm momentis adducuntur: 1mo. Ad rationem injustitiæ satis est juxta omnes, ut aliquis inferat damnum, quod potuit ac debuit non inferre. Atqui per culpam venialem infert quis damnum, quod potuit ac debuit non inferre. Ergo totam, quam posuit, inæqualitatem resarcire debet. 2do. Quis per culpam venialem idem damnum inferre potest, imò majus quandoque infert, quàm si peccaret mortaliter. Ergo ipsi eadem opus est reparatione. 3tio. Si ille, qui ex culpa levi duntaxat & veniali grave alteri damnum intulit, non teneretur illud ex toto, sed ex parte tantùm reparare, tunc vel maximè quia ex levi & veniali peccato oriri non potest gravis pœna & obligatio. Atqui hoc falsum est, nam obligatio subeundi gravissima Purgatorii tormenta est gravis, licèt ex veniali culpa nascatur; sic etiam venialis vanitas Davidis punita fuit gravissimâ pœnâ pestis, quæ septuaginta virorum millia absumpsit. Ergo.

Qui verò secundum propugnant has 494
afferre solent rationes. 1mo. Quia injuria venialis, citra contractum aut quasi-contractum, non debet tantam parere obligationem, quantam injuria gravis & plenè voluntaria: nam obligatio restituendi minùs sumitur ex parte Objecti, quàm ex parte injuriæ formalis, seu culpæ Theologicæ; unde ubi est grave damnum, & nulla culpa Theologica, nulla etiam est restituendi obligatio extra contractum aut quasi-contractum scilicet. Atqui si teneretur quis ex culpa veniali ad refusionem totius damni, injuria venialis tantam pareret restituendi obligationem, quantam injuria gravis, &c. Ergo, &c. Major quoad 1mam. partem est aperta; prob. quoad 2dam. scilicet, nullam esse restituendi obligationem, ubi quamvis grave damnum inferatur, nulla tamen est culpa Theologica. 1mo. Quia ex cap. 2. *De constit.* lib. 1. tit. 8. *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* Atqui si posset quis absque culpa Theologica ad restituendum obligari, res, quæ culpa careret, in damnum vocaretur. 2do. Non tenetur quis ad restituendum nisi ratione alicujus ex radicibus restitutionis hujus Capitis initiô recensitis. Atqui ubi deest tùm contractus, tùm quævis culpa Theologica, deest omnis radix, quæ restitutionis obligationem parere possit: nulla enim aliundè est injuria formalis, nulla rei acceptio, detentio, aut damnificatio formaliter iniqua; ut patet. 3tio. Tunc tantùm exigere quis potest, ut sibi restitutio fiat, cùm ei rationabiliter invito injuria fuit illata. Atqui nemo rationabiliter invitus esse potest circa actionem alterius, quæ nullam omninò culpam supponit; talis enim actio planè involuntaria est: quis verò mortalium de actione prorsùs involuntaria rationabiliter conqueri potest?

2do. ajunt: Obligatio restituendi, licèt non sit propriè pœna, pœnæ tamen rationem imitatur; est enim quoddam onus impositum delinquenti. Atqui pœna culpæ proportionata esse debet. Ergo si culpa levis sit, pœna levior esse debet, quàm si gravior foret culpa.

495 Concedunt tamen, quòd, licèt quis non teneatur nisi ad illati ex culpa levi & veniali damni partem reparandam, ad id tamen teneri possit, sub periculo peccati mortalis; quia, inquiunt, tanta esse potest illati damni quantitas, ut pars culpæ veniali correspondens gravis sit momenti. Sed qui aliquid gravis momenti non restituit, peccat mortaliter. Ergo fieri potest, ut mortaliter peccet, qui damnum ex veniali culpa illatum non reparat.

496 Quantùm ad 2dum. scilicet quòd titulô contractûs aut quasi-contractûs, qui ex varia, pro conditione contractûs aut quasi-contractûs, culpâ damnum intulit restituere teneatur, 1mo. Ad obligationem restituendi supposito contractu requiritur culpa lata, cùm contractus cedit in commodum solius dantis, ut in deposito; sufficit verò culpa levissima, si cedat in utilitatem solius recipientis, ut in commndato; requiritur autem & sufficit culpa levis, si cedat in utilitatem utriusque, dantis scilicet & recipientis. Vide dicta suprà in Tract. cap. 3. Sect. 2. §. 8. ubi hæc jam discussimus. 2do. Ad obligationem restituendi supposito quasi-contractu requiritur aliquando culpa lata, aliquando sufficit culpa levis, aut etiam levissima. 1mo. Requiritur culpa lata, cùm aliquis ex officio suo aliquid facit in utilitatem alterius, non accipiendo mercedem: qui enim gratis aliquid facit, non censetur majorem spondere diligentiam, quàm quæ à prudentibus in eodem casu communiter expectatur; excipe si se obtulerit, alio diligentiore etiam se offerente; nam tunc etiamnum de culpa levi teneri videtur; quia censetur eandem promisisse diligentiam, quam spondebat ille diligentior. 2do. Ex culpa levi etiam tenentur, qui ex officio aliquid faciunt mercede conducti, ut tutores pupillorum, curatores minorum, Advocati, Medici, Chirurgi, Artifices, Architecti, & alii ejusdem generis. Ratio est, quia qui ex officio suo aliquid percipiunt emolumenti, majorem adhibere debent diligentiam, quàm si nullum inde commodum reportarent. 3tio. Varii sunt casus, in quibus tenetur aliquis de culpa etiam levissima. Ut v. g. 1mo. Si quis se profiteatur diligentiorem & peritiorem aliis; tunc enim promittit saltem implicitè, se plus præstiturum quàm alii. 2do. Si quis officium & operas locet in re, quæ tanti est momenti & valoris, ut ex natura sua summam cautionem, & singularem custodiam requirat, ut si agatur v. g. de lite, ex qua sequi debeat familiæ alicujus probrum & infamatio.

Hæc etiam locum habent in iis, ad quos ratione officii vel professionis spectat dare consilium, quales sunt Parochi, Confessarii, Concionatores, Theologi, Jurisconsulti, &c. si suô consiliô nocuerunt; ut patet; unde Confessarius v. g. tenetur ad restitutionem, cùm ex crassa ignorantia, aut gravi negligentia obligat ad restituendum eum, qui non tenetur, vel non obligat eum, qui tenetur.

CAPUT III.

De Cooperantibus ad damnum. 497

Sicuti certum est ex Apostolo, dignos esse morte non solùm eos, qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facienti-

cientibus; sic certum est ad restituendum teneri non eos solùm, qui per se & proximè damnum inferunt, sed & illos, qui ipsis cooperantur. *Si culpâ tuâ*, inquit Gregorius IX. cap. ult. *De injuriis. datum est damnum, vel injuria irrogata &c. jure super his satisfacere te oportet.* & cap. *Notum.* Caus. 2. q. 1. *Facientem & consentientem par pœna constringit.* Unde Innocentius XI. hanc proscripsit propositionem: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.*

Nomine cooperatorum hîc non eos intelligimus, qui facinus aliquod per semetipsos junctis cum alio viribus exequuntur, putà si duo eundem hominem interimant; sed eos, qui jubendo, suadendo, &c. causa sunt, quod alius crimen aliquod exequatur; quod contingere potest novem modis, quorum sex sunt positivi, tres verò negativi his versibus expressi:

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Hi sunt novem modi, quibus aliquis efficaciter & injustè alieni damni causa esse potest, ejusdem damno sciens & volens cooperando. Qui seorsim sunt explicandi.

Jussio,

498 *seu Mandans.*

Nomine mandantis intelligitur, quicumque explicitè vel implicitè præcipit, & præcipiendo movet ad exequendam actionem injustè damnificativam. Diximus *explicitè vel implicitè*, quia aliquid mandari potest non solùm verbis expressis, sed etiam signis, nutibus, item si manifestes inferiori, gratum tibi fore si actionem hanc exequatur. Implicitè mandant Magnates, cùm in verba erumpunt, quæ vindictæ sitim & desiderium spirant.

Consilium,

seu Consulens.

Consulens dicitur ille, qui alium ad damnificationem movet consiliô, precibus, promissis, item hortando, motiva suggerendo, facilitatem ostendendo, &c.

Consensus,

seù Consentiens.

Consentiens hîc dicitur, non qui interiorem tantùm præbet assensum, nam mentalis consensio in damnum alterius influere non potest, sed qui suffragiô, favore, & approbatione externa movet & efficaciter determinat ad inferendum alicui damnum.

Palpo,

seu Adulator.

Palpo seu adulator dicitur ille, qui laudibus, applausu, adulatione, ad damnum proximi provocat & accendit. Ad hoc genus referuntur, qui offensum irrident, qui ei suam, si non ulciscatur, ignaviam exprobrant, qui adulterium uxoris marito objiciunt, qui vitam alicujus pauperem despiciendo, ad eam, quam ipsi vel alii profitentur, furandi artem impellunt.

Recursus,

seu Receptans.

Receptans seu recursum præstans ille est, qui sive ante, sive post illatum

damnum, ſecuritatem, fiduciam, & commoditatem præbet damnificatori ut vel malum inferat confidentiùs, vel illatum non reparet. Hinc receptantes ſunt, qui malefactori, furi, ſicario aſylum in domum ſuam promittunt, aut iisdem, poſt ſcelus patratum, refugium præſtant, ſive perſonas eorum, ſive res furtivas, ſive demum maleficii inſtrumenta recipiendo & occultando; item qui prædas emunt, aut ſervant.

Participans.

Participans aliquis dupliciter eſſe poteſt. 1mo. Ratione rei acceptæ, ut cùm quis ſuam in præda & furto partem habet. 2do. Ratione actionis damnoſæ, cùm quis quoquo modo juvat ad actionem injuſtam, ſive aliquid de præda & furto recipiat, ſive non.

Mutus.

Mutus ille eſt qui tacet, cùm loqui tenetur contradicendo, diſſuadendo, prohibendo, clamando, &c. tales ſunt v. g. Advocati, qui præ cupiditate, malitia, aut præſumptione, argumenta prætermittunt, quibus partium cauſam obtinerent: Patres-familias, qui filios, aut ſervos ſuis conſiliis, aut præceptis, non avocant à furto: Servus domeſticus, qui ſilet, dum latro, vel conſervus Domini ſui bona ſurripit.

Non obſtans.

Non obſtans dicitur ille, qui cùm ex officio vel pacto teneatur damnum alterius impedire, ſeu obſtare v. g. dando ſubſidium ferendo operam, ne proximo noceatur, non tamen impedit, aut obſtat. Tales ſunt Duces belli, Miniſtri Juſtitiæ, cuſtodes nemorum, vinearum, gabellarum, & alii, qui contractu quovis expreſſo vel virtuali aliorum ſaluti invigilare debent, & impedire, ne quidquam detrimenti in ſuis rebus & bonis patiantur; nec tamen impediunt, aut obſtant.

Non manifeſtans.

Non manifeſtans eſt ille, qui damnificatorem non manifeſtat, ſive ante, ne inferatur damnum, ſive poſt damnum illatum, ut reſarciatur. Tales ſunt adhuc cuſtodes civitatum, montium, ſylvarum, & quicumque ratione officii, vel ſtipendii tenentur ad damnificationis manifeſtationem.

Hi omnes & ſinguli, quia tanquam 499
cauſa efficax & injuſta ſunt alieni damni, utpote qui eidem damno ſcientes & volentes cooperantur, ad reſtitutionem tenentur, non tamen eodem ſemper modo & ratione, prout ex ſequentibus patebit.

1mo. Mandans, Conſulens, Conſentiens, laudans, vel receptans, &c. tenetur ad reſtitutionem totius damni, ſi cauſa fuit totius damni, partis verò, ſi ſolùm partis cauſa fuit. Nam quisque tenetur reſarcire totum & ſolum damnum, cujus cauſa injuſta fuit: & quando ad idem damnum concurrerunt, tunc ſinguli tenentur in ſolidum modo & ordine infrà explicando.

2do. Quoad participantes, cùm plu- 500
res cooperantur ad idem damnum inferendum, ſic ut ſinguli ſint cauſa actionis injuſtæ, ſeu conferant in actionem injuſtam; ut dum plures communi conſiliô, operâ, auxiliô, domum, vineam, hortum ſpoliant, gregem abigunt, vel ædes incendunt, aut unus præ-

præbet aliis instrumenta, v. g. claves, arma, scalas, &c. tunc singuli tenentur in solidum, id est, unusquisque tenetur non solùm restituere pro sua parte, sed etiam resarcire totum damnum, si alii non restituant, vel quia nolunt, vel quia non possunt. Nam singuli in totum damnum influxerunt communi conspiratione, operâ, & auxiliô; & re ipsa actio damnosa est communis omnibus: ideoque singuli sunt causa totius damni, & quidem totalis totalitate effectûs, cùm totum damnum oriatur à singulis, licèt sint partialis causa partialitate causæ, ex leg. 31. ff. *ad Leg. Aquil.* Ad obligationem autem ad solidum satis est, quòd quilibet eorum sit causa, ex qua damnum illatum est, sive unus seorsim ad illud sufficeret, sive non: nam licèt unus per se ipsum posset seorsim damnum inferre, tamen re ipsa hîc & nunc sine socio alius damnum non infert, & sic uterque est causa damni in totum.

Nec obstat, quòd concurrant ad totum damnum solùm partialitate causalitatis; ideoque solùm partialiter damnum à singulis proveniat; nam hoc probat singulos teneri tantùm absolutè ad partem damni, hypotheticè verò ad totum, seu ex hypothesi quòd alii non restituant, qui tamen suam partem teneantur rependere alteri pro ipsis restituenti; cùm actio damnosa verè a singulis manet.

Quandò verò plures ita damnum inferunt, ut singuli solùm faciant partem damni independenter à se mutuò, ita ut unus non moveat, nec incitet, nec adjuvet alterum; ut cùm plures separatim, sine communi consensu, conspiratione, & opera, damnum inferunt; tunc singuli non tenentur in solidum, sed solùm pro sua parte & independenter à se invicem: quia tunc unusquisque non est causa totius damni, sed solùm partis damni, quod per se intulit.

3tio. Causæ negativæ damni, seu non impedientes damnum alterius, cùm ex justitia tenentur impedire, mutus nempe, non obstans, non manifestans, ex communi obligantur in defectum aliorum ad restitutionem in solidum: quia sunt causa injusta totius damni post alios: nam causa permissiva damni contra debitum justitiæ est vera illius injusta causa, cùm potuisset & debuisset ex justitia impedire, nec tamen impedivit, atque sic violavit jus, quod alter habebat, ut ejus damnum impediret, quod proindè meritò ei imputatur. 501

Igitur inter obligatos in solidum hic ordo, ex communi Doctorum sententia, servandus est. 1mo. Et ante omnes tenetur in solidum restituere is, apud quem res aliena extat in se; nam qui rem alienam in individuo habet, tenetur eam restituere ratione rei acceptæ, ideoque primariò: res enim aliena, quamdiù extat in se, per se Domino debetur, semperque clamat pro eo. 502

Quòd si res aliena jam non ampliùs in se extet, & is, ad quem pervenit, eam mala fide, sciens, aut saltem dubitans esse alienam, consumpsit vel alienavit; tunc adhuc ante omnes tenetur ejus pretium restituere; quia *pro possessore habetur, qui dolô desiit possidere.* Reg. Jur. 36. in 6. & quia nova injuria, quam fecit alienando, vel consumendo non liberat eum à restitutione primô locô facienda, sed eum adhuc ad eam adstringit perindè, ac si rem haberet. Deinde cùm ex re aliena sciens ac volens præ cæteris commodum perceperit, æquum est ut præ cæteris restituere teneatur.

Si

Si verò rem alienam habens eam bona fide, ignorans esse furtivam, consumpsit, vel alienavit, is non tenetur restituere nisi in quantùm ex ea factus est ditior, cùm fuerit possessor bonæ fidei. Ad hoc tamen primô locô tenetur, quia quoad hoc habet rem alienam in æquivalenti, & ex ea præ cæteris commodum percepit.

503 2do. In solidum restituere tenetur Mandans seu jubens: quia est causa magis principalis; executor autem se habet ut ejus instrumentum: nam damnum non solùm jubentis monitione, sed etiam nomine & auctoritate necessitatem quamdam moralem executori imprimente fit. Item qui fraude induxit, vel metu aut vi coëgit, & cui alter non est ausus contradicere: nam injustè conjecit executorem in obligationem restituendi, eique ut & damnificato injuriam intulit: & sic debet executorem servare indemnem, ideoque priùs resarcire totum damnum indè secutum. Quare si Mandans, aut qui fraude &c. induxit alium ad damnum alicui inferendum, restituerint, nihil tenetur eis executor rependere.

504 Eodem etiam, quo jubens, loco tenetur is, qui suo nomine damnum fieri rogavit, aut suasit: nam hoc ipso quòd rogaverit, aut suaserit suo nomine fieri, censetur in se totum onus restituendi suscepisse, & se habet instar mandantis. Præterea is, cujus nomine fit damnum, est causa principalis, quæ instar finis & efficientis, & moralis movet cæteras. Ergo ante cæteras tenetur.

505 3tio. venit Executor; quia est causa principalis post mandantem, cæteri verò sunt causæ secundariæ: nam magis suo nomine influit in damnum, & illud immediatiùs attingit, quàm illæ aliæ causæ. Deindè quod hæ causæ faciunt, id faciunt, ut quodammodò servientes executori. Si tamen plures inter se initô consiliô communem inimicum impetant, & unus ex eis illum occidat, vel ejus domum incendat, omnes æqualiter restituere tenentur; quia omnium nomine damnum factum est, & omnes sunt participantes.

4tô. locô, & in priorum defectum, 506
cæteræ causæ positivæ, nempè Consulens, Consentiens, Laudans, Receptans, Adjuvans, tenentur singulæ ad suam partem secundùm proportionem suæ cooperationis, sine ordine inter se: quia una non est cooperata ad damnum mediante altera, & ut instrumentum alterius, vel illius nomine; sed unaquæque per se in suo ordine & in sua cooperationis ratione; undè una non est magis vel minùs principalis causa respectu alterius. Ergo si Mandans vel Executor non restituant, omnes istæ causæ secundariæ tenentur pro rata restituere, majorem quidem portionem, quæ magis, minorem verò, quæ minùs cooperata est. Tenetur tamen quælibet totum restituere in defectum aliarum.

Si tamen executor nomine omnium damnum intulit, omnes simul tenentur primô locô; quia illorum causâ factum est, & consentiendo ut sic fieret, tacitè in se receperunt obligationem restituendi. Executor verò, ut Executor, tenetur tunc secundô locô, nisi etiam sit unus illorum, quorum causâ factum est, tunc enim tenetur simul cum aliis.

Ultimô loco, post omnes istas cau- 507
sas positivas, & in earum defectum, tenentur causæ negativæ seu privativæ, & non impedientes damnum contra debitum justitiæ, Tacens videlicet, Non Obstans, & Non Manifestans.

ftans. Tùm quia causa negativa minùs ac remotiùs ad damnum concurrit, quàm positiva: nam causa positiva reipsa creat positivè physicè vel moraliter damnum; negativa verò solummodò non impedit influxum causæ positivæ. Tùm quia negativa non tenetur ad restitutionem, nisi cùm alius, qui damnum positivè intulit, non resarcit: unde damnum passus non potest petere restitutionem à non impediente, nisi priùs probaverit sibi damnum illatum esse, nec compensatum. Ergo priùs est alios non restituisse, quàm causam negativam teneri ad restitutionem. Ergo hæc tenetur solùm in defectum positivæ. Si tamen contingeret damnificatórem ex consideratione præteritæ negligentiæ Superioris vel Custodis incitari ad damnificandum, tunc Superior vel custos non impediens non se haberet ut causa merè negativa, sed simul ut positiva; ideoque teneretur simul conferre in restitutionem cum causis positivis, & non post illas.

Porro inter causas negativas non datur ordo, quia nulla est instrumentum alterius, aut magis præcipua; nisi tamen una teneretur magis immediatè impedire damnum.

508 Quòd si causa magis principalis totum restituat, cæteræ omnes liberantur ab onere restitutionis, juxta communem Doctorum sententiam. Quia causæ minùs principales tenentur solùm restituere in defectum causæ magis principalis, & primariò obligatæ. Ergo hac restituente, aliæ sunt liberæ, nec tenentur ei quidquam rependere. Si verò causa secundaria restituerit, causa magis principalis, & primariò obligata tenetur ei totum rependere; quia causa minùs principalis solvendo acquisivit jus, quod damnum passus habebat, exigendi solutionem à causa principaliori, quæ primariò tenebatur; nec par est, ut sit pejoris conditionis, ex eo quòd solverit id, quod altera primariò tenebatur solvere, &, qua solvente, nihil deberet: sicque utiliter ejus negotium gesserit, ex leg. 43. ff. *de negot. gest.* Præterea alioqui debitor principalis melioris conditionis esset ob suam iniquitatem, qua restituere noluit id, quod immediatè debebat, & non in defectum aliorum.

Hinc 1mo. Si Mandans restituerit, aliæ omnes causæ sunt liberæ; nam sunt minùs principales. Executori verò restituenti solus Mandans tenetur totum rependere. 2do. Si alia causa secunda restituerit, jubens, &, in ejus defectum, exequens tenetur ei totum reddere; cùm executor sit causa magis principalis post jubentem. 3tio. Si causa positiva restituerit, libera est causa negativa; cùm hæc solùm in defectum illius teneatur. E contrà si causa negativa restituerit, tenentur causæ positivæ secundùm suum ordinem ei totum solutum restituere. 4to. Si damnum passus remittat causæ magis principali, ut jubenti, vel executori, aliæ sunt liberæ; quia cùm remissio extinguat debitum, debitor principalis liber est. Ergo & ii, qui solùm in ejus defectum tenebantur, sunt liberi, perindè ac si causa principalis restituisset. Si verò creditor condonet uni causæ minùs principali, tenetur adhuc restituere causa magis principalis; quia solùm remittitur obligatio causæ secundariæ, non causæ principalis, quæ per se tenetur indepedenter à minùs principali. Neque etiam liberantur aliæ, quæ in eodem gradu cum ipsa debent, quia solùm portio alterius, non harum, condonatur: aliæ tamen jam non tenebuntur solvere portionem illius, cui remissio facta est.

Quòd si una ex causis æqualiter obligatis totum restituerit, aliæ in defectum causæ priori locô seu primariò & principaliter obligatæ tenentur singulæ pro sua portione ei rependere; quia aliàs non servaretur æqualitas inter cooperatores illos, cùm singuli æqualiter teneantur pro rata; & quia jus, quod habebat Dominus exigendi à singulis partem, translatum est in eum, qui priùs totum solvit; neque enim pro sociis solvit, ut essent liberi a restitutione, sed quia, illis nolentibus, vel non valentibus restituere, tenebatur Domino restitutionem integram procurare; & sic habet jus repetendi ab illis, quod pro illis Domino solvit, & quod illi ipsi dare debuissent. Neque enim alii sunt melioris conditionis, quia non fecerunt id, ad quod tenebantur; nec ille debet esse pejoris conditionis, quia prior solvit id, ad quod alii tenebantur, & sic ipsorum negotium utiliter gessit.

Si verò unus ex æqualiter obligatis nollet, aut non posset suam portionem restituere, cæteri tenentur hanc partem ferre, & æqualiter inter se dividere, v. g. Si tres teneantur æqualiter ad restituendum triginta aureos, & unus illos persolvat, eò quòd alii duo nolint, aut nequeant suas portiones restituere; posteà verò alter eorum duorum velit restituere, hic tenetur priori ultrà decem adhuc quinque restituere tanquam dimidium portionis, ad quam tenetur tertius, qui non vult, aut non potest restituere: nam tenetur æqualiter cum eo, qui priùs totum solvit, subire onus pro eodem tertio, cùm sit æquè concausa damni.

509 Porro circa singulos hos ad damnum cooperatores sequentia adhuc notanda veniunt. 1mo. (c) Mandans seu jubens non solùm tenetur resarcire damnum, quòd explicitè vel implicitè seu tacitè præcepit, sed etiam quod ex ipsius mandato, præter ejus intentionem secutum est, si res præcepta fuerit periculosa; quia tunc Mandans censetur causa culpabilis talis damni, aut saltem dedisse suâ culpâ tali damno occasionem, ex cap. ult. *De Homicid. in 6.* ibi: *Is qui mandat aliquem verberari, licèt expressè inhibeat, ne occidatur ullatenùs, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat, cùm mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.* 2do. Ex communi si Mandans ante damnum illatum mandatum revocet, idque mandatario innotescat, non tenetur restituere damnum posteà illatum; quia jam non censetur causa damni, cùm illud non proveniat ex mandato, quod ampliùs non extat; adeoque tunc alter non agit ex vi mandati nec Mandantis nomine, sed proprio suo nomine & motu. Secùs si revocatio mandati ante damnum illatum non innotescat; quia tunc adhuc vi mandati damnum infertur. Tenetur etiam Mandans ad restitutionem, licèt mandatum renocaverit, si non impedierit, cùm potuit, ne damnum inferatur; tunc enim tenetur, ut Non obstans. 3tio. Si scias alterum paratum esse nomine tuo damnum inferre, nec impedias, cùm possis cohibendo, vel significando te nullatenùs id velle, teneris restituere; quia censeris mandasse saltem implicitè seu tacitè, atque taciturnitas tua censetur esse approbatio & consensus. Deinde quisque tenetur ex justitia impedire, ne nomine ipsius & tan-

(c) De Mandante.

tanquam aliquid ſibi gratum proximo damnum injuſtè inferatur. 4to. Qui ratum habet damnum ſuo nomine factum, non tenetur reſtituere, ſi id neque expreſsè neque tacitè mandaverit; quia talis nullatenùs eſt cauſa damni; nam id, quod poſterius eſt tempore, non poſt eſſe efficiens cauſa effectûs præcedentis. Nec obſtat Reg. jur. 10. in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari;* nam intelligi debet præſertim de contractibus, qui alterius neſcientis nomine celebrati, & à conſenſu ejus pendentes, ſubſequente ratificatione confirmantur. Ratihabitio etiam comparatur mandato quoad culpam & pœnas in Jure expreſſas, non autem quoad obligationem reſtituendi, niſi ea ſit cauſa efficax, cur damnum inferatur, vel illatum non reſarciatur.

10 5to. (*d*) Si Conſulens ante damnum illatum revocat conſilium, ex communi tenetur adhuc reſarcire damnum ex conſilio ſuo poſteà ſecutum, ſi nempe conſilium conſiſtebat in oſtenſione utilitatis, vel delectationis inde percipiendæ, vel modi exequendi: quia tunc adhuc meritò cenſetur cauſa damni, cùm ſit culpabilis cauſa motionis impreſſæ, ex qua damnum oritur, & quæ revocatione non tollitur; nam hac revocatione non obſtante conſilium ſemper remanet in motivo ſuggeſto vel via nocendi oſtenſa: quemadmodùm ſi ignem injeceris in res alienas, quæ poſteà incendiò conſumantur, teneris reſtituere, quantumcumque poſteà ignem extinguere coneris. Ex quo patet diſparitas inter revocationem talis conſilii, & mandati: nam revocatio talis conſilii non tollit omnem rationem agendi à conſulente propoſitam, nec proinde motionem indè ortam: at revocatio mandati tollit omnem rationem agendi à Mandante propoſitam, ac proinde omnem motionem ab ipſo procedentem, cùm Mandatarius non agat niſi nomine Mandantis, nec impellatur ad agendum, niſi ut ei obſequatur: hinc ſi Mandans mandato ſuaſionem addiderit, tenetur, ratione conſilii cum mandato conjuncti, reſtituere damnum poſt revocationem illatum.

Quòd ſi conſilium conſiſtebat in falſa doctrina, v. g. quòd talis contractus eſſet licitus, qui tamen illicitus eſt, & conſulens ante executionem illud revocaverit aperiendo illius falſitatem, ex communi non tenetur reſtituere; quia tunc efficaciter tollit cauſam damni inferendi, & motionem à ſe impreſſam. Item qui precibus, blanditiis, vel promiſſis ad damnificandum induxit, & ante damnificationem oſtendit ſibi diſplicere, propoſitum mutaſſe, & promiſſa revocare, non tenetur reſtituere; quia non eſt cauſa moralis damni poſteà illati; nam tollit penitùs omnem rationem agendi à ſe propoſitam, & motionem à ſe impreſſam.

6to. Qui minus malum conſulit ad majus avertendum, non tenetur ad reſtitutionem, ſi conſulit, ut minus damnum eidem inferatur, cui majus erat inferendum; quia per hcc conſilium nullum damnum alteri infert; imò majus impediendo, utiliter rem ejus gerit, & tunc propriè non conſulit damnum, ſed potiùs imminutionem damni: ut ſi quis v. g. Petro vaccam furari volenti perſuadeat, ut vitulum duntaxat auferat. At tenetur, ſi illi,

Kk kk 2 qui

(*d*) De Conſulente.

qui paratus est majus damnum inferre Paulo, consulat, ut minus damnum potiùs Petro inferat, cui inferre non statuerat; quia consiliô suô est causa injusta damni Petro illati, & injuriam infert Petro; nam quivis innocens habet jus, ne sibi inferatur damnum, etiam ad avertendum majus damnum alterius. Et verò Petrus tam habet jus ut servetur illæsus à minori illo damno, quàm Paulus ut servetur illæsus à majori. Excipe nisi damnum Petri sit tam leve, ut teneatur ex charitate illud pati ad impediendum majus damnum alterius pauperis; quia tunc non est rationabiliter invitus.

§11 7mo. (*e*) Consentiens, seu qui suffragium injustum tulit ad damnificandum, ad sententiam, aut legem injustam, ad eligendum indignum in aliquod munus vel Beneficium, tenetur de damno, 1mo. Si suffragium dedit, antequam essent sufficientia ad id suffragia, non obstante, quòd tametsi suffragatus non fuisset, idem damnum ab aliis factum fuisset; quia re vera fuit cum aliis causa injusta damni; nam sine illo aut alia simili causa superventura non fieret damnum. 2do. Si ignoret esse sufficientem suffragiorum numerum, ut si secretò & per scrutinium ferantur, quia tunc fuit, quantùm de se erat, damni causa. 3tio. Quamvis non dederit suffragium, nisi postquam malum jam sufficienter decretum erat, adhuc tenebitur, si tantæ erat auctoritatis, ut priores suffragatores à sua sententia deducere posset, & ad revocanda sua injusta suffragia adducere; tunc enim tenetur saltem tanquam Mutus & Non Obstans. Et certè ille tenetur de damno, qui ad ipsum positivè & efficaciter concurrit: nam ille ad damnum positivè concurrit, ante cujus suffragium, damnum non erat irrevocabiliter decretum. Atqui, ex hypothesi, damnum non erat irrevocabiliter decretum. Ergo efficax hujusce damni resolutio, sigillum, ut ita loquar, ultimum habet ab hujusce suffragatoris voto. 4to. Denique, etsi major pars iniquum suffragium irrevocabiliter jam dederit, ita ut damnum ampliùs impediri nequeat; etiam tenebitur, quamvis injustum suffragium suum posteriori locô tulisset. Tùm quia promptiùs & alacriùs sententia iniqua executioni mandatur, cùm omnes in eam consentiunt; tùm quia illi omnes ad restitutionem tenentur, quorum nomine & auctoritate damnum infertur. Atqui damnum posteriorum suffragatorum nomine & auctoritate etiam infertur; omnes enim damni inferendi facultatem conferunt, omnes, iniquam, quæ damni causa est, sententiam formant, & constituunt. Et sicut tertius aliquis, qui se duobus hominem occidentibus jungit, quemadmodùm illi, homicida reputatur, quamvis duo priores morti inferendæ pares essent; eamque etiam sine ejusdem tertii auxilio intulissent, ut supponitur; sic à pari qui iniquam sententiam ferentibus suffragiô suô etiam omnium postremò accedit, unà cum iis idem damnum inferre censendus est; adeoque & simul ad restitutionem tenetur.

8vo. (*f*) Palpones & Adulatores ad §12
restituendum obligantur, si contingat, ut quispiam ex his laudibus, vel vituperiis ad inferendum damnum moveatur; quia sunt moralis causa damni,

(*e*) De Consentiente.
(*f*) De Palpone.

ni, atque sæpè efficaciùs ad injustum aliquod facinus determinant, quàm si idem expressè consulerent. Et vero quid aliud est exprobratio ignaviæ viro nobili injuriam perpesso facta, quàm vivum & efficax ultionis consilium? Porro necessarium non est, ut ii adulatores directè intendant alterius damnificationem; sed sufficit, ut prævideant, aut prævidere debeant eam ex iniqua hac agendi ratione sequi posse: & id satis ponderare non possunt illud hominum genus, qui susurrones dicuntur; ii enim, falsa perindè ac vera referendo, malorum semen sunt: Unde Prov. 26. vers. 20. *Susurrone subtracto jurgia conquiescent.* & vers. 22. *Verba Susurronis quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad intima ventris;* id est, interiores animi medullas commovent, & ad omne malum potenter inclinant.

Quod si adulator hominem laudet de injustitia jam commissa, non tenebitur ad restitutionem; quia damni causa non fuit; nisi fortè alter hisce laudibus ad aliud damnum inferendum, aut ad non resarciendum jam illatum impellatur.

513 9no. (g) Ad restitutionem tenetur, qui recursum, securitatem & fiduciam alteri præbet ad damnum inferendum, vel ad non resarciendum illatum: ut si domi recipiat damnificatorem, & non alios passim; si rem furtivam custodiat, ut furi servet; si ipsum furem vel ejus instrumenta occultet, ita ut hinc incitetur ad damnificandum. Item caupo vel alius recipiens aliquem consumentem bona aliena, ut filium-familias impendentem bona parentum. Nam tales re vera cooperantur damno; quippe sine illis, aut aliâ simili causâ hoc damnum non fieret, ex leg. 3. ff. *De incendio.* ibi: *Non tantùm qui rapuit, verùm is quoque, qui recepit, ex causis suprà dictis tenetur: quia receptores non minùs delinquunt, quàm aggressores.*

Qui verò furem, dum à lictoribus quæritur, occultat solùm, ut ejus vitam conservet, non censetur ei cooperari, quamvis fur fortè è periculo elapsus, aliquando damnum sit aliis illaturus: nam damnum illud est merè casuale respectu occultantis, & præter ejus intentionem; illa enim actio per se solùm ordinatur ad eripiendum miserum hominem ex præsenti vitæ periculo vel pœnæ corporalis: secùs si furem ita occultaret, ut spem refugii in posterum daret, qua fur confisus furta continuaret.

10mo. (h) De Participante ratione rei acceptæ idem dicendum est, quod de possessoribus bonæ vel malæ fidei dictum est; quemadmodùm & de eo, apud quem res aliena extat. Nempe si rem furtivam bona fide acceperit, eam, si adhuc extat, restituere debet, si non existat, satis est, ut restituat, in quantùm ditior factus est: Si verò mala fide, tunc rem, vel aliquid æquivalens, etiamsi ditior factus non sit, refundere debet. Quòd si quis rem consumat, quam furtivam esse novit, sed in cujus furto nullam partem & societatem habuit, non tenebitur nisi de parte, quam consumpsit, non autem de damno, quod ex furto emergere 514

Kkkk 3 potuit:

(g) De Receptante.
(h) De Participante.

potuit : ſic ſi Petrus gallinam pullos duodecim foventem occiderit, tenebitur de damno matris & pullorum, Paulus verò, qui gallinæ partem cùm Petro manducavit, nonniſi de parte hac tenebitur.

De Participantibus in actione damnoſa iis, quæ jam ſuprà adnotavimus hîc nihil addendum; tenentur enim ad reſtituendum ea ratione & modo, prout ibidem inſinuavimus; & hoc verum eſt, ſive damnum ſine eis nihilominùs fuiſſet illatum, ſive non, quia re ipſa hujuſce damni cauſa fuêre, & in ipſum influxerunt.

Ex hoc capite ad reſtituendum tenentur 1mo. Faber ferrarius, qui adulterinas claves fabricat. 2do. Qui furi ſcalam applicat, & tenet; quive ad furandum eunti ſe comitem jungit, ut animos addat; aut qui vigilem vel exploratorem agit; portas aperit, aut effringit. 3tio. Inſtitor ſeu factor Uſurarii; Notarius uſurarium inſtrumentum conficiens; teſtes, qui eidem ſcienter ſubſcribunt. 4to. Qui venenum præbet ei, quem eo uſurum eſſe novit, ut inimicum ſuum interimat; aut qui arma ſubminiſtrat homini jam vulnerandum aut occidendum parato. 5to. Famuli etiam abſtemii, qui aliis conſervis Domini vina furantibus præſto ſunt, eoſque adjuvant, aut circumproſpiciendo impediunt, ne deprehendantur, &c.

515 (*i*) Denique ex capite cauſarum negativarum damni reſtituere tenentur Principes & Magiſtratus, & Belli Duces, ſi non impediant latrocinia, & injurias ſubditorum : nam ex juſtitia tenentur conſervare jura & bona ſubditorum; reditus enim, quos habent, ſunt ſtipendia ad hoc inſtituta : idem dic de Judice & Canonico, qui ſine juſta cauſa abſunt, dum prævident aliquid iniquum in Conſilio & Capitulo eſſe gerendum; nam ex officio illud impedire & contradicere tenentur. Item cuſtodes agrorum, vinearum, ſylvarum, &c. ſi non impediant damnum, vel non manifeſtent damnificatores, ut reſarciatur, non modò tenentur totum damnum reſarcire, utpotè cùm agant contra officium vel pactum, & juramentum, adeoque contra juſtitiam & Religionem peccent; ex officio enim vel pacto ſuâ cuſtodiâ & delatione Dominum tenentur ſervare illæſum; ſed etiam, juxta probabiliorem ſententiam, mulctas perſolvere, quas Domini acciperent ex eorum delationibus, ſi ſileant & non deferant; quia videntur conſtituti, tùm ut impediant damna, tùm etiam ut deferant damnificatores, præſertim cùm id expediat ad avertenda multa damna, quæ aliàs fierent, ſublato mulctarum metu : undè non deferendo peccant contra officium & contractum, vel quaſi-contractum; ſicque reſtituere tenentur mulctas pecuniarias, quas perciperent Domini ex delatione ſibi jure debita.

Porro qui ſolùm ex charitate tenetur impedire damnum alterius, ſi non impediat, cum ſine magno incommodo poteſt, peccat quidem contra charitatem; ſed, ex communi, non tenetur ad reſtitutionem; quia non peccat contra juſtitiam, nec cenſetur cauſa injuſta damni, cùm alter non habeat jus, ut damnum ejus impediat. Secùs

(*i*) De Muto, Non Obſtante, & Non Manifeſtante.

cùs si quis positivè conferat ad damnum proximi; is enim tenetur de damno; nam quilibet habet jus, ne quivis alter ad damnum ejus positivè cooperetur, cùm habeat jus, ne ei inferatur damnum sine justa causa & auctoritate.

Hinc ad restitutionem tenetur 1mo. Qui à fure pecuniam accipit, ne clamet, ne indicet, vel qui id gratis promisit, quamvis damnum ex sola charitate impedire teneatur; quia hoc promissô furem animosiorem, ac securiorem reddit, & sic positivè concurrit ad damnum. 2do. Qui obligatum ex officio ad clamandum vel impediendum, quovis modo impedit; nam injustè impedit usum juris, quod habet tertius, ut talis clamet. 3tio. Qui clamare & obstare volentem, licèt ad id ex justitia non obligatum, impedit per vim aut dolum; nam quisque habet jus, ne quis ejus defensionem & bonum impediat per vim aut dolum, aliamve viam injustam.

Caput IV.

516 *De circumstantiis Restitutionis, & ordine in ea servando.*

Restitutionis circumstantiæ hoc disticho comprehendi solent:

Quis, quid restituat, cui, quantum, quomodò, quando,
Quo ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.

Ex hactenus dictis patet, *quis*, & *quid* restituere debeat, nempe qui damnum intulit, illud resarcire omnimodè tenetur *Quomodò* autem facienda sit restitutio, nihil habet difficultatis; optimô enim modô restituit, qui, quod alteri debet, hoc reddit ad æqualitatem; sive per se, sive per alium: nihil etiam interest an palam, & an occultè, nisi agatur de restitutione famæ, cui si labes palam inusta fuerit, palam resarcire debet, ut suô locô dicemus. Alias ergo circumstantias juxta ordinem, quem in adducto disticho servant, prosequimur. De causis verò à restitutione excusantibus speciali capite agemus.

§. I.

Cui facienda sit Restitutio. 517

Certum est rem à possessore malæ fidei ablatam, non ipsi, utpote qui nullum in ea jus habet, sed domino esse restituendam; efficiendum tamen simul est, ut injustus possessor restitutionis iterum faciendæ periculo non exponatur; undè vel ipse, vel rei Dominus debitô modô est commonendus.

Non minùs certum est, restitutionem rei vero ejus Domino, cùm cognoscitur, esse faciendam, nisi aliquod interveniat inconveniens; quia hic est naturalis æqualitatem reponendi modus. Sed quia fieri potest 1mo. Ut res eadem secundùm diversos respectus diversis personis restitui possit. 2do. Ut legitimo Domino nonnisi periculosè restituatur. 3tio. Ut verus Dominus non cognoscatur. Quid circa hæc sentiendum sit declarare oportet. Igitur sit

Conclusio. I. 518

Res ordinariè ei reddenda est, à quo legitimô titulô possidetur, etsi non sit rei Dominus. Ratio est; quia restitutio

ſtitutio ſic facienda eſt, ut jus alienum non lædatur. Sed ſi res domino, non autem legitimo poſſeſſori reddatur, jam læditur jus alienum. Sic ſi res commodata, depoſita, locata non reddatur commodatario, &c. ſed Domino, commodatarius, depoſitarius, &c. qui jus habent re illa utendi, læduntur. Ergo niſi iis fiat reſtitutio, peccatur contra juſtitiam, & contrahitur onus iisdem reſtituendi pro damno emergente, & lucro ceſſante.

Diximus, *ordinariè ;* quia ſi poſſeſſor nihil detrimenti patiatur ex eo, quòd reſtitutio fiat proprietario, nihil intereſt an uni vel alteri fiat.

519 CONCLUSIO II.

Qui à poſſeſſore bonæ fidei accepit aliquid, quod alterius eſſe comperit, hoc vero ejus domino reſtituere debet, ſi gratis acceperit ; ſi autem onerosô titulô comparaverit, & certò ſciat, rem hanc alienam in manu poſſeſſoris hujusmodi non periclitari, ut qui bonæ frugis vir ſit, illud reddere poteſt poſſeſſori, & pretium ſuum repetere.

Ratio 1mæ. partis eſt ; quia ei facienda eſt reſtitutio, qui jus habet in rem, non ei, qui tali jure non gaudet. Atqui poſſeſſor in præſenti caſu nullum jus in ea re habet, quam ſupponimus alienam eſſe. Ergo.

Ratio 2dæ. partis eſt ; quia unicuique licet bono proprio conſulere, cùm id poteſt ſine alterius diſpendio. Sed qui rem reddit ei, à quo emit, bono ſuo conſulit ſine alterius diſpendio. Ergo.

Diximus, *Si certò ſciat rem hanc alienam in manu poſſeſſoris non periclitari &c.* Si enim noverit poſſeſſorem nullius conſcientiæ virum eſſe ; tunc teneri videtur eam Domino reſtituere ; ſecus enim injuriam faceret eidem Domino ; quia rem ipſius ex ſtatu ſecuritatis, in quo apud ipſum erat, ad ſtatum periculi, imò amiſſionis reduceret ; nam quòd res ſit in ſtatu ſecuritatis eſt quoddam illius melioramentum. Atqui res ad dominum pertinet cum omnibus ſuis melioramentis intrinſecis ac extrinſecis. Ergo qui illud melioramentum tollit, re ipſa Domino facit injuriam ; aufert enim ab ipſo, quod de jure ad ipſum ſpectat ; remque ipſius in pejori, quàm anteà, cùm ſcilicet penes ipſum eſſet, erat, ſtatu reponit, quod licitum non eſt, ſicut nec licet, ut rem ab incendio ereptam poſteà in ignem conjicias, aut etiam ſcienter in eo loco reponas, ubi periculum eſt, ne flammâ conſumatur.

Et certè Juris naturalis regula, quæ omnes penè conſcientiæ caſus reſolvit, eſt, ut *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis.* Atqui nemo vellet, ut res ſua ab aliquo tertiò etiam titulô oneroſo accepta, ei redderetur, à quo eam probabiliùs, imò nequaquam recepturus eſſet. Ergo.

Idem à fortiori dicendum venit, ubi quis à fure quidpiam bona fide emit; id enim non furi, ſed Domino reſtituere debet, quamvis pretiô, quod pro eo expendit, eum fruſtrari contingat.

Equidem durum eſt, quòd quis pretium ſincerè, & bona fide datum amittere debeat ; ſed ſi talis nullius conſcientiæ vir, ſi fur ille obiiſſet, ſi non inveniretur, ſi ſolvendo par non eſſet ; tamen hujusmodi res, ex omnium confeſſo, Domino reddi deberet. Ergo &c.

Non

Non ignoramus, multos Theologos nobis hìc esse contrarios, atque tueri, quòd ille, qui quidpiam à fure emit, illud ei reddere possit, ut pretium suum consequatur. Sed nihilominùs nostram & tutiorem & probabiliorem censemus, adeoque sequendam.

520 CONCLUSIO. III.

Non semper licet rem vero ipsius Domino restituere, putà cùm ex hac restitutione grave ipsi aut alteri imminet nocumentum spirituale aut temporale, quod quis sine gravi proprio detrimento impedire potest.

Ratio est; quia unusquisque damnum alterius quantùm potest avertere tenetur; tùm quia mandavit Deus unicuique de proximo suo; tùm quia eò potissimùm tendit lex fraternæ dilectionis, ut proximi ruinam impediamus. Sed qui Domino reddit rem, quam prudenter judicat ipsi aut alteri perniciosam fore, vel in spiritualibus, vel in temporaneis, damnum ejus, quantùm potest, non avertit. Ergo peccat, qui v. g. reddit pecuniam ei, quem cognoscit eâ usurum, ut Beneficium emat, mulierem corrumpat; item qui alicui reddit clavem adulterinam, aut scalas, quibus eum scit ad furta & rapinas esse usurum. Licèt enim hæc omnia per se non ordinentur ad peccatum, ordinantur tamen ad illud ex prava recipientis intentione, quam, si possum, impedire teneor. Dicitur *si possum*; non enim teneor grave subire detrimentum, ut alterius peccatum avertam; ipse sanè malitiam suam sibi imputet, hæc mihi perperam imputaretur; cùm id unum intendam, ut rebus meis consulam, easque à damno liberem. Cavendum tamen, ne quis rem suam, etiam levis momenti, alterius saluti anteponat, ut ii faciunt, qui fragilis amicitiæ servi, amicis suis media & vias ad scelus sternunt, ne eos contristent.

Sed quæri hìc potest, cui ergo facienda sit restitutio, si Domino ipsi fieri non possit?

Resp. Id definiri non posse nisi ex circumstantiis, quæ innumeræ esse possunt. Sic deferri debet restitutio, si spes affulgeat, futurum, ut rei Dominus ad meliorem frugem revertatur; sic operariis hujus Domini in summa miseria positis, & qui debita mercede privantur, fieri deberet, &c. 521

Bona quorum Dominus aut Domini hæredes, post diligentem inquisitionem cognosci non possunt eandem subeunt rationem ac bona inventa, atque sicut ista, pauperibus sunt eroganda, aut in pios usus impendenda. Vide quæ de bonis inventis diximus in Tract. cap. 2. Sect. 1. §. 3. n. 2.

§. II.

Quantum & quando restitui debeat. 522

1mo. Tantum restitui debet, quantum ablatum est; non plus aut minus.

Ratio est; quia is est Restitutionis scopus, ut lædentem inter & læsum reducatur æqualitas. Atqui ea reducitur, si tantum quis reddat, quantum abstulit.

Si quis rem alterius in individuo habeat, eam etiam in individuo restituere tenetur, nec satisfacit obligationi suæ, si aliam, licèt æquè bonam invi-

invito Domino reddat ; quia sic Dominus , præsertim quando specialem in rem suam affectum habet , gravem patitur injuriam ; multa sunt enim , quæ, ab amicis , aut majoribus accepta , sibi eripi viri etiam sancti molestissimè ferunt.

Si tamen eadem res in specie restitui nequeat , quin inde peccator occultus manifestandus sit , satis est , ut reddatur æquivalens. Quòd si res non extet eadem numerô , tunc restitui debet valor ejus , si notus sit ; si verò ignotus sit, sive quia generatim assignari non potest certus ablatæ rei valor , v. g. famæ , honoris ; sive quia rei destructæ quantitas ignoratur , ut si quis domum variis supellectilibus instructam combusserit , aut vites incertæ adhuc spei succiderit , adhærendum est judicio viri prudentis , ita ut , re plus inter & minus æstimata , vel attingatur æqualitas , vel ad eam quàm proximè accedatur.

523 2do. Restitutio fieri debet statim , & quamprimùm moraliter fieri potest. Nam præceptum restitutionis , quamvis secundariò affirmativum sit , utpote quod restitutionem imperet ; est tamen primariò negativum , vetat enim detentionem rei alienæ vel alteri debitæ invitô rationabiliter Dominô , ac proinde obligat semper & pro semper. Igitur debita ratione rei acceptæ aut injustæ detentionis statim , quantùm moraliter fieri potest , sunt restituenda ; debita verò ex contractu , tempore secundùm pacta aut leges determinato : si verò tempus præfixum non fuerit , restitutio facienda est vel cùm eam fieri exigit creditor , vel cùm à debitore fieri commodè potest. Hæc omnia sequuntur ex dictis alibi , ubi de mutuo &c.

§. III.

Quo ordine facienda sit Restitutio. 524

Nihil hîc de eo ordine , quo injusti damnificatores restituere tenentur , differemus , quippe de quo sufficienter cap. præced. egimus. Sed hîc nobis duntaxat sermo est de debitore , qui multis creditoribus diversi ordinis debet , nec omnibus satisfacere valet ; ubi enim bona debitoris sufficiunt ad restituendum omnibus creditoribus, potest ipse , quò voluerit ordine restituere , modò tempus , quo restituere tenetur , non prætereat. Per creditores intelligimus hic eos omnes , quibus aliquid debetur , vel quia vendiderunt, vel quia mutuô dederunt , vel quia damnum aliquod passi sunt , &c.

Debita autem multiplicis sunt generis. Nam. 1mo. Alia sunt certa , ut si certò noveris , te Titio centum debere aureos : alia sunt incerta , quod dupliciter contingere potest, 1mo. Si noveris te aureos centum debere alicui , sed quis tandem ille sit , in mentem revocare nequeas. 2do. Si ambigas & dubites an alicui debeas. 525

2do. Alia sunt , quæ in dominium tuum transeunt , ut pecunia à te mutuô accepta , sive expensa sit , sive non ; merces à te emptæ , sive adhuc extent apud te , sive non extent amplius : Alia sunt , quorum verum & plenum dominium non habes , ut pignus , depositum , commodatum ; & à fortiori à te furtô subrepta.

3tio. Debita alia sunt realia , cùm bona creditoris sunt creditori obligata per hypothecam seu generalem , seu specialem : alia personalia , cùm creditor in personam debitoris , non verò imme-

immediatè in ejus bona habet actionem.

526 4to. Debita seu realia, seu personalia, vel sunt privilegiata, ut loquuntur; vel simplicia, sive ordinaria, prout creditores sunt hypothecarii; vel chyrographarii; & utrique vel habent privilegia quædam, quibus præ aliis creditoribus solvantur, vel hisce privilegiis carent.

5to. Debita vel sunt ex delicto, ut si debeas, quia furatus es; vel ex contractu, ut si debeas, quia mutuò accepisti, &c. Item alia sunt ex titulo gratuito, v. g. liberali promissione, legato, &c. Alia ex titulo oneroso, putà emptionis, &c. His prænotatis sequentia stabiliuntur.

527 1mo. Debita certa priùs sunt solvenda, quàm incerta; tùm quia creditor incertus, cùm nequeat per se immediatè recipere rem debitam, non est rationabiliter invitus, ut ipsi præferatur creditor certus, qui immediatè damnum pateretur ex omissione restitutionis, quippè habet jus immediatum ac determinatum exigendi solutionem: tùm maximè, quia in hoc creditor incertus consentire meritò præsumitur, cùm sit opus pium ac Deo gratum subvenire debitori indigenti & gravato ære alieno, ut possit se liberare à creditoribus certis eum prementibus, remanente onere posteà debita incerta solvendi pauperibus, cùm facultas aderit.

528 2do. Debita ex delicto vel titulo oneroso priùs solvi debent, quàm debita ex titulo gratuito. Habetur 1mo. ex Leg. *Inter eos.* 19. ff. *De re judicata.* ibi: *Qui ex causa donationis convenitur, in quantum facere potest, condemnabitur & quidem solus, deducto ære alieno.* Ratio etiam est; quia in omni donatione vel legato hæc semper subintelligitur conditio, *Si res executioni mandari possit sine præjudicio tertii, vel nisi rerum mearum status mutetur:* quia alioqui donatio iniqua foret, tùm respectu tertii, cui præjudicium fieret; tùm respectu dantis, qui ex hac sua liberalitate in summam egestatem redigi posset.

3tio. Debita certa, quæ extant, & non transierunt in dominium debitoris, priùs sunt restituenda. Ratio est, quia hujusmodi debita non numerantur inter bona debitoris, sed sunt in dominio creditoris. Hinc ante omnia restituenda sunt deposita, pignora, commodata, res per furtum, rapinam, usuram ablatæ, &c. 529

4to. Debita realia priùs sunt solvenda, quàm personalia. Ratio est, quia debita realia jure majori debita sunt quàm personalia, cùm illorum solutioni non solùm persona debitoris, sed etiam ejus bona specialiter sint obligata. Atqui sola persona propter debita posterioris generis obligata est. Unde colligitur creditores hypothecarios præferendos esse creditoribus chirographariis; nam illi non solùm personam, sed etiam rem aliquam, hi verò solam debitoris personam obligatam tenent. Ita habetur leg. *Eos, qui acceperunt*, Cod. *Qui potiores in pignore.* & ex Reg. 25. *de Reg. Jur. in 6. plus cautionis in re est, quàm in persona.* 530

5to. Inter creditores hypothecarios præferendi sunt, qui priores sunt tempore, quia potiores sunt in jure, ex Reg. 25. *de Reg. Jur. in 6. Qui prior est tempore, potior est in jure.* Ratio etiam est; quia obligatio posterior tollere non potest jus alteri in re jam acquisitum. 531

 Cæte-

Cæterùm nonnulli posteriores hypothecarii sunt, qui prioribus præferuntur. Ut 1mo. Qui pecuniam credidit ad emptionem prædiorum, ædificationem ædium, atque jus pignoris in iis pactus est. 2do. Qui ad conservationem ædium, priori creditori specialis hypothecæ nomine obligatarum, pecuniam mutuô dedit. 3tio. Qui similiter pecuniam dedit ad conservationem aliarum rerum, v. g. navis, mercium, &c. quique jus pignoris sibi in iis constituit. 4to. Bona mariti tacitè obligata uxori ejusque liberis pro dote; adeò ut aliis creditoribus etiam prioribus habentibus tacitam duntaxat hypothecam (quia habentibus expressam ex communi non anteponuntur) præferantur. 5to. Si ex pecunia pupilli res aliqua comparata sit, in ea tacitam hypothecam pupillus acquirit, & juris prælationem. Idem dicendum, si ex pecunia Ecclesiæ ab ejus Administratore res aliqua comparata sit; Ecclesia enim jure minoris debet semper illæsa servari, &c. Hi enim censentur hypothecarii privilegiati: hæc autem est hypothecariorum ratio, ut qui sunt prilegiati, cæteros antecedant, quamvis tempore sint posteriores.

532 6to. Ex debitis personabilibus, ea priùs sunt solvenda, quæ privilegiata dicuntur. Tale est 1mo. Privilegium Sponsæ de futuro in bonis Sponsi ratione dotis traditæ, non secutô matrimoniô, ex leg. *Quæsitum*, §. *Si sponsa*, ff. *De privilegiis creditorum.* 2do. Ejus, qui deposuit pecunias apud nummularium, non percipiens inde usuras, ex leg. *Si hominum*, §. *In bonis* ff. *De privilegiis creditorum.* 3tio. Ejus, qui ad navem extruendam, instruendam, emendam, pecuniam credidit, ex leg. *Qui navem*, & leg. *Quòd quis navis*, ff. tit. eodem. Quod privilegium extendunt nonnulli ad quamcumque rem aliam comparandam, reficiendam, &c. Alii tamen putant esse privilegium concessum in gratiam navigationis, quæ Reipublicæ utilissima est.

7mo. Si creditores nec reales sunt, 533 nec privilegiati, singulis pro rata satisfaciendum est, sive priores sint, sive non, sive ipsis debeatur ex contractu, sive ex delicto. Ratio est, quia nulla lex, nullum jus sive naturale sive positivum prælationem constituit inter hujusmodi creditores; nam illa regula, *Qui prior est in tempore, potior est jure*, creditoribus tantùm hypothecariis applicatur. Undè si debitor uni creditorum, non privilegiato, aut hypothecario, etiam priori spontè, & non requisitus solveret totum debitum, & aliis creditoribus nihil posset solvere, in fraudem cæterorum ageret, iisque injuriam inferret, ac proindè teneretur de damno alterius creditoris æquale jus habentis, nisi eum juris vel facti ignorantia excusaret.

Diximus *spontè;* quia si quis ex creditoribus personalibus exigat ante alios debiti solutionem, potest & debet debitor ei integrè solvere. Ratio est, quia *vigilantibus jura subveniunt*, & legibus constitutum est, ut qui diligentior est in recipiendo debito, cæteris præferatur, leg. *Pupillus* §. *Quæ in fraudem creditorum.*

Neque etiam creditor personalis præ aliis creditoribus personalibus prælationis jus non habens, sed æquale duntaxat, debitum à debitore spontè offerente acceptum iis restituere juxta multos non tenetur in foro conscientiæ, nisi per fraudem assecutus esset debitum, v. g. simulando gravem inopiam. 1mo. Quia non recipit, nisi quod suum est. 2do. Quia acceptio aliquando bo-

na esse potest, etsi datio mala sit, ut patet tùm in eo, qui in certis casibus à malo ministro Sacramenta recipit; tùm in eo, qui munus prodigaliter datum accipit.

Quibus tamen alii contradicunt; quia, inquiunt, creditor, qui in hac hypothesi totum, quod sibi debetur, accipit, cooperatur homini violanti justitiam. Item cooperatur injustæ aliorum creditorum damnificationi, in quantùm efficaciter impedit, ne iis hic & nunc solvatur, quod ipsis, saltem ex parte, solvendum erat. Atque hæc secunda opinio nobis probabilior videtur. In re tamen intricata & multùm controversa facilè excusat bona fides.

534 In his omnibus tamen sequendæ sunt locorum consuetudines; quæ enim hactenus diximus secundùm dispositiones juris communis accipienda sunt. Generaliter loquendo, prout ex dictis patet, triplex est creditorum ordo. Primus eorum, qui privilegia habent, & cæteris etiam hypothecam habentibus præferuntur. Secundus eorum, qui hypothecam habent, & creditoribus merè personalibus, seu simpliciter chirographariis præire debent. Tertius denique est eorumdem chirographariorum, qui æquali gradu concurrunt.

§. IV.

535 *Quo loco, quibus expensis, & cujus periculo sit restituendum.*

Quando restituendum est ratione injustæ acceptionis, restitutio facienda est impensis debitoris, idque eo loco, ubi Dominus illam possessurus erat, si ablata non fuisset. Ratio est, quia Dominus nullum damnum sentire debet ex iniquitate alterius, sed lege justitiæ ita fieri debet restitutio, ut in pristinum statum restituatur, perinde ac si res ablata non fuisset. Ergo restitutio non debet fieri illius impensis, sed debitoris, qui sibi imputabit, quòd eas subire cogatur.

Ex quo sequitur, injustum debitorem teneri aliquando ad plures sumptus, quàm damnum secundùm se æstimetur; non quidem ut Dominus plus accipiat, quàm sibi detractum est; sed ut restituatur in rei ablatæ possessionem, & damnum ex alterius iniquitate non patiatur.

Attamen non obligatur debitor ad faciendas eas impensas, quas ipse Dominus facere debuisset; non enim tenetur illi cum lucro restituere; sed satis est, si creditor ex ablatione nihil damni sentiat. Item si res non possit sine magnis expensis restitui, potest ex eadem naturali æquitate differri restitutio, modò nihil inde Dominus vel parùm damni capiat. Si tamen is est rerum status, ut nisi modò restituas, posteà nec ipsi Domino, nec ejus hæredibus restituere possis; omninò restituenda est nunc res ipsa, vel justum ejus pretium, quamvis magnæ expensæ essent faciendæ; quia Dominus non ideò debet in perpetuum re sua privari, quòd debitor tantos sumptus circa illius restitutionem impendere cogatur. 536

Quæ autem debentur ratione justæ rei acceptionis, restituenda sunt in loco, ubi habentur, nec tenetur debitor ea suis expensis ad Dominum mittere. Ratio est, quia cum suo damno non tenetur Dominum in pristinum statum restituere, cùm eum per injuriam non deturbaverit; sed solùm tenetur ad custodiam, monitô interim Domi- 537

Dominô, ut significet, quo modo velit eam ad se transmitti, qua in re non tenetur debitor ullos sumptus facere. Imò, si contingat eum in alium locum migrare, nec possit eam commodè apud aliquem, qui restituat, deponere, sed cogatur eam transferre: potest expensas à Domino repetere, utpotè in ipsius utilitatem factas, ut habetur. Leg. 2. *De negotiis gestis.*

538 Quòd si res restituenda supponat contractum, restituenda est expensis dantis, si contractus in solum ejus commodum esset; neque enim par est, ut restitutio fiat expensis illius, cujus commodum non quæritur, alioqui gravaretur aliquis alteri favorem præstando. Expensis verò accipientis, si vertat in ejus utilitatem, idque eo loco ubi est tradita, nisi aliter justa aliqua pactione conventum sit.

539 Quantùm ad quæstionem cujus periculô restituendum sit, ea vertitur de re, quæ ab ipso possessore immediatè Domino reddi non potest, vel quia est absens, vel quia possessoris interest, ut à Domino non cognoscatur: cùm ergo ea res in via perit, seu culpâ nuntii, cui commissa erat, seu casu fortuito, quæritur, quis illud rei damnum subire teneatur.

Antequam respondeamus, notandum volumus, hîc non agi de nuntio, quem creditor ipse elegerit, aut cujus eligendi libertatem debitori reliquerit: in utroque enim casu damnum cadit in creditorem; ut patet. Hoc prænotatô,

540 Resp. 1mo. Res, quam quis sine sua culpa habet, si in via pereat, Domino perit, non remittenti, si is sufficientem adhibuerit diligentiam. Ratio est; quia res, quæ sine mea culpa perit, non mihi sed Domino perire debet. Atqui in præsenti casu, res sine mea culpa perit tam præcedente, quia rem illam viâ iniquâ non possedi, sed legitimâ, ut supponitur: quàm concomitante; quia omnem, quæ necessaria fuit in ea remittenda diligentiam adhibui.

Resp. 2do. Restitutio rei per inju- 541
riam acceptæ seu ereptæ fit periculò debitoris. Ratio est 1mo. quia debitor iniquus Dominum prorsùs indemnem servare debet. Ergo omne periculum subire tenetur. Hinc cap. ult. *De Depos.* statuitur, quòd *culpa præcedente casus etiam fortuitus imputetur.* 2do. Quia si res illa inter ipsas debitoris manus periret, debitori periret, ut omnes fatentur; ergo à pari eidem debitori perit, si pereat inter manus nuntii; quia nuntius rem ferens, personam gerit ipsius debitoris, à quo missus est, seu electus, ut suo nomine rem Domino ferret & redderet. Hinc, ex communi, si debitor adhibitâ etiam maximâ diligentiâ rem nuntio, quem putat fidelem, vel Confessario tradat restituendam Domino, & hi sive ex culpa sive absque culpa rem Domino non reddant; tenetur iterum ad idem restituendum, donec re ipsa Dominus accipiat. Quòd si pluries idem restituere teneatur, id fit per accidens, & sibi imputare debet, nam *Damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis, imputare.* Reg. Jur. 86. in 6.

Resp. 3tio. Res ex contractu debi- 542
ta perit creditori, cùm creditor ejus dominium servat; perit verò debitori, si dominium ejus in debitorem translatum fuerit. Ratio utriusque partis est; quia res quælibet, sicut Dominum suum clamat, ita & eidem perit. Hinc cùm eadem res numerô remittitur ad eum,

à quo

à quo accepta fuit, ut contingit in commodato, deposito, &c. periculum pertinet ad commodantem, quia res nunquam desiit esse commodantis; excipe, nisi aliqua ex parte commodatarii culpa intercesserit. E contrà cùm non eadem numerò res redditur, sed tantùm in genere aut in specie, ut fit in venditione & mutuo, periculum cadit in debitorem, utpotè qui per mutuum & venditionem completam, rei dominium acquisierit: excipe, nisi debitor eam tradidisset personæ ab ipso creditore designatæ, ut paulò ante dictum est, & habetur Leg. 39. & 49. ff. *De Solut.*

543 ## CAPUT V.

De Causis excusantibus à restitutione.

PEr causas, quæ à restitutione excusant, intelliguntur, tùm eæ, quæ restituendi obligationem tollunt, tùm quæ restitutionem in aliud tempus debitori magis commodum differri permittunt. A restitutione liberant præscriptio, Creditoris condonatio seu remissio, & compensatio. Pleræque aliæ causæ permittunt tantùm, ut differatur restitutio, non verò ejus obligationem omninò tollunt. De Præscriptione egimus in Tractatu; de Compensatione autem differemus hìc part. 2. ubi de furto. Igitur

544 1mo. Remissio seu condonatio creditoris, si sit legitima, tollit restituendi obligationem; Ratio est aperta; nam creditor potest donare, quod suum est.

Diximus *si sit legitima*; secùs enim non tollit obligationem. Ut autem legitima sit tria requiruntur, 1mo. Ut non sit à jure impedita, & annullata. Defectu hujus conditionis non potest Canonicus, qui officio non interfuit, retinere distributiones tempori, quo absens fuit, correspondentes, etiamsi remissionem illarum obtinuerit; quia hæc remissio à Concilio Tridentino rescinditur Sess. 24. cap. 12. Pariter qui Ecclesias visitant, si quid accipiant præter necessaria ad victum pro diebus, quibus visitatio durat, duplum intra mensem restituere debent, non obstante quacumque *remissione*, *liberalitate*, vel *gratia*. Ita habetur cap. 2. De Censibus in 6. (*k*). Item nulla est remissio, quæ fit à pupillo, aut furioso, quia leges resistunt. 2do. Requiritur ut creditor possit debitum remittere, & condonare. Hinc filius-familias, quæ patri debita sunt, item procurator, quæ Domino debentur, condonare nequit. 3tio. Remissio debet esse perfectè voluntaria. Hinc remissio facta ex errore, vi, metu, vel fraude, nullius est momenti, aut saltem rescindendi facilè potest; prout fusè diximus, ubi de Contractibus egimus.

2do. Bonorum cessio, quæ, à legibus introducta, fieri dicitur, cùm quis solvendis omnibus suis debitis impar, quod residuum habet boni creditoribus suis dimittit, ne detrahatur in carcerem, aut ut indè liberetur, non dispensat à restitutione debitorem; sed ei, qui bonis ita cessit, vera incumbit obligatio restituendi id, quod solvere non potuit, si quid posteà acquisiverit. Habetur ex Leg. 1. Cod. *Qui bonis cedere possunt* ibi: *Qui bonis cesserint*, 545

nisi

(*k*) Lib. 3. Tit. 20.

nisi solidùm creditor receperit, non sunt liberati: in eo enim tantummodò hoc beneficium cessionis eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem. Et ratio est, quia obligatio restituendi non tollitur sed suspenditur solùm per impotentiam restituendi. Ergo cùm cessio bonorum plus privilegii vel à natura vel à legibus non habeat quàm impotentia, tollere non potest, sed tantùm suspendere, restitutionis obligationem.

Attamen qui bonis cedit potest tutâ conscientiâ retinere, unde parcè & tenuiter vivat secundùm suum statum. Ita Theologi & Jurisperiti communiter; quorum sententiæ omninò favet Lex *Qui bonis*, ff. *De cessione bonorum.*

545 3tio. Quæritur an ingressus in Religionem liberet debitorem à restitutione. Nota: quòd apud omnes constet, validam esse professionem hominis debitis gravati; quia persona ejus est libera; nec jure positivo irritatur, ut declaravit Clemens VIII. an. 1602. quoad hoc punctum abrogans quod Sixtus V. statuerat. Uterque tamen Pontifex prohibuit, ne in Religionem recipiantur ære alieno gravati. Modò ad propositam quæstionem Respondemus

1mo. Si debitor habeat bona, tenetur ante ingressum restituere; nam nullam habet justam differendi causam. 2do. Secundùm multos, si debitor possit brevi tempore v. g. paucis annis, consuetis laboribus solvere debita saltem magna ex parte, tenetur differre ingressum, ut ea solvat; quia alioqui creditores essent rationabiliter inviti, & sic injuriam iis inferret. 3tio. Si debita sint incerta, ideoque in pia opera impendenda, debitor potest religionem ingredi, licèt manens in sæculo possit solvere; quia poterit, saltem ex consilio Confessarii, ea sibi tanquam pauperi applicare ad opus Deo gratum & meritorium, ut nempe possit ingredi Religionem. 4to. Si debitor non possit debita solvere, nisi longo tempore, vel insolitis laboribus, secundùm multos potest licitè Religionem ingredi, relictis omnibus suis bonis in manibus creditorum; quia in hoc casu debitor pateretur damnum in bonis spiritualibus longè majus quàm sit commodum creditorum: undè hi non sunt rationabiliter inviti. Alii tamen non pauci id negant, tùm quia jure naturali talis debitor tenetur ex justitia restituere, ideoque injuriam inferet, si voluntariè se impotentem reddat ad solvendum: obligatio autem justitiæ prævalet consilio; Religio autem est tantùm de consilio. Tùm quia sicut stuprator virginis sub promissione matrimonii tenetur abstinere ab ingressu Religionis, ut promissioni onerosæ satisfaciat, sic etiam talis debitor tenetur abstinere ab ingressu Religionis, ut onerosis debitis suis satisfaciat.

4to. Quæritur an immunis sit à restituendo, qui restituere non potest nisi cum dispendio bonorum superioris ordinis. 547 Nota triplicem distingui bonorum naturalium ordinem, supremum scilicet, medium, & infimum. In supremo ordine sunt vita, membra, virginitas, & libertas: in ordine medio honor, fama, & bonum nomen, quod melius est, quàm divitiæ multæ: in infimo autem, bona fortunæ, divitiæ, &c. his notatis

Resp. Debitor non tenetur restituere cum dispendio bonorum ordinis superioris, si hæc juxta communem prudentum æstimationem longè superent damnum, quod patitur creditor, cui non fiet restitutio: Si verò bona inferio- 548

ferioris ordinis talia sint & in tanta quantitate, ut prudenter comparentur, aut prævalere judicentur bonis ordinis superioris, tunc facienda est restitutio bonorum inferiorum etiam cum dispendio superiorum.

Ratio 1mæ. partis est; quia nemo credet hominem teneri vel vitam manifesto periculo objicere, vel se ipsum vendere, ut famam æqualis sui restituat; neque id exigi rationabiliter potest ab eo, cujus honor læsus fuit: & verò tunc non servaretur æqualitas, quandoquidem debitor longè plus pateretur detrimenti, quàm sit detrimentum creditoris. Hinc vulgò docent, mulierem, quæ ex adulterio prolem suscepit, non teneri crimen revelare, ne in bonorum divisione damnificentur filii legitimi, cum quibus dividet filius spurius.

Ratio 2dæ. partis est, quia etsi fama sit ex genere suo majus bonum quàm divitiæ; si quis tamen, vilis præsertim homo, magnam alienæ pecuniæ quantitatem subripuisset, quo nonnisi cum dispendio famæ raptoris restitui posset, certum est pecuniæ hujus restitutionem faciendam esse cum periculo famæ raptoris, modò nihil aliud esset timendum. Ergo bona ordinis infimi aliquando restitui debent per bona ordinis superioris.

549 Probabilius ac certius etiam videtur, quòd is, qui alium læsit in bonis supremi ordinis, teneatur restituere per bona ordinis infimi, cùm aliter non potest. Habetur ex S. Thoma 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. ubi sic loquitur: *Quando id, quod ablatum est, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est, putà cùm aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ secundùm arbitrium boni viri.* Et ad 2. *Si non possit famam restituere, debet ei aliter compensare, sicut & in aliis dictum est.*

Ratio est; quia pejor esse non debet conditio hominis, qui læsus est in bonis supremi ordinis, quàm illius, qui in bonis inferioribus læsus est. Atqui pejor foret ex omni parte conditio prioris, quàm posterioris; prior enim plùs passus esset damni, & nullatenus compensaretur; posteriori verò, etsi minùs passo, ad æqualitatem restitueretur.

5to. Quæritur an qui debiti immemor creditori gratis tantum donat, quantum ei debet, liber sit à restituendo. 550

Resp. negat. Quia tamdiu quisque debitor remanet, quamdiu debitum suum per justitiam non expunxit. Sed qui gratis donat, justitiæ, quæ necessaria est, & cum liberalitate pugnat, actum non exercet. Ergo semper remanet debitor: unde & creditor debitum repetere potest, nisi ex manifestis conjuncturis colligat, debitorem donum suum habere voluisse pro soluto, si quid deberet.

Nec obstat, quòd, si debitor debiti sui meminisset, gratis non donasset. Nam aliud est *fecissem*, aliud *feci*, præsertim in pactis, in quibus non attenditur voluntas conditionalis, sed solùm actualis, utpotè quæ sola operari possit.

6to. Quæritur an immunis à restitutione sit, qui creditoris sui creditori solveret, quod debet. 551

Resp. Multi affirmant, modò debita utriusque sint ejusdem naturæ, nec sint alii priores creditores privilegiati, & hypothecarii. Quia, inquiunt, solvendo fratri meo centum, quæ illi debes, emo & acquiro jus quod habebat exigendi à te centum: at jus, quod habeo in te, tanti valet, quanti illud, quod tu habes in me. Sed hæc ratio non omnes convincit; & certè id non licet invito creditore: nam creditor habet jus exigendi, & accipiendi id, quod ei debetur, & debitor habet obligationem solvendi suo creditori id, quod ei debet; nec debitoris est creditoris sui debita solvere. Et verò in foro externo cogar iterùm solvere tibi, nisi meâ causâ factus sis debitor alteri, vel nisi ob rem alterius debitum contraxerim; ut si gerens mea negotia mutuum ab alio acceperis, vel si conduxi à te domum, quam tu ab illo conduxisti.

552 7mo. Quæritur an inopia, necessitas, aut impotentia, restituendi obligationem tollant.

Resp. Per inopiam hominem liberari à restitutione, juxtà tritam apud Germanos parœmiam; wo nichts ist, hat der Kayser das Recht verlohren. Ut & per impotentiam; quia ad impossibile nemo tenetur; intellige hîc & nunc faciendâ, nempe quamdiu inopia illa & impotentia durant; adeo ut restituendi obligatio per eas differatur, non verò omninò tollatur.

553 Circa necessitatem verò, ad quàm reduci possunt & sub ea intelligi inopia & impotentia, notandum, eam tripliciter distingui. Una dicitur *extrema*, quæ est status in quo persona usque adeo indigens est, ut periclitetur de vita, nisi ei subveniatur. Altera *gravis*, cum scilicet quis tam notabiliter patitur in vita, ut vix eam sustentet; aut obnoxius est periculo incurrendi morbi, magnive incommodi morte tamen minoris. Tertia nominatur *communis*, cùm scilicet quis propter inopiam difficulter victitat. Hæ necessitatis corporalis definitiones ad necessitatem spiritualem transferri, eique accommodari facilè possunt. His præmissis sequentia stabiliuntur:

1mo. Extrema necessitas tam corporea quam spiritualis, sive nostra, sive proximi, causa est restitutionis differendæ, seu tòllit hîc & nunc obligationem restituendi. Ratio est; quia ex vulgari axiomate, in extrema necessitate omnia, saltem quoad usum, sunt communia. Hinc si restituere nequeas nisi adigendo filias tuas in periculum prostitutionis, aut filios in periculum latrocinii, &c. potes & debes restitutionem differre; graviterque peccaret creditor, nisi huic dilationi consentiret. 554

2do. Gravis necessitas & impotentia moralis, sive debitoris, sive eorum, quos alere tenetur, est etiam sufficiens restitutionis differendæ causa. Ratio est; quia differri potest solutio, cùm creditor est rationabiliter contentus, ut ea hîc & nunc non fiat. Atqui in gravi debitoris necessitate præsumi potest, Dominum esse rationabiliter contentum, quòd hîc & nunc restitutio sibi non fiat; cùm in tali casu teneatur unusquisque proximo opitulari, vel donando, vel mutuum dando. Ex Leg. 173. ff. *De Reg. Jur.* 555

Hinc colligunt Theologi omnes 1mo. eos non teneri ad restituendum hîc & nunc, qui, ut restituerent, deberent vendere domum vel prædium multò minoris, quàm valeat. 2do. Neque etiam teneri notarium, aut falsos testes, 556

stes, qui falsum instrumentum condiderunt, damnum à se illatum statim reparare, si statim reparando magnæ infamiæ periculum subeant. 3tio. Denique, nec eos statim restituere teneri, qui restituendo è statu, quem justè comparaverunt, necessariò exciderent. Secùs dicendum de eo, qui rapinis, fraudibus, usuris ad statum altiorem pervenisset: talis enim etiam cum jactura gradus illius sibi indebiti restituere debet; quia hoc non est statum amittere, sed dimittere alienum, & ad proprium reverti. Neque etiam dilationem merentur, qui ludis, commessationibus, libidinibus, impensisque omninò superfluis debita accumulant: ii enim dum, per debitorum solutionem, angustiori, quàm anteà, modô vivere coguntur, ad frugem revocantur, atque prioris iniquæ vitæ infamiam abstergunt, & datum scandalum reparant.

557 3tio. Quòd si gravis sit utriusque, debitoris & creditoris, necessitas, debitor tenetur restituere. Ratio est 1mo. Quia sola extrema necessitas omnia facit communia. 2do. Quia Dominus est, & esse potest rationabiliter invitus, quòd res sua ab alio detineatur in præsenti casu, atque id adhuc evidentius est, ubi debitum ex delicto contractum est; cùm ratio dictet innocenti potiùs, quàm reo favendum esse.

4to. Si verò debitor ac creditor in extrema necessitate ambo sunt constituti; ante omnia videndum est, an creditor in hanc necessitatem conjectus ex eo fuerit, quòd res sua sibi ablata fuerit, ut si Petro panem unicum, quo mortem vitaturus erat, abripueris: an verò extrema creditoris necessitas alia ex causa nascatur, ut ex casu fortuito, ex alterius, quàm debitoris, injustitia, &c. &c.

Si primum. Dicendum est, debitorem teneri ad restitutionem hujus rei, per cujus subtractionem creditor in extremas conjectus est angustias. Ratio est 1mo. quia in pari causa melior est conditio possidentis. Atqui creditor seu Dominus, non fur, ut qui rei ablatæ injustus duntaxat est detentor, supponitur hîc esse possessor. Ergo. 2do. Nemini unquam fraus sua patrocinari debet. Atqui fraus & crimen reo patrocinaretur, si circa rem, quam furtô acquisivit, legitimo hujusce rei Domino anteponeretur. Ergo.

Si verò secundum, censent bene multi, debitorem in extrema constitutum necessitate, non teneri ad restituendum hîc & nunc; quia 1mo. in extrema necessitate omnia sunt communia. 2do. quilibet tenetur magis ad propriæ vitæ, quàm ad alienæ, conservationem. 3tio. melior est conditio possidentis; quæ rationes, inquiunt hi Theologi, saltem valent, cùm agitur de eo, qui non est nisi causa innocens, cur alter in pari extremæ necessitatis casu sit constitutus.

Diximus suprà *inopiam*, *impotentiam* 558 *& necessitatem gravem & extremam hîc & nunc*, *& quamdiu durat* (intellige cæteris, quæ deduximus, paribus) *eximere ab onere restitutionis, &c.* Nam transacta necessitate illa, propter quam dilata fuit restitutio, urget restituendi obligatio. Ratio est, quia tamdiu remanet restituendæ rei alicujus obligatio, quamdiu Dominus rationabiliter exigit, ut res illa sibi restituatur, ejusque dominium in alterum non transfert. Atqui transacta tua extrema necessitate, rationabiliter exigit Dominus, ut res sua sibi restituatur; potuit enim legitimè ejus usum concedere ea lege, ut ipsius restitutio sibi fieret, statim ac fieri posset. Ergo

559 7mo. Denique, quæritur, an qui differt solvere vel restituere id quod debet, teneatur creditori compensare lucrum cessans, & damnum emergens.

Resp. 1mo. eum teneri, quando debitum est ex delicto. Ratio est; quia debitor tenetur eum, cui debet, restituere in illum statum à quo eum injustè deturbavit. Atqui nisi compensaret lucrum cessans, &c. non restitueret creditorem in statum illum, à quo eum deturbavit. Ergo qui ex delicto debitum contraxit, etiamsi eo tempore, quo lucrum Domino cessat, aut damnum emergit, non sit par restituendo, tenetur tamen de lucro cessante & damno emergente; quia dum voluntariè eorum causam posuit, eorum quoque periculum subire debuit.

2do. Tenetur adhuc debitor de damno emergente, &c. quando etsi non fuerit debitor ex delicto, fuit tamen in mora solvendi, cùm solvere poterat. Ratio est; quia in hoc casu, etsi non fuerit ab initio debitor ex delicto, fuit tamen deinceps quasi debitor ex delicto, quatenus eo, quo restituere potuit & debuit, tempore non restituit. Et verò talis homo propter iniquam restituendi moram adversùs justitiam peccat. Atqui ex violatione justitiæ nascitur obligatio restituendi. Ergo.

3tio. Si autem debitoris mora culpabilis non fuerit, probabilius est eum ad nullam restitutionem erga Dominum, qui damnum patitur, teneri. Ratio est; quia ad inducendam restitutionis obligationem requiritur, ut quis sit causa injusta damni. Sed ubi mora culpabilis non est; ibi nulla est, aut esse potest injusta causa damni, ut ex terminis patet. Ergo. Suffragatur Regula 41. Juris in 6. ibi: *Imputari non debet ei, per quem non stat si faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Atqui si teneretur debitor in casu proposito de lucro cessante, aut damno emergente; jam ei imputaretur quod non potuit facere. Ergo.

Si tamen quis differat solutionem, ut lucrum aliquod grave faciat, non autem ut à gravi & extrema necessitate se liberet; tunc ad restituendum obligabitur, si Dominus seu creditor damnum patiatur; quia non tenetur creditor damnum proprium pati, vel ut lucrum faciat debitor, vel ut ab aliquo detrimento indemnem se servet.



PARS

PARS SECUNDA.

560 *De injuriis, & restitutione in particulari.*

QUot sunt bona, in quibus aliquis injuriam pati potest & exigere restitutionem, tot erunt hujus secundæ partis capita. Hæc autem bona quadruplicis sunt generis, scilicet bona spiritualia; bona corporis; bona honoris & famæ; ac demum ea, quæ dicuntur bona fortunæ, seu opes aut divitiæ. De his seorsim igitur disserendum nobis incumbit; generalia enim, quæ hactenus stabilivimus, principia haud sufficiunt ad innumeros, quia in hac materia occurrunt, casus resolvendos.

CAPUT PRIMUM.

De injuria in bonis spiritualibus, eorumque restitutione.

BOna spiritualia latè hîc accipimus, atque hoc nomine non solùm ea intelligimus, quæ immediatè conducunt ad salutem, ut gratia; aut mediatè, ut Religionis status; sed etiam quæ remotè ad eam ordinantur, ut bona animæ, seu naturalia sint, ut memoria & intellectus; seu acquisita, ut scientia & ars. Imò hac occasione etiam quæri solet, an restituendum sit id, quod quis accepit sive ad faciendum bonum, ad quod jam tenebatur, sive ad abstinendum à malo: seu denique ob factum vel faciendum actum turpem; verùm hac de re jam egimus in Tractat. cap. 3. §. 11. num 434. &c. &c. Reliqua hîc ordine expendimus.

§. I.

De Restitutione ob damnum illatum in bonis, quæ ad salutem immediatè, vel mediatè conducunt. 561

Duo hîc quæri solent. 1mo. An ad restituendum teneatur, qui alteri nocuit in bonis spiritualibus pertinentibus ad gratiam, seu ipsum ab operibus piis retrahendo, seu eum ad peccatum impellendo. 2do. An etiam restitutioni obnoxius sit, qui alium avocat à statu Religionis, aut eam jam professum ab illa abducit.

CONCLUSIO. I. 562

Qui alterum vi, metu, vel fraude, vel alio modo injusto, induxit in pec-

 catum,

catum, vel abduxit à bono opere, vel virtute, tenetur ex justitia ad procurandam damni hujus reparationem.

Prob. Quilibet habet jus ne injustè damnum patiatur in bonis animæ sicut in bonis corporis. Atqui qui alterum vi, metu, fraude vel alio modo injusto ad peccatum inducit, vel à bono opere vel virtute abducit, est causa injusta talis damni, eumque decipit in suis bonis spiritualibus, atque ei facit injuriam. Ergo lædit ipsum injustè in suo, quod habet jure; consequenter tenetur ex justitia ad procurandam damni hujus reparationem.

Hinc sequitur 1mo. Eum, qui aliquem impellit ad peccatum alicui tertio nocivum, teneri ad restitutionem; prout suprà ubi de consulente diximus. 2do. Eos, qui aliis sunt petra scandali & lapis offensionis, graviter peccare non modò contra charitatem, sed & contra justitiam, atque hujusmodi aliorum corruptores ad restituendum teneri, eo saltem sensu, quòd precibus suis efficere debeant, ut ii, quibus scandalo fuerê, Deo reconcilientur. 3tio. Eum, qui per metum aut vim proximum in hæresi, schismate, errore detinet, teneri amotis vi & metu eumdem pristinæ libertati restituere. 4to. Hæreticum, qui alios decepit, teneri fraudem detegere, seu confitendo se hæresim docuisse, seu veritatem, quam ante palàm impugnavit, palàm etiam in Scriptis vel concionibus prædicando. Idem dicendum de iis, qui bona fide aliquid docuerunt, quod posteà ab Ecclesia reprobatur.

563 CONCLUSIO II.

Qui sine vi, metu & dolo alium in peccatum induxit, non videtur ad restituendum obligari, nisi sit Superior.

Prob. Quia scienti & liberè consentienti non fit injuria. Sed qui sine vi & dolo ad peccatum inducitur, sciens omninò, & liberè volens consentit. Ergo.

Diximus, *nisi fortè sit Superior;* quia Superior, qualis est Pater respectu filii, Dominus respectu famuli, Prælatus respectu subditi, tenetur ex officio, adeoque & ex justitia subditorum salutem quærere.

CONCLUSIO III. 564

Qui vi, metu, calumnia, fraude, mendacio, aliove modo injusto impedit, vel avertit aliquem à Religionis ingressu aut professione, peccat graviter, & tenetur vim ac fraudem tollere, & ei suadere ingressum seu reditum, & Monasterio compensare quanti valebat spes commodi temporalis, quod ex ipsius donatione, labore ac industria expectabatur, si injustè abductus non fuisset.

Prob. Ibi est obligatio restituendi tùm Religioni, tùm ei, qui ab ipsa retrahitur, ubi gravis utrique infertur injuria. Atqui in casu præsenti utrique gravis injuria infertur. 1mo. quidem ei, qui Religionem ingredi proposuerat; quia ubi vis est aut fraus, &c. ibi est injuria. 2do. Religioni, quæ jus habet, ne quis per vim, fraudem, &c. ab ea divertatur aut extrahatur cum ipsius præjudicio, & damno etiam temporali. Ergo.

CONCLUSIO IV. 565

Qui alterum sine vi, fraude, mendacio, aliave via injusta, licèt sine justa causa, avertit à Religionis ingressu, vel professione, non tenetur ad restitutionem.

Prob.

Prob. Qui taliter aliquem avertit &c. nec ipsi injuriam facit, cùm hæc non fiat volenti; nec Religioni, quia quidquid boni ea à Novitio sperare potest, omninò ab ejus voluntate pendet; adeoque cùm is voluntatem spontè & liberè mutat, nulla Religioni infertur injuria. Ergo.

Diximus *licèt sine justa causa.* Quia etsi talis non peccet contra justitiam, peccat tamen contra charitatem, retrahendo talem canditatum sine justa causâ à maximo bono; unde Concil. Trident. Sess. 25. cap. 18. excommunicat *eos, qui sanctam Virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, quoquo modo sine justa causa impedierint.* At verò bonum opus operatur, qui legitimis de causis aliquem à Religionis ingressu dimovet, ut si quis videat quempiam Religioni ineptum; si in Religione, quam ingredi vult, non vigeat regularis disciplina, sed è contrà amor sæculi & voluptatis, mundana politia, spiritus schismatis & erroris; si ejus parentes egeant; si qui Religionem amplecti cupit, longè plus boni in sæculo operetur, quàm in secessu operari possit.

566 CONCLUSIO V.

Qui Religiosum professum, etsi sine vi & dolo, sed solo consilio & precibus à Religione abduxit, videtur ex justitia teneri Monasterio, ex quo illum abduxit, compensare damna temporalia inde secuta.

Prob. Religio seu Monasterium habet jus retinendi suos subditos tanquam membra, & Religiosus per vota totum se tradidit Religioni in honorem Dei, & sic Religio habet jus ad commoda, quæ præstitisset, & quibus privatur per abductionem. Atqui qui Religiosum professum à Religione abducit, jus illud Religionis seu Monasterii violat; Ergo eidem infert injuriam; Ergo tenetur ad restitutionem.

Confirm. Ex dictis alibi, Abducens servum à Domino tenetur ad restitutionem. Ergo à pari, &c.

§. II.

De restitutione facienda propter damnum in aliis bonis spiritualibus. 567

Item

De restitutione facienda ab eo, qui propter actum debitum aliquid accepit.

In aliis, quæ ad animam utcumque pertinent, bonis alius alium triplici modô damnificare potest. 1mo. Lædendo eum in ipsa, si ita loqui fas est, animæ substantia, ut cùm quis potione aliqua alteri rationis aut memoriæ usum aufert. 2do. Vel eum aliquid mali docendo in iis, quæ ad scientiam vel artem pertinent, vel eum negligenter instruendo. 3tio. Impediendo ne bonum aliquod spirituale aut spirituali annexum consequatur, ut officium, beneficium, dignitatem: quod, ut ex dictis patet, dupliciter impediri potest, nimirùm vel vi, metu, & dolo, &c.; vel sine vi, putà precibus, blanditiis, suasionibus, &c. Quod hîc de bonis spiritualibus dicitur, ad alia cujuscumque generis bona extendi facilè potest.

CONCLUSIO. I. 568

Qui maleficiô, venenô, vel alio modo aliquem reddidit mentis, vel memoriæ impotentem, aut usu alterius potentiæ naturalis privavit, vel vi aut fraude pertraxit ad aliquid sumendum, ex

ex quo tale damnum ſecutum eſt, peccavit graviter contra juſtitiam, & tenetur omne damnum, quod inde ſecutum eſt, reſtituere.

Prob. Qui cauſa eſt damni, damnum reparare tenetur. Atqui qui venenô &c. eſt cauſa illorum damnorum, per injuriam violando jus, quod proximus habet ad bona illa ſpiritualia, quodque non minùs ſtrictum eſt, quàm jus ad cætera ſua bona, quæ poſſidet. Ergo.

569 CONCLUSIO II.

Qui alium ſcientiam aut artem aliquam vel malè vel negligenter docuit, ſi ratione officii aut pacti alios inſtruere tenebatur, obligatur ad reſtitutionem.

Prob. Quia damnificator injuſtus ad reparationem damni tenetur. Sed qui ratione officii aut pacti tenetur ad docendum, eſt damnificator injuſtus, ſi alios, ut decet, non erudiat. Ergo.

Diximus *Si ratione officii aut pacti &c.* Qui enim ex mera charitate alium docet, quamvis id paulò negligentiùs faciat, non tenetur ad reſtitutionem; quia talis Diſcipulus nullum jus habet, ut ab eo diligenter doceatur; niſi taliter docens id doloſè agat ſciens & volens, noveritque alium Magiſtrum hunc docere volentem diligentiùs ultrò inſtituturum eſſe, tùm tenebitur ad reſtitutionem; quia jus hujuſce Diſcipuli violat, quod habet, ne decipiatur.

570 CONCLUSIO III.

Qui alium impedit à conſecutione boni, ut Beneficii, vel officii, quo dignus erat, vel alterius boni ex juſtitia non debiti, ut doni, legati, &c. tenetur ad reſtitutionem, ſi uſus ſit vi, aut dolô, &c.; ſecùs ſi precibus tantùm, ſuaſione & conſilio.

Utraque pars probata manet ex dictis: unuſquiſque enim jus habet, ne alter à bono ſibi faciendo per vim aut dolum avertatur, aut impediatur. Nemo autem habet jus impediendi, nequis amico ſuo precibus, aut aliter perſuadeat, ut bonum, quod uni deſtinabat, alteri conferat: hujuſmodi enim preces non impediunt, quin alter liberè de ſua re diſponat, etſi eum determinent, ut de ea in hujus potiùs quàm in alterius gratiam diſponat. Et hoc verum eſt, etiamſi quis ex odio, vindicta, nocendive animo alium ab hujuſcemodi boni conſecutione impediat; non enim charitatis, ſed juſtitiæ violatio reſtituendi obligationem parit.

Diximus in 1ma. parte Concluſionis, *teneri talem, qui vi, dolô, &c. utitur &c. ad reſtitutionem*, non quidem æqualis rei alicujus ei bono, quod impedit; ſed quanti duntaxat judiciô prudenti ea, quam habebat, bonum illud obtinendi ſpes valebat. Ratio eſt, *quia*, ut ait S Thomas 2. 2. q. 62. a. 2. ad 4. *gratiam illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri.* Quòd ſi nulla erat ſpes, non teneretur reſtituere damnum, cùm re ipſa nullum intulerit: Si tamen exigua ſpes fuiſſet, compenſanda eſt judiciô prudenti.

Qui autem a conſecutione Beneficii Eccleſiaſtici, vel officii, aliquem indignum impedivit per vim & fraudem, licèt peccaverit, non tenetur damnum illud reſtituere, quia non fecit injuriam, cùm nullum jus ad illud habeat, utpotè indignus; ſimiliter dicendum de eo, qui iniquâ viâ promovendus erat, &c.

CON-

571 ## CONCLUSIO IV.

Accepta pro actione vel omissione debita ex justitia restitui debent danti.

Prob. 1mo. Quæ accipiuntur pro actione vel omissione debita ex justitia, accipiuntur per injustitiam, nempe contra jus, quod habet proximus, ut id fiat vel omittatur sine sumptu suo. Atqui accepta per injustitiam restitui debent. Ergo. 2do. Nihil sine titulo seu jure ex justitia accipi & retineri potest. Atqui in præsenti casu nullus est titulus seu jus accipiendi & retinendi; neque enim oritur ex contractu oneroso, cùm hujus sit natura, ut utrimque obligationem pariat: nulla autem obligatio nova imponitur ei, qui jam ex justitia obligatus est: non item ex pacto gratuito, quia danti non est animus liberaliter donandi, sed dat coactè, scilicet ex metu injuriæ, & ne jure suo defraudetur. Ergo. Hocque verum est, etiamsi pretium tibi detur ab alio tertio, cui nihil debebas: nam ille verè dat pro te, quam gratis dare debes, & ad quam jus habet is, cujus causam gerit, & pro quo petit: ac proinde ei vendis mediante pretio ab amico dato id, quod ei ex justitia debes.

Hinc peccant contra justitiam, & tenentur restituere, qui aliquid accipiunt pro ferenda justa sententia; pro dicendo vero testimonio; pro restituendo deposito, commodato, invento, vel pro solvendo debito, vel ad abstinendum à furto, homicidio, & detractione, &c cùm hæc omnia ex justitia debeantur.

572 ## CONCLUSIO V.

Accepta pro opere debito ex charitate tantùm, vel ex aliis virtutibus, quod sine labore, sumptu, aut periculo, fieri potest, restitui debent.

Ratio est; quia communi hominum judiciò talia opera non sunt pretiò æstimabilia; nec omninò voluntariè ac liberaliter aliquid pro illis datur, sed coactè ob necessitatem.

Hinc, qui accipit pecuniam, ut furem indicet, &c. tenetur eam restituere.

Si autem opus illud ex sola charitate debitum fieri nequeat sine labore vel sumptu, vel periculo; aliqui docent accepta pro eo retineri posse: quia qui pro illo accipit vel exigit pretium, peccat solùm contra charitatem, cùm opus illud sit pretiò æstimabile. Alii verò nihil distinguunt, & censent accepta quo quovis opere ex charitate vel ex alia virtute debito esse restituenda; quia inique exigitur & accipitur pretium pro opere, quod nullo oblato pretio præstari debet, ut dans coactè & rationabiliter invitus dedit, quippe timuit, ne alioqui non fieret id, quod debetur.

CONCLUSIO VI. 573

Quod spontè ac liberaliter, & per modum donationis omninò gratuitæ, præcisè ad inclinandum accipientem ad bonum opus ex justitia vel charitate debitum faciendum, alicui concessum est, ab ipso non est restituendum, nisi leges donationem hanc reprobent.

Ratio est, quia licet unicuique per leges non impedito boni sui dominium in alium transferre; atque donatio gratuita ac voluntaria est justus titulus retinendi donum gratuitum.

Diximus, *Nisi leges donationem hanc reprobent*. Lege positiva sancitum enim, ne Judices munera, quantulacumque sint,

sint, etiam poculenta, & esculenta recipiant. Quin & Constantinus ultimô exitiô puniri voluit eos Judices, qui xenia & munuscula non rejicerent. Et re ipsa *xenia & dona excæcant oculos Judicum.* Eccli. 20. vers. 31.

574 CONCLUSIO VII.

Qui aliquid accipit pro actione vel omissione, quæ solùm cedit in suum commodum, vel in honorem Dei, non tenetur illud restituere.

Ratio est, quia illud ex causa, vel sub conditione, omninò voluntariè & liberaliter donatum est: nemo enim emit ab alio actiones vel omissiones liberas ei soli utiles: ut si des alteri aliquid, ut sacrum audiat, jejunet, ne inebrietur, &c.

575 CAPUT II.

De injuria in bonis, quæ ad corpus spectant, necnon ut de eorum restitutione.

Duplici ex capite lædi possunt bona corporis. 1mo. Per homicidium, aut mutilationem, & alia ejusdem generis. 2do. Per stuprum, adulterium, & similia. De quibus distinctis paragraphis agemus.

§. I.

576 *Quid & quale peccatum sit Homicidium.*

Quintum Decalogi mandatum est, *Non occides*; quo homicidium vetatur; quod definitur: *Injusta hominis occisio*, vel *Corporis humani animati injusta peremptio.*

Dicitur 1mo. *Corporis*; nam occisio animæ, quæ fit per peccatum aut scandalum, non dicitur *homicidium* nisi metaphoricè. 2do. *Humani*; qui enim bruta occidit, non peccat, ut falsò docebant Manichæi contra hoc Genes. 9. *Omne quod movetur & vivit erit vobis in cibum.* 3tio. *Animati*; neque enim homicida est, nec ut talis punitur, qui hominem mortuum transfodit. 4to. *Injusta*, ideoque deliberata, & ab eo facta, qui potestatem non habet: occisio enim licita non dicitur *homicidium*, quia homicidæ & homicidii nomina in deteriorem partem sumi solent.

Occisionis nomine etiam veniunt 577
iniquæ mutilationes, torturæ, percussiones: per hæc enim membrum simpliciter aut dispositivè vitâ privatur; & hæc omnia memoratô quintô Decalogi præceptô prohibentur.

Homicidium ita definitum & expo- 578
situm est peccatum de se mortale.

Prob. Quod gravissimo adversatur præcepto, & hominem contra omnes charitatis & justitiæ regulas privat bonô omnium maximô, & planè irreparabili, illud gravissimum crimen censeri debet. Atqui tale est homicidium. Ergo, &c.

Gravius autem potest fieri illud crimen ex circumstantiis. Ut si occisus sit Reipublicæ necessarius, si sit Sacerdos, consanguineus. 2do. Si occisus sit in loco sacro. 3tio. Si de industria quæsitus sit ad necem, si eum occidendi animus diu servatus fierit, &c.

§. II.

An homini se[illegible]etipsum occidere sem- 579
per [illegible]hibitum sit.

Homicidium [illegible] sumptum pro omni occisione etiam justa, dividitur 1mo.

1mo in homicidium sui, & alterius. 2do. Homicidium alterius, in illud, quod fit auctoritate publica, & illud, quod fit privatâ. 3tio. Quod fit auctoritate privata, vel fit ob necessariam sui defensionem, vel non. 4to. Quod fit sine hac necessitate, vel est casuale, vel voluntarium. 5to. Voluntarium, vel directè volitum est, vel indirectè duntaxat. 6to. Quod est directè volitum, vel fit ex condicto, vel non fit ex condicto. Hic de suicidio seu sui ipsius homicidio agemus, de reliquis sequentibus paragraphis.

Porro duobus modis potest aliquis se ipsum occidere: directè scilicet, ut si gladiô se confodiat; & indirectè vel negativè, ut si se quibusdam periculis exponat, aut id omittat, quo vitam servare posset.

580 CONCLUSIO.

Non licet homini semetipsum directè & proprio motu occidere. Nec se mutilare extra casum necessitatis. At verò licet homini se indirectè & negativè occidere.

Prob. 1ma. pars. 1mo. Ex hoc Decalogi præcepto *Non occides.* Atqui per hæc verba, tam nostra, quàm proximi occisio prohibetur, imò nostra magis quàm proximi: tùm quia non plus habet juris homo in propriam, quàm in proximi vitam; tùm quia hæc est charitatis benè ordinatæ conditio, ut à nobis ipsis incipiat, & hac de causa jubemur proximum sicut nos ipsos diligere. Ergo.

Prob. 2do. Ex S. Augustino lib. 1. de Civit. Dei cap. 17. cujus verba referuntur cap. 9. caus. 23. q. 5. *Si non licet privata potestate alicui hominem occidere vel nocentem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit, profectò etiam qui se ipsum occidit, homicida est.*

In eundem sensum loquitur Concilium Bracarense II. cap. 16. *Placuit ut hi, qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per suspendium, aut præcipitium, aut quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur.*

Prob. 3tio. Non licet facere id, quod Deo, parentibus, & Reipublicæ gravem injuriam infert. Atqui sui ipsius occisio 1mo. gravem injuriam Deo, cujus jura usurpantur, infert; *Tu es enim Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem*, Sap. 16. vers. 13. & Deut. 32. vers. 39. *Ego occidam, & ego vivere faciam.* 2do. Eadem occisio non minùs perniciosa est Reipublicæ, cui civem; & parentibus, quibus filium adimit. Ergo.

Prob. 2da. pars. Quia non magis homo membrorum suorum constitutus est 581
à Deo dominus, quàm vitæ, cujus totalitas à membrorum integritate pendet. Atqui: Ergo. Et verò si licitum esset homini semetipsum mutilare Ecclesia hoc non improbasset. Atqui improbavit, ut patet ex Dist. 55. c. 4. quod desumptum est ex cap. 22. Canon. Apostol. *Si quis abscidit semetipsum, id est, amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia est sui homicida.* Et cap. 6. *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt.*

Quod verò Christus dicat Matth. 5. *Si oculus tuus scandalizat te, erue illum.* Verba hæc metaphoricè duntaxat sunt intelligenda, & significant eas peccandi occasiones, quæ oculis ipsis cariores forent, procul abjici debere. Hinc S. Chrysostomus per *oculum dextrum*

intelligit mulierem amicam; S. Augustinus amicum periculosum, alii aliud, quo in peccatum trahi possemus.

Similiter hæc Christi verba Matth. 19. *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt &c.* non ad litteram duntaxat, sed metaphoricè & moraliter sunt accipienda; nempe de cœlibatûs proposito, aut castitatis perpetuæ voto; prout SS. Patres & Theologi ea interpretantur.

Ex his colligitur graviter peccasse Origenem, atque illius immitatores, qui hunc Matth. 19. textum ad litteram sumpserunt. Adde, quòd, ut docent SS. Patres Basilius, Chrysostomus, & Augustinus, hæc mutilatio concupiscentiam non extinguat, & carnis petulantiam non refrænet, proinde carnis tentationes non tollat, adeoque non sit remedium ad castitatem. Peccant etiam, qui pueros etiam consentientes abscindunt, ut eis vocis suavitatem etiam in Ecclesiæ obsequium conservent.

Graviter etiam peccaret, qui ex intentione, aut etiam advertenter jejuniis aut vigiliis sanitatem suam, aut vitam immoderatè læderet: tùm quia faceret contra charitatem sibi debitam in re gravi; tùm quia, ut ait S. Hieronymus *nihil interest parvo aut magno tempore te interimas.* Undè cap. 24. Dist. 5. De Consecrat. dicitur post eundem S. Doctorem: *De rapina holocaustum offert, qui sive ciborum nimia egestate, vel somni penuriâ, corpus immoderatè affligit.* Imò ibidem prohibetur, ne propter abstinentiam immoderatam, atque indiscretam Psalmorum vel Officiorum decantationem homo tristitiæ notam incurrat.

At verò qui corpus moderatè affligit, pietatis opus exercet, 1mo. Quia id facit, quod faciebat Apostolus, qui 1. Cor. 9. vers. 27. ajebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Atque ejus consilium sequitur, Coloss. 3. vers. 5. *Mortificate membra vestra.* 2do. Quia viri pœnitentiâ & vivendi asperitate celebres longè diutiùs vixêre, quàm vivere soleant, qui carnis desideria sequuntur, & illius curam gerunt. 3tio. Quia tam licet jejuniô & abstinentiâ vitam minuere propter Christum, quàm liceat propter temporale lucrum artes profiteri, quæ vitam sensim atterunt.

Diximus in Conclusione, *extra casum necessitatis*, quia ordo postulat, ut partem in gratiam totius resecare liceat. Hinc licet 1mo. Membrum putridum amputare. 2do. Abscindere manum, si quis eâ ligatus aliter incendium vitare non posset.

Prob. 3tia. pars. Quia licet homini 82
justa de causa variis se se periculis objicere. Licet etiam ei vel quædam omittere media, quibus vitam conservare posset, vel asperum vivendi genus amplecti, quo fieri possit, ut breviori tempore consumatur. Ergo.

Porro hi sunt præcipui casus, in quibus homo censetur se nonnisi indirectè occidere. 1mo. Cùm agitur de bono totius Reipublicæ: unde nemo dubitat, quin miles possit & teneatur manere in statione sua, & in hostes irruere cum certo mortis periculo, si id patriæ saluti opportunum esse viderit. 2do. Cùm avertendum est imminens eidem Reipublicæ damnum. Hac de causa excusant aliqui eos, qui naves suas jam in potestatem hostium deventuras incendunt, etiamsi flammis unà cum navi consumendi sint. 3tio. Cùm agitur de avertendo proximi damno sive spirituali, sive temporali. Hinc licitum non modò est, sed magnæ charitatis

ritatis actus est, peste aliove morbo infectis servire, eosque cum propriæ etiam valetudinis periculo consolari. 4to. Cùm vita propria nonnisi difficillimis mediis servari potest. Sic non habetur ut sui homicida, qui abstinet à pretiosissimis medicamentis, in quibus profundi deberent opes patrimonii; item qui non vult gravissimos cruciatus, ut pedum vel brachiorum sectionem, pati, quò vitam diutiùs protrahat; cùm hujusmodi media moraliter sint impossibilia. 5to. Cùm quis, ut Deo & justitiæ faciat satis, ea non arripit media, quibus incolumem se præstare posset. Sic licet ei, qui justè ad mortem condemnatus est, ea, quæ ad mortem sunt præambula facere, ut 1mo. se offerre Judici. 2do. non egredi è carcere, etiamsi se offerat opportunitas, & noverit paratam sibi esse mortem: & re ipsa Martyres non crediti sunt sibimetipsis mortem inferre, cùm patentibus portis è carceribus non exierunt. Non tamen ei, qui damnatus est, ut venenum hauriat, aut venas sibi aperiat, hæc facere licet; quia sic seipsum immediatè & directè occideret, quod naturæ repugnat; & Judex, qui hæc immania naturæque contraria præciperet, injustus esset.

583 *Solvuntur Objectiones*

Contra 1mam partem Conclusionis.

Ob. 1mo. Licet id facere, quod viri sancti sanctè fecerunt. Atqui viri sancti sanctè mortem sibi intulerunt. Sic Judic. 16. vers. 30. Samson concussis fortiter columnis semetipsum cum Philistiim obruit. 2do. Eleazar supposuit se Elephanti cujus mole oppressus interiit, 1. Machab. cap. 6. 3tio. Razias *gladiò se petiit, eligens nobiliter mori potiùs, quàm subditus fieri peccatoribus*, 2. Machab. 14. Eadem fuit agendi ratio S. Apolloniæ, quæ se conjecit in rogum, quo consumpta fuit. Ergo.

Resp. Dist. min. Viri sancti mortem sibi sanctè intulerunt speciali Spiritûs sancti instinctu, conc. motu proprio, neg. min. Itaque vel sancti non sunt, qui sibimetipsis mortem intulère, vel si sancti sunt, speciali S. Spiritûs instinctu ad hoc determinati sunt; & hoc ultimum constat de Samsone, qui nonnisi post imploratum Dei auxilium columnas concussit, adeoque se cum Philistæis interemit, Spiritu latenter jubente, per quem miracula patrabat. Quod spectat ad Eleazarum & Raziam, quos Patrum aliqui redarguunt, aliqui plurimum commendant, vel à se ipsis mortem quæsierunt, & tunc mortui non sunt *nobiliter*, nisi juxta propriam opinionem; vel à Spiritu sancto impulsi fuère, ut de Samsone dictum est: quamquam Eleazarus mortem directè sibi non conscivit; sperare enim potuit elephantem in alterutram partem casurum, aut se recessurum, priusquàm caderet. Idem dicendum de illis Christi sponsis, quæ in flammas se dederunt præcipites: *Hoc enim fecerunt*, ait S. Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 26. *non humanitùs deceptæ, sed divinitùs jussæ, nec errantes, sed obedientes, &c.*

Ob. 2do. Juxta S. Hieronymum in cap. 1. Jonæ, *Non licet*, sunt ipsius verba, *propria perire manu absque eo, ubi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere.* Ergo saltem licitum est mortem sibi inferre servandæ castitatis gratiâ. Et re ipsa ex duobus malis illud eligi debet, quod minus est; at minus est perire corpus quàm animam, quæ perit, cùm violari finitur castitas. Ergo. 584

 Resp.

Reſp. 1mo. S. Hieronymum particulam hanc *abſque eo* accipere non excluſivè, ſed incluſivè, ita ut ſenſus ſit *etiamſi caſtitas periclitetur*. 2do. Si S. Hieronymi verba, ut ſonant, ſumenda ſunt, tunc videtur locutus fuiſſe ex aliorum ſententia, prout ſæpè facit in ſuis commentariis. 3tio. Clara S. Auguſtini auctoritas præferenda eſt obſcuris S. Hieronymi verbis.

Ad id, quod additur, Reſp. falſum eſſe, quod pereat anima, dum violatur corpus; *Corpus enim mulieris non vis maculat, ſed voluntas.* ait S. Hieronymus relatus cap. *De pudicitia* cauſ. 32. q. 5.

§. III.

585 *An liceat auctoritate publica hominem occidere.*

Waldenſes, ut refert Alphonſus à Caſtro, negabant licitum eſſe Principibus & Magiſtratibus malefactores morti addicere.

Conclusio.

Licitum eſt Principibus & Magiſtratibus publica auctoritate præditis malefactores occidere.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Exod. 22. ſic legitur: *Maleficos non patieris vivere; qui coierit cum jumento, morte moriatur.* Ex quo habetur hanc Dei legem *Non occides.* Exod. cap. 20. generalem non eſſe ſed pati exceptionem, atque cum reſtrictione eſſe intelligendam. Rom. 13. verſ. 4. *Si malum feceris time*, ait Apoſtolus, *non enim ſine cauſa gladium portat. Dei miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum operatur.* Ergo Princeps, ut Dei miniſter, gladio ſeu morte eos punire poteſt, qui mala præſertim Reipublicæ pernicioſa operantur.

Prob. 2do. Ex Canonibus Eccleſiæ ut Cauſ. 23. q. 5. cap. 20. *Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas & pejerantes vivere non ſinere.* Qui Canon deſumptus eſt ex Cypriano.

Porro ad hujuſmodi malefactores occidendos requiri publicam auctoritatem teſtatur S. Auguſtinus lib. 2. de Civ. Dei, his verbis: *Qui ſine publica ulla adminiſtratione maleficum occiderit, velut homicida judicabitur; & tantò ampliùs, quantò ſibi poteſtatem à Deo non conceſſam uſurpare non timuit.*

Prob. 3tio. Ratione. Quia talis po- 586
teſtas neceſſaria eſt Reipublicæ ad bonum commune, & publicam tranquillitatem: ideoque à Deo Reipublicæ conceſſa eſt. Et quia pars noxia toti poteſt, ob totius conſervationem exſcindi, cùm pars ſit propter totum.

Ex his colliges, Patri non licere filiam aut uxorem in adulterio deprehenſam vel ipſum adulterum occidere. Habetur 1mo. Ex cap. *Inter hæc* & ſeq. 33. q. 2. & ex S. Auguſtino lib. 2. *De adulter. conjug.* cap. 15. ibi: *Non licet uxorem adulteram occidere, ſed tantùm dimittere.* 2do. Quia non licet propria auctoritate, ut patet (*l*); neque

(*l*) Ex Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladium gladiò peribunt.* Et ex cap. *Quicumque* 23. q 8 quia non licet occidere etiam peccatores, niſi auctoritate à Deo conceſſa propter bonum commune: ac proindè id ad eum ſolum pertinet, cujus eſt procurare bonum publicum.

que etiam ulla lege humana potest id licitum fieri: tùm quia ubi potest observari ordo judicii, iniquum est Reum inauditum, destitutum omni defensionis remediò, nullo servato juris ordine, & sine judicio punire, pœnæque executionem committere ipsi offenso, & quidem illicò, cùm scilicet animus recenti offensâ maximè perturbatus est. Hinc Reg. Jur. 136. in 6. *Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè fieri possit.* Tum quia est contra charitatem sine urgenti necessitate recusareReo spatium ad pœnitentiam, sed illum statim cum certo damnationis periculo occidere. 3tio. Quia Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Porro leges civiles, quæ hoc factum non improbant, id faciunt per meram tolerantiam, ne videantur favere adulteris, & ob justum ac gravissimum dolorem in tali casu, & vehementiorem iræ motum; quem quis facilè temperare nequit.

§. IV.

587 *An aliquando liceat interficere innocentem.*

Certum est apud omnes nunquam licere innocentem occidere, nisi speciale accesserit Dei mandatum. Ratio est, quia hoc & natura vetat, & expresè prohibuit Deus Exod. 23. his verbis: *Insontem & justum non occides.*

Quòd si speciali revelatione præcepisset Deus innocentis occisionem, ei sanè ut vitæ & mortis Domino esset obtemperandum. Hinc non peccasset Abraham, si filium suum immolasset. Neque peccarunt Israëlitæ, qui, Amalecitas devastando, nec ætati nec sexui pepercerunt, quia Dei jussio urgebat.

Extra hunc casum, qui nunc raro, aut nunquam contingit, homicidæ sunt, qui in bello etiam justo interficiunt innocentes, cujusmodi sunt parvuli, mulieres, agricolæ, peregrini, Religiosi, Moniales, Clerici. Quòd si nocentibus innocentes permixti ab iis discerni non possint, licet alios cum aliis involvere, sed tunc tantùm, quando bellum justum aliter expediri non potest. Neque tamen liceret infantes captos ante patrum oculos jugulare, ut ii se dedant. Hinc colliges rabiosos non debere suffocari, ne aliis noceant, sed includi & alligari. Sic etiam cives non possunt propria manu eum occidere, cujus mortem petierit tyrannus civitatem obsidens: tùm quia generaliter vetat Deus, ne innocens occidatur; tùm quia etsi civitas civium suorum vitam exponere possit jubendo, ut contra hostes pugnent, iis tamen auferre vitam non potest. Neque etiam si tyrannus petat, non quidem ut Respublica per se innocentem occidat, sed eum sibi tradat occidendum, id Reipublicæ licere multi tuentur, sicut eidem non liceret tradere tyranno virginem violandam; quia utrumque est intrinsecè malum. Quibus tamen alii contradicunt, atque hujusmodi innocentem tyranno extrema quæque Reipublicæ minitanti, nisi illum à se occidendum tradat, tradi posse putant. Quia homo ille tenetur ex charitate se ipsum offerre pro communi salute, & sponte sua ad tyrannum exire. Ergo Respublica id ei præcipere potest, adeoque & eum, ne effugiat, prævenire, ac ligatum tradere tyranno. Alii denique docent, innocentem nunquam posse à Republica tradi: sed addunt, quòd, nisi semetipsum tradat, ut ex chari-

charitate & justitia Legali facere tenetur, reus fiat, præsertim si Superiores ejus ipsi præcipiant, ut se tradat; unde concludunt eum tunc posse tyranno tradi, ut qui jam non amplius sit innocens, quatenus & privatum bonum suum pluris æstimat, quàm commune, & Superioribus id, ad quod jam tenetur, præcipientibus obedire recusat.

588 §. V.

An liceat abortum procurare.

Abortus est ejectio præmatura fœtûs, quem mulier in utero gestat. Is dupliciter intendi potest, directè nimirùm & indirectè: directè quidem, ut si mulier sumat potionem eo fine, ut uteri sui fructum disperdat & ejiciat; indirectè verò, ut si aliquid faciat, unde per accidens sequi possit ejusdem fructus extinctio.

Circa Abortum ita expositum triplex proponi solet quæstio. 1ma. Utrum puellæ, quæ honori suo aliter consulere non potest, liceat abortum sibi procurare, saltem cùm fœtus nondum est animatus. 2da. An peccet Medicus, qui aliter vitæ matris succurrere non valens, tradit ei potionem, ex qua moraliter certus est secuturam esse fœtûs ejectionem. Tertia; quibus pœnus subjaceant qui abortum procurant. His præmissis

589 Ad 1mam. quæstionem Resp. quòd sic abortum procurare sit peccatum mortale; sive fœtus animatus sit, quo casu verum committitur homicidium, sive nondum sit animatus, quo casu scelus istud non est propriè ac strictè homicidium.

Prob. Responsio nostra 1mo. ex Concilio Ancyrano (*m*), quod sic statuit: *De mulieribus, quæ fornicantur, & partus suos necant, vel quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem*, Concilii Illiberitani (*n*), & aliorum, *definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet; humaniùs autem præfixos nunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundùm gradus pænitentiæ largiamur.* Idem definiunt Concilia Moguntinum (*o*), & Wormatiense annô 868. celebratum, Can. 30. ubi sic loquitur: *Si aliquis causâ explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur.* Quæ verba referuntur lib. 5. Decret. tit. 12. De Homicid volunt. vel casual. cap. 5. velut ex Concilio Guarmaciensi, quod idem est ac Wormatiense.

Prob. 2do. Ex Patribus. *Nobis verò*, ait Tertullianus Apologet. cap. 9. *homicidiô semel interdictô, etiam conceptum uterô, dum adhuc sanguis in hominem delibatur* (hoc est, dum adhuc dubitatur, an concepta uterô semina coibunt in fœtum) *dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est & qui est futurus.* Atqui homicidii festinatio est peccatum mortale. Ergo.

Sanct. Basilius Epist. ad Amphiloch. cap. 2. *Quæ*, inquit, *de industria fætum*

(*m*) Celebratum est an 314.
(*n*) Celebratum est an 305 Can. 63
(*o*) Celebratum an. 813. sub Leone Papa III. & Carolo Magno.

tum corrupit, cædis pœnas luet. Formati autem vel informis subtilitas à nobis non attenditur.

Prob. 3tio. ex censura, quam tulit Innocentius XI. annô 1679. adversùs laxiores quosdam Theologos, quorum prima propositio, quæ inter 65. damnata est num. 34. sic concepta erat: *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.* Secunda verò num. 35. sic habet: *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

Prob. 4to. Ratione. Quia procurare abortum repugnat bono speciei humanæ, & naturali fini seminis humani, quod ex se ordinatur ad generationem, & speciei humanæ conservationem ac propagationem: ideoque ingens scelus est. Idque debuit in omni casu à Deo prohiberi; nam si id aliquando liceret, periculum esset ne homines copulæ delectatione contenti, partum prolis negligerent, & sæpè impedirent ex aliquo prætextu, ut curis & laboribus prolis liberarentur: quod cederet in detrimentum speciei humanæ, & occasio foret fornicationibus ac stupris, à quibus, præter Dei gravem offensam, tamen homines absterret & retrahit timor suscipiendi prolem.

590 Ad 2dam. quæstionem Resp. Non licere matri, etsi alioqui versetur in certo mortis periculo, præbere medicinam de se tendentem ad procurandum abortum, sive fœtus jam animatus sit, sive non.

Ratio 1mæ. partis est 1mo. Quia hoc esset directè cooperari ad occisionem innocentis, quod per se malum est. 2do. Quia ex sententia S. Ambrosii, quæ refertur 14. quæst. 5. c. 10. *Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quàm gravari alterum.* 3tio. Quia inde futurum est, ut infans spiritualem & corporalem vitam perdat; vel saltem dubium est, an non tali periculo exponatur. Atqui non licet periculo tanto quempiam exponere. Ergo.

Ratio 2dæ. partis, scilicet, quòd non liceat præbere &c. sive fœtus nondum sit animatus, est 1mo. Quia non magis licet mulieri abortum sibi procurare ad vitandum mortis periculum, quæ ipsi ab intrinseco impendet, quàm eidem liceat impedire conceptionem ad vitandum idem periculum, quod experta est sibi ex partu imminere, aut eidem èx detectione criminis imminet, si concipiat, & fœtus in lucem prodeat. Atqui non potest mulier in secundo casu conceptionem impedire, &c. Ergo nec in primo abortum sibi procurare potest. 2do. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Sed abortum procurare per se malum est, ut suprà dictum est; Ergo.

Licitum tamen est matri ægrotanti porrigere medicinam ex se curativam matris, & non ordinatam ad abortum procurandum, quando aliter matri succurri non potest, & certum est fœtum nondum animatum esse, etiamsi indè abortus timeatur. Ratio est 1mo. Quia tunc abortus neque ex intentione operis, neque ex intentione operantis sequitur ex medicina. 2do. Quia potest homo certas quasdam operationes pati, etsi periculum sit, ne propter eas, irrepente v. g. gangrena, aut aliquo simili malo, pereat ille homo. Ergo à pari. 591

At verò non licet matrem vivam secari, ut infanti succurratur, nisi probabiliter speretur futurum, ut mater vivat; quod cum fundamento sperari posse frequens docet experientia.

592 Porro hîc adhuc notandum venit, Medicos inter se non convenire, quo tempore fœtus animari incipiat: quidam enim, prout partis 2dæ. Physices nostræ parte 2da. seu Physicæ particularis part. 2. cap. 3. tit. De fœtûs in utero formatione & animatione animadvertimus, animam jam in informe adhuc semen immitti, alii ipsius infusionem ad diem tertium constituunt, alii volunt animæ infusionem in ipsa conceptione, hoc est, circa diem septimum fieri; communior tamen opinio est, corpus animâ informari die à conceptu 30mo. vel 40mo. pro mare, & 50mo. vel 80mo. pro fœmina. Hinc cùm incertum sit animationis tempus raró abest periculum homicidii in procurando abortu.

593 Ad 3tiam. quæstionem, quæ est de pœnis, quibus subjacent ii, qui abortum procurant, Resp. Non solùm eos, qui ex intentione directa hoc agunt, ut sequatur abortus fœtûs animati, sed etiam eos, qui ex intentione interpretativa; ut si mulier experta se abortire, quando fert grave onus, illud tamen suscipit, nisi per inadvertentiam seu incogitantiam hoc faciat; aut si immoderatè saltet; item si quis uxorem prægnantem percutiat; ut & etiam illos vel illas, qui vel quæ ad hujusmodi abortum operam, consilium aut favorem dederint, sive scribendo litteras, sive aliter per verba, vel signa, vel quomodocumque, incurrere ipso facto excommunicationem, quæ licèt olim Apostolicæ Sedi reservata esset à Sixto V. nunc tamen ex moderatione Gregorii XIV. tolli potest à quolibet *Confessario tam sæculari quàm Regulari ad Christi fidelium confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatô.* Verba sunt ejusdem Gregorii Papæ.

Qui verò fœtûs inanimati duntaxat abortum procurant, aut mulieribus sterilitatis venena ministrant, aut qui consilium vel auxilium ad hoc præbent, post prædictam Gregorii XIV. moderationem, non subjacent excommunicationi: *Nec etiam judicandus est irregularis, nisi qui jam formatô puerperiô*, seu fœtu, *abortum procurat*, ait S. Thomas in 4. Dist. 31. *Quòd si dubitatur, utrum ex percussione vel rei sumptione secutus fuerit abortus, vel alia ex causa, vel utrum puerperium esset formatum, vel non, si probabiliter dubitat, debet à promotione & ministerio abstinere, ne periculo se committat*, inquit S. Antoninus 3. part. tit. 28. cap. 2. 594

§. VI.

An liceat homini injustum aggressorem occidere in vitæ propriæ defensionem. 595

Quæstio hîc procedit de aggressore seu invasore actuali: certum enim est, ante vel post moralem actum aggressionis non licere aliquem occidere; quia defensione opus non est, ubi non est aggressio, nec aliter vi uti licet, quàm ad vim repellendam. Hinc, ex communi, non licet occidere aut repercutere eum, qui postquam aggressus est, fugæ se dedit, quive accepto vulnere, vel etiam, tormentô suô v. g. explosô jam, nocere amplius

pliùs non potest. Eadem de causa non licet prævenire eum, qui te ad occidendum quærit, quia non est aggressor: aggressor tamen censetur, non modò, qui ad feriendum accedit, sed qui jam in præsentia parat se ad actu invadendum. Agitur etiam de invasore, à quo quis occidendus est, si non occidat: qui enim fugiendo vitam tueri potest, fugere tenetur.

596 Porro circa hanc quæstionem duplex est Theologorum sententia. Alii putant licitum non esse injustum invasorem occidere. Alii verò longè plures numerô, & ex iis etiam, qui à laxioribus opiniunculis abhorrent, post Sanct. Thomam, imò etiam post veteres alios SS. Patres, ut ajunt, & quos pro sua sententia citant, credunt id licitum esse, si fiat cum conditionibus mox assignandis. Ut 1mo. occisio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Est autem moderamen illud observatio modi debiti; adeò ut nihil fiat, nisi quod necessarium est ad vitam servandam; nam non licet inferre majus damnum, aut uti majore vi, quàm necesse sit ad vitæ defensionem; alioqui jam non esset defensio, sed injusta ultio. Hinc si injustum invasorem armis spoliando, vel debilitando, aut vulnerando, possis mortem vitare, non licet illum occidere; cùm tunc ejus occisio non sit necessaria ad vitæ defensionem.

597 2do. Ut actio iniqui invasoris sit vera per vim aggressio. Hinc non licet occidere iniquum Judicem, aut falsos testes, qui vitæ tuæ insidiantur. 1mo. Quia hîc non occurrit vis illata, sed solùm calumnia, quæ proinde juris ordine, non verò violentiâ debet propulsari. 2do. Quia alioqui aperiretur via homicidio; facilè enim sibi persuaderent homines se inique accusari, & mortem nonnisi accusatorum & Judicum morte vitare posse. 3tio. Quia damnata est ab Alexandro VII. hæc propositio: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.*

3tio. Ut nihil ex odio, neque ex animo vindictæ fiat, & ut non intendatur per se mors invasoris, sed sola vitæ propriæ conservatio per justam sui defensionem. Verùm haud satis scimus, an qui plumbeam glandem nonnisi in caput inimici sui explodere potest, mortem ejus non intendat: atque facilè ab adversario præveniretur & occumberet, qui diutiùs ratiocinaretur, & expenderet, an hîc vel ibi possit eum ferire, ut mortem ejus non ut medium intendat, sed ut defensionis effectum. 598

4to. Ut aggressor non sit persona Reipublicæ necessaria, vel valdè utilis ut Princeps, Dux exercitûs, &c. Quia ex ordine charitatis bonum commune, utpotè bonum multorum, præferri debet bono privato, quod est bonum duntaxat unius vel paucorum. His præmissis conditionibus probant sententiam suam 599

1mo. Ex cap. 22. Exod. vers. 2. ibi: *Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis: quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit.* Ergo licet occidere furem nocturnum, quia nescitur an veniat animô occidendi. 600

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. S. Cyrillus lib. 1. in Joan. cap. 35. *Undenam,* 601

nam, inquit, *Petrus gladium habuit?* Deinde respondet, *Quia secundùm legem gladiò se defendere licebat, idcircò quoque gladium ferre licebat.* Et suprà: *Nam si vi multitudinis invitus ad necem traheretur Christus, omni modò fortassis debuissent illum discipuli defendere.*

Sanct. Ambrosius lib. 1. de Officiis cap. 36. *Neque*, ait, *in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est: qui enim non repellit à socio injuriam si potest, tam est in vitio quàm ille, qui facit; undè Moyses, cùm vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem defendit, ita ut Ægyptium sterneret.*

S. Augustinus q. 24. in adductum suprà Exodi locum: *Intelligitur ergo*, ait, *tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occidatur; si autem diurnus pertinere. Hoc est enim quod ait: Si orietur super eum sol; poterat quippe discerni quòd ad furandum, non ad occidendum venerit. Hoc & in legibus antiquis sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur impunè occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telò defenderit; jam enim plus est, quàm fur.* Ergo ex sententia S. Augustini licet occidere furem, sive nocturnum, quia præsumitur eum venire animô non solùm furandi, sed etiam occidendi; sive diurnum, quando constat eum non ad furandum modò, sed & ad occidendum venire.

602 Prob. 3tio. Ex variis Romanorum Pontificum decisionibus in Jure Canonico passim relatis; quibus homicidium ad sui suæque vitæ defensionem perpetratum tutò fieri posse, ac omni culpâ vacare, & legibus omnibus ac juribus permitti declaratur. Ut cap. *Significasti.* 2. *De homicidio voluntario.* Ubi Innocentius III. expresè ait: *Vim vi repellere omnes leges & omnia jura permittere; id tamen fieri debere cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.* Idem tradit Alexander III. cap. 3. *De sententia excommunicationis. Si verò*, inquit, *Clericum vim sibi inferentem, vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Apostolicam Sedem transmitti, si in continenti vim vi repellat, cùm vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant.* Idem docet Constitutio Clementis V. in Concilio Viennensi cap. *Si furiosus: Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit: & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.*

Prob. 4to. Ex præcipuis Scholæ Doctoribus. Sanct. Thomas 2. 2. q. 64. 603
a. 7. *Si aliquis*, inquit, *ad defendendam propriam vitam utatur majori violentiâ, quàm oporteat, erit illicitum: si verò moderatè violentiam repellat, erit licita defensio; nam secundùm jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo suæ vitæ providere, quàm vitæ alienæ.*

Sanct. Antoninus part. 2. tit. 7. cap. 8. §. 1. *Cùm quis*, ait, *occidit alium necessitate ductus inevitabili, quia scilicet invasus ab alio volente occidere, vel graviter vulnerare, sed defendendo occidit, servatô debitô moderamine, cùm aliter non possit evadere manus ejus, non est propriè homicida, prout scilicet homicidium dicimus peccatum.* Quod ulte-

ulterius probat mox adductis S. Thomæ verbis.

Sanct. Bonaventura Serm. 6. de Decem Præceptis, postquam dixit excusari a tanto, non à toto, qui fugere potuisset, sic pergit: *Si autem sit necessitas inevitabilis, ut homo occidat alium hominem, non amore vindictæ, sed amore conservationis vitæ & animæ.... & fiat hoc cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc concessum est personis etiam perfectis, non solùm imperfectis.* Et hoc probat ex S. Augustino *lib. de liber. arb.*

604 Consonat Catechismus Romanus 3. part. cap. 6. num. 7. ubi explicans cædes quæ quintô præceptô non continentur, sic ait: *Qua etiam ratione si quis salutis suæ defendendæ causâ, omni adhibita cautione, alterum interemit, hac lege non teneri satis apparet.*

Ratio denique est; quia homo habet jus conservandi vitam injustè oppugnatam, & illam præferendi vitæ injusti aggressoris, qui se ex mera malitia in hoc periculum mortis conjicit. Ergo.

605 Non tamen diffitendum, percussionem & occisionem injusti vitæ aggressoris in praxi rarò culpâ vacare, quia ferè nunquam servantur conditiones ad licitam defensionem requisitæ. Et ideo aliqui Patres occisionem sine publica auctoritate factam indefinitè damnant, scilicet ob periculum vindictæ, & excessûs in modo defensionis, vel ob intentionem directam occidendi.

§. VII.

606 *An liceat occidere ad defensionem boni temporalis, honoris, & pudicitiæ.*

607 Quidam, imò multi ex Recentioribus Theologis, quamvis ultrò concesserint, non licere quemquam occidere in defensionem temporalium non magni momenti bonorum, tamen id licere ad tuenda magni momenti bona temporalia seu fortunæ asserere ausi sunt. At eorum opinio à sanioribus Theologis recipitur velut nullius auctoritatis. Sit contra eos

CONCLUSIO I. 608

Non licet propter bona temporalia seu fortunæ, etiamsi sint magni momenti, & aliter recuperari non possint, injustum eorum invasorem occidere.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Exod. 20. vers. 13. Quintum istud Decalogi Præceptum *Non occides*, generale est, & neque in Scriptura, neque in Patrum decretis, aut Jure Canonico limitatur, cùm de fortunæ bonis sermo est. Ergo homicidii reus est, qui pro illis bonis hominem occidit. Ibid cap. 22. prout paragraphô præcedenti jam adnotavimus, expresſè prohibetur, ne fur diurnus occidatur, quia ut notat S. Augustinus ibidem adductus, & ex eo cap. 3. *De Homicidio*, poterat discerni, quòd ad furandum, non ad occidendum venisset. Ergo eum, qui ad furandum duntaxat, non ad occidendum venit, occidere nullatenus licet.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus & Romanis Pontificibus. Sanct. Augustinus lib. 1. de liber. arb. *Quomodò*, inquit, *apud divinam providentiam liberi erunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt.* 609

S. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 8. *Plus*, inquit, *ipsis raptoribus debemus metuere, quàm rebus irrationabilibus defendendis inhiare.*

Alexander III. cap. 10. *De Homicidio. Expediebat*, inquit, *potiùs post tunicam relinquere pallium*, *& rerum sustinere jacturam*, *quàm pro servandis vilibus & transitoriis rebus tam acriter in alios* (Latrones scilicet) *exardescere.*

Denique Innocentius XI. damnavit has tres propositiones: 31ma. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* 33tia. *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* 34ta. *Licitum est tam hæredi, quàm Legatario, contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel Legata solvantur, se taliter defendere* (p), *sicut & jus habenti in Cathedram vel Prabendam contra eorum possessionem injustè impedientem.*

610 Prob. 3tio. Ex Jure Civili. Leg. 4. ff. *ad Leg. Aquil.* non permittitur fur diurnus occidi, nisi telô se defendat, prout notat S. Augustinus paragraphô præcedenti relatus: unde solum vitæ periculum excipit. Et Leg. 9. *ad Leg. Cornel.* dicitur: *furem nocturnum si quis occiderit, ita demùm impunè feret, si parcere ei sine periculo suo non potuerit.* Ergo haud impunè non feret, qui furem diurnum, cui parcere potest, occiderit.

Ratio denique est; quia iniquum est, & contra debitum ordinem charitatis privata auctoritate adimere proximo bonum superioris ordinis, & per se irreparabile nempe vitam, ad bonum inferioris ordinis, & per se reparabile conservandum. Verbô ordo charitatis postulat, ut vitam proximi propriis rebus præferamus.

Quantùm ad honorem & famam denuò Quidam recentiores Theologi asfere non dubitârunt licere aliquem occidere propter defensionem famæ & honoris; crudelis sanè doctrina contra quam sit

CONCLUSIO II. 611

Iniquum famæ aut honoris nostri invasorem occidere illicitum est.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Matth. 5. vers. 11. *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos mentientes &c.* Ergo infelices & iniqui sumus nisi hominum maledicta, & persecutiones, ac injurias patienter toleraverimus, nec eas crudeli occisionis facinore ulciscamur. Ibid. vers. 39. *Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, tantum abest, ut tibi eum occidere liceat. Luc. 6. *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.* Si iis benedicendum & pro iis orandum; tunc utique non sunt occidendi. Joan. 5. *Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quæritis?* Ergo non credit, sed infideli est deterior, qui gloriam ab alio quærit, à quo injuriam passus est, eum occidendo. 1mæ. Cor. 4. *Mihi autem*, inquit Apostolus, *pro minimo est, ut à vobis judicer aut ab humano die.* Hæc cujuslibet Christiani hominis agendi ratio esse debet. Denique 1 Petri 3. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, &c.* Ergo, ex Apostolorum Principis sententia, ne quidem licet

(p) Id est, defensione occisiva.

licet convititia convitiis, contumelias contumeliis repellere, quia hæc non eſt via ordinata & apta ad honorem defendendum. Ergo multò minùs occiſio illius, qui famam aut honorem noſtrum injuſtè invaſit, erit via ordinata & apta ad illum recuperandum.

612 Prob. 2do. Ex SS. Patribus & Romanis Pontificibus. Pro omnibus ſufficiant S. Auguſtinus, qui lib. 5. de Civ. Dei cap. 19. *Virtutes habenti*, inquit, *magna virtus eſt contemnere gloriam.* Ergo ſummè flagitioſus ille eſt, qui ut fucatam gloriam tueatur alterum occidit.

Innocentius Papa XI. qui hanc propoſitionem proſcripſit uti ſcandaloſam, erroneam, & verbo Dei contrariam: *Fas eſt viro honeſto occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hac ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & fugiat.*

613 Prob. 3tio. Ratione. 1mo. Quia fama nihil eſt aliud, quàm judicium aliorum de noſtra excellentia; honor verò eſt teſtimonium, quod alii nobis reddunt, ſe benè de nobis ſentire, quod fit cultu & reverentia. Atqui hujusmodi judicia aut teſtimonia tanta non ſunt, ut pro iis conſervandis, aut repetendis proximum occidere liceat. Ergo. Minor conſtat ex adductis priùs S. Scripturæ teſtimoniis. 2do. Vita eſt bonum per ſe irreparabile, & majus honore ac fama; cùm inter bona naturalia principem locum obtineat. Ergo iniquum eſt, & contra legem charitatis, eam adimere proximo ad defenſionem honoris & famæ, quæ ſunt bona inferioris ordinis & per ſe reparabilia. Id etiam repugnat patientiæ, manſuetudini, & humilitati chriſtianæ. 3tio. Percuſſio vel occiſio in illo caſu eſt vindicta, non defenſio: nam non conducit ad ſervandum honorem, utpotè jam ablatum per injuriam, ſed ſolùm ad acquirendum alium honorem apud mundanos homines ob falſam fortitudinem, qua offenſa vindicatur. Atqui nulli privato licet vindictam ſumere de proximo ſuo, à quo fortè offenſus eſt: *Mihi vindicta; ego retribuam dicit Dominus*, Rom. 12. v. 19. (q) Ergo. 4to. Illud abſolutè illicitum eſt, quo poſito mundanis hominibus, honoris fictitii amore abreptis, via ad ſtrages & homicidia aperitur. Atqui ſi ad defendendum honorem quis alium occidere impunè poteſt, ſtragi & homicidio via aperitur. Ergo.

Imò neque licet alapam pro alapa reddere. Defenſio enim equidem licita eſt, ſed non vindicta, ut primùm diximus. Atqui tunc non eſſet defenſio, quæ locum non habet niſi in actuali aggreſſione, ſed mera vindicta, quæ non conduceret ad ſervandum honorem, qui jam per injuriam ablatus eſſet, ſed duntaxat ad acquirendum alium apud mundanos honorem, ex falſo fortitudinis inhumanæ nomine. Prout jam probatione tertia diximus. 614

Id ergo ſolùm contra iniquum famæ aut honoris noſtri invaſorem agere licet, nempè ut illatas contumelias verbis minimè contumelioſis repellamus, vel etiam actione injuriarum, ſi neceſſe ſit, ad reprimendam alterius audaciam, vel ad dignitatem ac auctoritatem 615

(q) Vid. dicta in Tractat. de Virtutibus Theolog. part. 3. cap. 4. §. 4. concluſ. 10. à num. 297.

tatem suam tuendam, sine odio tamen, & cum animo ab omni vindicta remoto, ac parato remittere hanc justam satisfactionem & plures alias injurias ferre, si salus proximi id exigat, &c. vide dicta cit. Tract. part. 3. cap. 4. §. 4. conclus. 10. num. 297. 298. 299. 300. ubi notatu digna, imò necessaria, hanc in rem præscribuntur.

616 Quoad pudicitiæ defensionem denique Multi docent licere eum occidere, qui illam violare tentat, si aliter defendi nequeat Rationem afferunt, quia præterquam quòd in hac re sit periculum consensûs in delectationem, ideoque peccati, imò & depravationis; pudicitia & integritas est bonum maximi momenti, superioris ordinis, quàm sint bona fortunæ, imò in æstimatione multorum bono vitæ æquiparandum, & aliundè, ubi semel amissum fuerit, irreparabile. Idem ex iisdem rationibus docet S. Antoninus, part. 2. tit. 7. cap. 8. Sed alii negant quibuscum sit

617 CONCLUSIO III.

Non licet injustum pudicitiæ invasorem occidere.

Prob. 1mo. Ex illo præcepto Decalogi Exod. 20. *Non occides*, quod generalem prohibitionem continet, à qua nec Scriptura, nec Patres, nec Concilia, nec summi Pontifices hunc pudicitiæ defendendæ casum excipiunt.

618 Prob. 2do. Ex Evodio apud S. Augustinum lib. 1. de lib. arb. cap. 5. ubi, *De pudicitia*, inquit, *quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est; undè à violento stupratore eripi nec ipsa potest? Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.*

Prob. 3tio. Ratione quam subministrant citatus Evodius, & SS. Augustinus lib. 1. de Civ. Dei cap. 18. & Hieronymus cap. *De Pudicitia* causâ 32. quæst. 5. relatus qui, *Corpus*, inquiunt, *mulieris non vis maculat, sed voluntas.* Si liceret interficere stupratorem, tùm utique ad tantæ virtutis conservationem. Atqui virtus castitatis aliter potest, quàm scelesti Invasoris morte defendi: ad hoc enim satis est, ut constanter dissentiat persona, quæ vim patitur; tunc enim etsi opprimatur exteriùs, id dicere poterit, quod olim S. Lucia tyranno dixisse memoratur: *Si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* 619

Prob. 4to. Rationibus superioribus Conclusionibus adductis, quarum hæc est summa: 1mo. Quòd bonum temporale æternæ alterius saluti præferri nec debeat nec possit. Atqui hoc fieret si pudicitiæ invasor interimeretur; ei enim adimeretur pœnitentiæ & animæ salvandæ locus. 2do. Quòd, prout jam annotavimus, præceptum generale non occidendi nullibi restrictum videatur pro præsenti casu. 620

Tenetur tamen puella modis omnibus resistere, manibus, pedibus, fugiendo, clamando, &c. Et certè rarissimè fit, ut puella, si seriò velit, violationem impedire nequeat; rarissimè etiam contingit, ut vir turpem delectationem ab omninò invita captare velit.

Solvuntur Objectiones. 621

Ob. 1mo. contra Conclusionem 1mam. Cap. *Interfecisti* 2. Decret. Greg. lib. 5. tit.

tit. 12. *De Homicid. volunt.* *Si te*, inquit Pontifex, *tuaque liberando* (furem) *interfecisti*, non teneris ad pœnitentiam. Ergo propter bona fortunæ licet injustum eorum invasorem occidere.

Resp. neg. conf. In his verbis *te tuaque liberando*, particula & non est sumenda disjunctivè, sed secundùm naturalem suam significationem, scilicet copulativè, adeò ut sermo sit de fure, qui bona simul & vitam invaserat, quem qui occidit vacat à culpa, prout diximus paragraphô præcedenti.

622 Ob. 2do. Vim vi repellere omnes Leges & jura permittunt. Sed vim infert, qui bona temporalia vult eripere. Ergo.

Resp. dist. maj. Jura permittunt vim vi repellere per media legitima, conc. secùs, neg. maj. Occisio autem non est medium legitimum, cùm de solis fortunæ bonis agitur: si enim bona temporalia exponi debeant ad conservandam proximo vitam, prout ostendimus Tractat. de Virtut. Theolog. part. 3. cap. 4. §. 4. à fortiori occidere non licet ad hujusmodi bonorum defensionem.

623 Ob. 3to. Bellum justè infertur pro fortunæ bonis, idque non sine multorum clade. Ergo.

Resp. neg. conf. Princeps sicut eos ex suis subditis, qui res alienas abstulerunt, legitimè interficit, sic & iis, qui sua injustè detinent, legitimè bellum infert, quia hanc à Deo potestatem accepit: at nulli privato permissum est, ut auctoritate propria fures occidat.

624 Ob. 4to. Ex dictis paragraphô præcedenti licet pro tuenda vita injustum invasorem occidere. Atqui vitam moraliter eripit, qui eripit bona, sine quibus vita conservari nequit. Ergo.

Resp. 1mo. neg. min. Nam rarum est, quòd fur omnia auferat; quòd si autem id eveniret, tunc taliter à fure spoliatus potiùs eleemosynis vitam sustentare more aliorum pauperum deberet, quàm furem occidere.

Tamen concedi posse videtur, quòd, si fur omnia prorsùs auferret, ita ut vitam moraliter auferre meritò censeretur, eo casu occidi possit, non ratione boni temporalis, sed ratione vitæ, quàm inique aufferre vellet.

Ob. 5to. Contra Conclusionem 2dam. Honor vel fama est quid præstantius vitâ: hinc Ecclesiastici 41. v. 15. dicitur: *Curam habe de bono nomine.* Et Sanct. Thomas Opusc. 9. *De decem præceptis, præcep.* 8. *Nihil est*, ait, *tam charum homini, sicuti fama.* Ergo si ad defensionem vitæ quempiam occidere liceat; licet id à fortiori ad defensionem honoris vel famæ. 625

Respondimus huic Objectioni jam suprà in Tractatu cap. 2. §. 1. in Responsione ad Object. 8. nempe Dist. ant. Honor vel fama est quid præstantius vitâ; Honor scilicet, qui in vera coram Deo justitia positus est, conc. Honor qui positus est in æstimatione & judicio imprudentum & stultorum corrupti hujusce sæculi hominum, neg. ant. Honor vel fama est bonum vitâ longè inferius, utpotè in alieno judicio positum, & quod propter se desiderare mera vanitas est; at vita est primum ac fundamentum omnium bonorum naturalium, & per se irreparabile, cujus Dominium solus Deus habet, prout in hocce Tractatu cit. cap. ostendimus; Deinde fama vera solâ nititur verâ virtute. Cura autem boni nominis, quam Scriptura commendat, consistit in eo, quòd homo nihil turpe agat, nihil quod natu-

ram rationalem & dignitatem filii Dei adoptivi dedeceat. Et hoc ſenſu etiam intelligendus eſt S. Thomas.

626 Ob. 6to. Calumnia & contumella non vindicata reddit hominem infamem. Ergo.

Reſp. neg. ant. Nam cùm aliunde conſtat eum, qui calumniam aut injuriam paſſus eſt, eſſe virum probum aut fortem; ejus, moderatio non ei vitio vertitur, ſed laudi apud prudentes; nihil enim indecorum agit, qui injuriam non ulciſcitur, ſed patienter fert ſecundùm præceptum & exemplum Chriſti, aut moderatè defendit in judicio. Imo condonatio injuriarum eſt præſtantiſſimus fortitudinis actus, ac proindè ſumma laude digna. Præterea, ut jam diximus, occiſio vel percuſſio calumniatoris aut percuſſoris non eſt medium aptum ad abſtergendam infamiæ labem, niſi juxta perverſum judicium quorumdam mundanorum hominum, à Deo reprobatum, & contemnendum; non enim ex calumniatoris occiſione ſequitur cognitio falſitatis ipſius calumniæ, imò ſæpè contrarium accidit. Demum ſi quis honorem ſuum & famam aliter recuperare nequeat, debet illius jacturam inter damna irreparabilia recenſere, & æquô animô ferre propter amorem Dei id præcipientis ſub pœna æternæ damnationis, & remunerantis immenſo veræ gloriæ pondere.

627 Ob. 7mo. Contra Concluſionem 3tiam. Ex Sanct. Ambroſio lib. 3. Offic. *Periculum pudoris bonis fœminis eſt morte gravius.* Ergo ſi pro periculo vitæ liceat interficere, id etiam pro periculo caſtitatis licitum erit.

Reſp. neg. conſ. Vir enim nobilis mallet mori, quàm honorem perdere, aut ad ſummam redigi paupertatem, & tamen ad vitanda hæc incommoda, ſibi vel alteri mortem inferre non poteſt, prout oſtendimus; ergo à pari in propoſito.

§. VIII.

De homicidio tùm caſuali, tùm ex condicto, quod eſt duellum. 628

Homicidium abſolutè & ſimpliciter caſuale, quod ſcilicet nec in ſe nec in ſua cauſa eſt voluntarium, non eſt peccatum, imò nec propriè homicidium, ſed ſimplex occiſio: quia peccatum eſt eſſentialiter voluntarium. Ergo quod nullo modo eſt voluntarium, nullatenùs peccatum eſt.

Eſt autem homicidium ſimplicitur caſuale 1mo. Cùm nec in ſe, nec in cauſa ſua volitum eſt: ut ſi quis in ebrietate inculpabili alium occiderit; ſecùs ſi ebrietas ſit culpabilis, & hic caſus prævideri potuerit. 2. Cùm cauſa, etſi culpabilis, eſt tamen inefficax reſpectu homicidii: ut ſi quis alium leviter vulneraverit, & ex Medici negligentia, vel ex propria incuria, corruptum vulnus mortem attulerir. 3tio. Cùm etſi cauſa efficax fuerit, adhibita tamen fuit omnis, quæ viri prudentis judiciô adhiberi debuit diligentia: ut ſi quis in venatione, fiſtulâ explosâ, poſtquam ſatis circumſpexit, num adeſſet aliquis, hominem occiderit.

Homicidium non omninò caſuale peccatum eſt, plùs vel minùs grave, prout plus vel minùs eſt voluntarium. Quapropter homicidii rei ſunt 1mo. Qui actum, etſi licitum, tamen periculoſum ponunt, non adhibitâ ſufficienti diligentiâ; ut patet in venatore temerè fiſtulam explodente, & in nutrice, quæ relin- 629

relinquit infantulum in fenestra è qua decidere potest. 2do. Qui ponunt actum periculosum, nec in potestate habent, ut sufficienter diligentes sint. Hinc graviter peccant parentes, qui infantes tenellos in lecto secum reponunt, etiamsi eorum mors non sequatur; quia parentes à somno abstinere non possunt, & in continuo suffocandæ prolis periculo versantur. Can. 20. caus. 2. q. 5. Stephanus V. Homicidii reos declarat hujusmodi parentes, à quibus proles ita suffocantur. 3tio. Qui omittunt aliquod, ad quod ex justitia tenentur: undè homicidii reatum incurrunt, 1mo. Medici, quorum negligentia vel imperitia ægro mortem affert; tenentur enim scire, & aliis curandis cum ipsorum periculo se se non immiscere. 2do. Advocati, qui innocentem malè defendendo causa sunt, cur capite plectatur. 3tio. Principes, qui, cùm possunt, non abigunt latrones viatoribus infestos, &c.

630 Homicidio casuali directè opponitur Homicidium ex condicto seu duellum, quod Græci *monomachiam* vocant. Est autem Duellum *duorum vel paucorum certamen in certo loco, & tempore designato, cùm vitæ vel mutilationis periculo ex mutuo consensu & auctoritate privata initum.*

Dicitur *privata auctoritate*, nam pugna paucorum auctoritate Principis in bello justo ob bonum commune suscepta non est strictè Duellum, & quandoque licitum est, ut 1mo. Cùm suscipitur ad justum bellum conficiendum. 2do. Si tempore belli videtur necessaria talis pugna ad debilitandos hostium animos, suorum verò erigendos, & ad victoriam faciliùs consequendam, &c. Ratio est; quia sicut in bello justo ob bonum commune auctoritate Principis licita est pugna inter multos, ita & inter paucos. Sic David auctoritate Saulis pugnavit cum Goliath.

Illicita tamen esset pugna inter duos vel paucos etiam auctoritate Principis inita 1mo. Si per eam victoria ad statum magis dubium, quàm per pugnam generalem redigeretur; quia tunc Princeps peccaret contra justitiam in subditos, spem victoriæ ferè certam commutando cum incerto Duelli eventu. 2do. Si ad delectationem quamdam, vel vanam ostentationem, aut privatam vindictam permitteretur; quia Principes non habent dominium vitæ suorum subditorum, sed solùm convenientem usum ad bonum commune: unde non possunt eam exponere ob finem vanum, nec necessarium bono communi.

At Duellum privata auctoritate initum, de quo hîc nobis præcipuè est sermo, semper est peccatum mortale, undè illud nec offerre licitum est, nec oblatum acceptare. 631

Prob. 1mo. ex Conciliis. Lateranense III. annô 1179. sub Alexandro III. Can. 20. qui refertur lib. 5. Decret. tit. 13. cap. 1. sic statuit: *Felicis memoriæ Papæ Innocentii & Eugenii prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes . . . . torneamenta . . . in quibus milites ex condicto venire solent, & . . . temerè congrediuntur; undè mortes hominum & animarum pericula sæpè proveniunt fieri prohibemus. Quòd si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poscenti venia non negetur, Ecclesiasticâ tamen careat sepulturâ.*

Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 19. (r) *Detestabilem*, inquit, *duel-*

Pppp 2

(r) De Reformat.

duellorum usum fabricante diabolo introductum, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur, &c.

Et lib. 5. Decret. tit. 35. De purgat. vulgari cap. 1. (s) *Cùm tua fraternitas duxerit Sed. Apost. consulendam, utrum . . . . duella debeant sustineri? tuæ duximus sollicitudini respondendum, quòd in eo casu, vel aliis etiam hoc non debes aliquatenùs tolerare.*

632 Prob. 2do. multiplici ratione. 1mo. Quia Deus solus habet dominium vitæ hominis. Ergo non licet eam destruere, nec illius destruendæ periculo se exponere sine auctoritate Dei. Atqui Deus hanc auctoritatem non dedit privatis, nisi ad necessariam vitæ propriæ defensionem: nam destructio rei propria auctoritate facta arguit Dominium in illam. Ergo. 2do. Quia Duellum repugnat charitati tùm nobis tùm proximo debitæ; nam utriusque decertantis vitam & æternam salutem morali periculo exponit. Ergo. 3tio. Quia Duellum nulla justa de causa suscipi potest. Non 1mo. cùm ad virium jactantiam, inanemque gloriam suscipitur, ut factum est à Goliath; hæc enim gloria, & medium, quo procurari ipsa intenditur, perinde futilia sunt. Non 2do. cum agitur de lite terminanda, aut manifestanda veritate, detegendave innocentia: Nam Duellum non est medium, quod ad hunc finem assumi possit; tùm quia medium hoc est nimis crudele; tùm quia horrenda superstitione plenum est; tùm quia sæpè contingit, ut in bello seu publico seu privato succumbant, quos justam habere causam certum est. Non 3tio. si fiat animô vindictæ; quia vindicta ad Deum pertinet, non autem est licita homini privato; imò nec liceret eam exercere ex publica auctoritate cum æquali periculo illius, qui injuriam passus est. Non 4to. ex animo satisfaciendi; quia occidere alterum non est modus satisfaciendi, sed est mera vindicta; nam est nocere alicui, absque eo, quòd nobis aliquid emolumenti eveniat. Non 5to. ad vitandam ignominiam seu ignaviæ notam; hæc enim est falsa ignominia; nam apud Deum & homines verè sapientes ac probos, in quorum existimatione vera fama consistit, nullam incurrit ignominiam, sed magnam gloriam acquirit, qui, ut divinis humanisque legibus Duellum vetantibus pareat, injuriâ etiam affectus illud non offert, nec provocatus acceptat. Neque enim dedecus est, sed ingens honor ac gloria virtutem, & præsertim charitatem, ac fortitudinem, se ipsum, & iram vincendo, exercere, Christi patientiam ac mansuetudinem imitari, quippe *gloria magna est sequi Dominum*, inquit Ecclesiasticus cap. 23. Nam Dei præceptum, & virtus est sola regula veri honoris. Nec vir sapiens falsis improborum hominum judiciis, sed recta ratione & fide divina duci debet. Igitur qualiscumque sit illa apprehensa ignominia, quæ ex solo perverso mundanorùm hominum judicio sequitur, est prorsùs contemnenda, ne amittatur gloria Cœlestis ac Felicitas æterna, & contrahatur ignominia æterna, ac summa infelicitas. Neque enim ad ignominiam, quæcumque illa sit, vitandam licet vitam alterius, ac propriam periculo committere, contra legem divinam vetantem vitæ propriæ & alienæ destructionem, & proinde ejus pericu-

(s) Cœlestinus III, an. 1195.

periculum; nam solus Deus est hominum vitæ Dominus, & vita est superioris ordinis, quàm honor & fama. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Non denique 6to. ad vitandam summam etiam egestatem, ad quam e. g. Superioris ordinis miles, putà Centurio aliquis, qui se suamque familiam, uxorem nempe & proles, stipendiis, quæ à Principe suo percipit, unicè sustentat, redigetur, nisi Duellum vel offerat vel acceptet; tunc enim certò certiùs militiam deserere cogetur. Nam ad retinenda fortunæ bona etiam non licet Divinas humanasque leges violare, atque vitam, quæ, ut mox & alibi jam dictum, superioris est ordinis, periculo exponere. Talis igitur infortunium suum vel sibimet ipsi imputare, vel divinæ providentiæ committere debet; ut quæ illum, pro animæ suæ bono ac æterna salute, in calamitate & egestate dies ducere permittere velit. Et si aliter vitam sustendare non valeat, tandem ipsi superest mendicitas, in quo vivendi genere multos numerabit socios.

633 Existimant quidam Theologi, licitum esse ei, qui ad duellum provocatur, ne ignaviæ notam incurrat, dicere provocanti, se quidem duellum non acceptare, sed paratum esse se defendere, si quis eum invaserit. At summoperè timendum est, ne verba hæc indirectam duelli acceptationem complectantur, aliumque ad invasionem illius, qui sic loquitur, quodam modo compellant.

634 Duellantium pœnæ ex dictis præcipuè hæ duæ sunt in usu. Prima est excommunicatio contra duellantes, eorumque patrinos, suasores, &, ex composito saltem, spectatores Duelli, Principes & Dominos temporales, qui in suis terris locum aliquem ad ejusmodi pugnam concesserint, &c. De qua vid. Concilium Trident. Sess. 25. de reform. cap. 19. Secunda est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ eorum, qui in tali conflictu decesserint, &c.

§. IX.

De Restitutione propter homicidium & mutilationem facienda. 635

Qui alterum occidit aut mutilat, duplex damnum eidem inferre solet, unum personale seu naturale, quod in vitæ aut membrorum privatione consistit; aliud temporale, cujus species seu partes præcipuæ sunt 1mo. Impensæ factæ in curatione ægri. 2do. Lucrum inde cessans. 3tio. Damna, quæ patiuntur hæredes aut alii, quibus boni aliquid præstabat, aut debebat occisus.

Quæritur ergo hîc, an & quomodò ad hæc damna resarcienda teneatur injustus occisor. Diximus, *injustus &c.* Constat enim apud omnes, justum occisorem, eum v. g. qui ob necessariam sui defensionem alium occidit, non teneri ad restituendum, quia non peccat contra justitiam; modò non excesserit inculpatæ tutelæ moderamen; secus enim injustus occisor censebitur; hinc etiam, qui potuit & debuit fugere & tamen non fugit, injustus occisor meritò reputatur, quia alium sine necessitate occidit privata auctoritate; adeoque tenetur ad restitutionem. 636

637 Quantùm ad damnum personale seu naturale probabilius videtur, quòd occisor seu qui alium mutilavit, pro vita aut membro præcisè sumptis aliquid restituere debeat. Ratio est 1mo. Quia damnum omne, quantùm fieri potest, compensari debet. 2do. Justum non est, ut quis ab omni prorsùs restitutione eximatur, eò quòd nimium debeat, uti re vera nimium debet, qui vitam aut membrum, quæ nullo pretio redimi posse censentur, debet; sicque ille cui vita aut membrum injustè ablatum est sit pejoris conditionis, quàm ille, cui fama aut fortunæ bona ablata sunt.

638 Quale autem pro vita & membro dandum sit pretium, id prudentum judiciò definiendum est. Vide quæ suprà dicta sunt, ubi de restitutione bonorum ordinis superioris per bona ordinis inferioris.

639 Quantùm ad damna temporalia seu realia; ea resarcire tenetur injustus occisor; quia unusquisque tenetur ad resarcienda damna quæ intulit. Hinc tenetur ad restituendum hæredibus, 1mo. Expensas, quæ in occisi curatione factæ sunt. 2do. Cibos, quibus uti propter morbum coactus est, qui læsus fuerat, iis tamen deductis, quos aliàs consumpsisset. 3tio. Lucrum quod ex operis percepturus fuisset. Intelliguntur hîc hæredes duntaxat necessarii, & quos occisus de jure necessariò alere tenebatur, & alebat ex operis & quæstu; non autem intelliguntur hæredes non necessarii, ut sunt fratres, nepotes, &c. quos defunctus ab hæreditate excludere potuisset; ii enim jus strictum ad hanc sustentationem non habent.

640 Probabiliùs etiam occisor restituere tenetur occisi creditoribus, quod prudenter judicari potest ab occiso restituendum fuisse. Ratio est 1mo. Quia occisor causa fuit cur creditores id non recuperaverint, quod sibi strictè debitum est, & quod alioqui recuperaturi erant. 2do. Quia creditores jus habebant, ne debitor extra restituendi potentiam constitueretur; quod jus homicida violavit. Intellige nisi occisus tantum hæredibus suis reliquerit, undè creditoribus satisfieri possit; tunc enim creditores ab hæredibus quod sibi debitum est, repetere possunt.

Occisor etiam restituere tenetur, 641 etiam si supplicium luat pro homicidio. Ratio est 1mo. Quia mors in homicidam à Judice decernitur, non ut parti læsæ satisfiat, sed ut vindicetur illata Reipublicæ Injuria, aliisque terror incutiatur. 2do. Quia fur patibulô suspensus non desinit teneri ad restituenda, quæ abstulit. Ergo a pari.

Id etiam tenet, etsi occisus mo- 642 riendo testetur se ei condonare. Ratio est 1mo. Quia condonatio simpliciter facta intelligitur quoad legem charitatis, quæ præcipit, ut diligantur inimici, non autem ut à restitutione eximantur. 2do. Quia in occisione alicujus duplex intervenit injuria: alia quidem, quæ infertur patri occiso, & si hæc remittatur, occisor liber fiet à restituendo; alia verò, quæ infertur filio v. g. patris occisi; hæc autem, cùm sit ipsum jus filii, non potest à patre sed solùm à filio condonari.

Imò etiam occisoris hæredes, in 643 ejus defectum, tenentur ad restitutionem. Sequitur ex dictis; & ulterior ratio est; quia hæredes, ut in omnia jura, sic & in onera omnia succedunt.

Etiam

644 Etiam ad restitutionem tenetur, qui v. g. Cajum occidit, quem putabat esse Titium inimicum suum. Ratio est 1mo. Quia re ipsa est injustus occisor. 2do. Quia qui ædes alicujus incendere voluit, & alterius incendit, non desinit obligari ad restituendum. Ergo à pari.

645 Is autem, qui occidit hominem paulò post ex infirmitate moriturum, vel justè à Judice occidendum, solùm tenetur pro operis vel lucris cessantibus secundùm breve tempus illud, quo supervicturus erat. Ratio est, quia tunc occisor non est causa nisi modici illius damni. Si verò ille, quem occidit, ab alio injustè occidendus erat; tunc ad totius restitutionem tenetur. Ratio est, quia damnum, prout injustè illatum est, totum pendet à tali occisore, qui illus damni reparandi obligationem dividere non potest cum eo, qui alioqui occisurus erat, quia is actu & de facto non fuit occisor; nec proinde ullum damnum intulit.

Similiter qui brachium amputavit alicui, qui paulò post non ex vulnere, sed alia occasione mortuus est; nisi pactum, aut Judicis sententia præcesserit, solùm tenetur pro tempore, quo supervixit, non verò pro tempore mortem sequenti.

646 Probabiliùs etiam is, qui in Duello alterum occidit, tenetur ad restituendum tùm creditoribus, tùm uxori & filiis occisi, si indigent, & eos occisus ex quæstu suo alebat. Ratio est 1mo. Quia est vera & injusta causa omnium damnorum, quæ ipsi patiuntur. 2do. Quia ii jure suo nunquam cesserunt, nec illi pro ipsis renuntiare potuit, qui occisus est. 3tio. Quia ex suprà dictis patet, eos, quorum jus per vim ab aliquo læsum fuit, posse strictam ipsius reparationem exigere. Atqui uxoris & filiorum jus per vim & injustitiam læsum est. Ergo.

Cæterùm quoad æstimationem damnorum realium seu temporalium, quæ ex occisi morte consecuta sunt, spectanda est occisi conditio, sitne dives an pauper, juvenis an senex, doctus & ad laborem vigil, an in arte sua imperitus & segnis, innocens an propediem morti addicendus, sanus an morbo ad interitum vergente oppressus. Deinde attendendum id, quod est in spe ei, quod est in re, non æquipollere. Videndum etiam, an non soleret tantum consumere, quantum lucrabatur, an non ex eorum numero foret, qui familiam suam ad Xenodochium trahunt, &c. 647

§. X.

De injuria per stuprum & similes actus illata, nec non de ejus reparatione. 648

Septem vulgò numerantur luxuriæ species, nempe *fornicatio simplex*, quæ est copula carnalis soluti cum soluta; *stuprum*, seu defloratio virginis invitæ; *adulterium*, sive illicitus concubitus conjugatorum, vel utriusque, vel alterutrius; *raptus*, seu violenta abductio personæ renitentis, explendæ libidinis causâ; *incestus*, seu copula carnalis consanguineorum vel affinium intra gradus prohibitos; *Sacrilegium*, seu commercium carnale personæ Deo sacræ; ac demum *peccatum contra naturam*. Hæ luxuriæ species totidem sunt immania & mortalia peccata (*t*).

cata (*t*). Sed quia non omne peccatum proximo injuriam infert, idcircò de iis solùm impudicitiæ speciebus loquemur, quæ restitutionis obligationem pariunt. Et quidem

I.

649 *De commercio carnali soluti cum soluta.*

1mo. Is quis sine vi, fraude, dolo, vel promissione aliqua, sed ex libero virginis consensu, turpem corporis ejus usum obtinuit, nihil ei debet in foro conscientiæ. Ratio est, quia scienti, consentienti, & jure suo ultrò cedenti non fit injuria. Porro puella jure suo cedere potest, si non quoad claustrum virginale, saltem quoad reparationem damni.

Diximus *in foro conscientiæ &c.* Nam in foro fori seu exteriori talis corruptor ad dotandam virginem condemnari solet, quia præsumitur virginem decepisse & seduxisse, nisi contrarium probet.

Probabile videtur, quòd talis corruptor, etsi ex justitia nihil debeat in foro poli seu conscientiæ, tamen si dives sit, ex charitate saltem teneatur virginem defloratam pauperem dotare; quia ut plurimùm virgines pauperes in sui deflorationem non consentiunt, nisi sub spe dotis; quod in praxi videtur sequendum.

Diximus etiam *nihil ei debet.* Nam etsi corruptæ nihil restituere teneatur ex justitia, tamen parentibus ejus tenetur reparare damnum, quod eis intulit corrumpendo eorum filiam sub ipsorum potestate adhuc positam.

Porro tenetur mulier alere prolem 650 à partu usque ad tertium annum. Ab anno tertio & deinceps ipse corruptor, donec proles possit sibi providere: imò ab ipso partu, si mater non possit, vel ipse ad id se obligaverit. Si verò duo eandem fœminam cognoverint, & dubitetur uter sit pater, uterque tenetur æqualiter hoc onus sustinere, cùm æquale sit de utroque dubium, & uterque posuerit actionem per se generativam. Quodsi hospitali exposita fuit proles, debent parentes eidem hospitali restituere impensas: nam hospitale solùm fundatum est pro pauperibus gratis alendis, non pro aliis, nisi ipsorum sumptibus. Ita communior & tutior sententia.

Si autem corruptor garrulitate sua causa sit, cur puella ab ipso corrupta diffametur, tenetur ad restitutionem pecuniariam. Ratio est, quia hac iniqua diffamatione, causa est damni, quod patitur puella in ordine ad status susceptionem.

2do. Qui vi, fraude, vel falsis 651 persuasionibus virginem vitiavit absque promissione matrimonii tenetur compensare omnia damna virgini, & ejus parentibus indè obvenientia: quia est illorum causa per injuriam. Ergo tenetur ea resarcire pecuniâ, vel eam ducere, si aliter resarcire nequeat. In foro autem externo in pœnam obligatur ad eam dotandam, & ducendam, licèt nuptias non promiserit, ex cap. 1. De

(*t*) In Concilio Generali Viennensi sub Clemente V. Papa an. 1311. celebrato damnati fuerunt Beguardi & Beguinæ, qui inter alios errores tuebantur simplicem fornicationem non esse peccatum mortale.

De adulter. Preces autem importunæ censentur etiam vis quædam & seductio, præsertim si proficiscantur ab eo, à quo puella pendet, & erga quem metu reverentiali afficitur, timetque, ne quid mali ab ipso patiatur, nisi consentiat.

Etsi puellæ ejusque parentibus ex ipsius defloratione nulla obvenerint damna; ut quia res mansit occulta, & ipsa æquè commodis potita est nuptiis; tamen, juxta probabiliorem sententiam, corruptor adhuc pro solo damno virginitatis injustè violatæ tenetur facere compensationem pecuniariam, vel aliam arbitriô boni viri: quia nempè damnum irreparabile in bono superioris ordinis compensandum est per bona inferioris ordinis, prout suprà dictum est. Quòd si jam nupta damnum aliquod patiatur; quia res v. g. innotuit marito, atque ob id duriùs & deteriùs ab eo ipsa accipiatur, &c. certum est corruptorem teneri hæc damna resarcire, cùm ex injuria, quam intulit per puellæ corruptionem, sequantur.

652 3tio. Qui Virginem, sub promissione matrimonii sive verâ sive fictâ, corrupit, tenetur eam ducere. Ratio 1mæ. partis est; quia hæc promissio fuit verus contractus onerosus, sub conditione, quæ fuit impleta ab una parte. Ergo altera tenetur illum ex sua parte complere, cùm id licitè præstare possit. Ratio 2dæ. partis est 1mo. Quia qui exigit aliquid ab alio per fictam promissionem, injustè decipit, & facit injuriam, violando jus, quod quisque habet, ne per deceptionem aliquid ab eo exigatur: ac proinde deceptor tenetur injustam deceptionem ac injuriam tollere eliciendo verum consensum, atque, illo mediante, veram promissionem facere, & factam præstare: Et verò alioqui infinitis fraudibus commercia humana paterent, & in illis esset inæqualitas. 2do. Quia nemini, ut jura loquuntur, fraus sua & dolus patrocinari debent. Atqui patrocinarentur, si fictus animus tolleret obligationem puellam ita corruptam indemnem præstandi. Ergo qui fictè matrimonium promisit, non satisfacit pecuniam dando, si ipsa non consentiat; nam ipsa non consensit in copulam, nisi ut seductori nuberet. Nec huic licet ingredi Religionem: quia non potest nisi matrimoniô injuriam resarcire, ad quod ex justitia tenetur.

Excipiuntur tamen aliqui casus, 653 quibus corruptor non tenetur corruptam ducere, sive fictè sive verè id promiserit. 1mo. Si præsumatur, puellam deceptam non fuisse, sed temerè & insipienter matrimonii contrahendi spem concepisse, quod præsertim contingit, cùm magna est conditionum disparitas, ut si vir dives sit & nobilis, fœmina verò vilis & inops. 2do. Idem dicendum, si puella ex nimiis exaggerationibus, inconstantia & ambiguitate verborum satis animadvertere potuerit promissionem fictam esse. 3tio. Si puella deinceps cum alio fornicetur, cùm per hoc etiam sponsalia dirimantur. 4to. Si se virginem mentita fuerit, & jam corrupta fuisse deprehendatur; hoc enim casu non tam decepta est, quàm deceptrix. Si tamen, qui cum ea rem habuit, aliunde jam novisset, se cum non virgine rem habere, tenebitur ad eam ducendam sivè verè, sivè fictè promiserit; quia re ipsa deceptus non est, & mulier ex parte sua contractum implevit.

II.

654 *De adulterino carnali commercio.*

1mo. Si ex adulterio proles secuta non sit, tunc adulter ad nullam restitutionem tenetur: tùm quia per adulterium præcisè non infertur damnum, sed solùm injuria, pro qua, si tamen publica sit, non tàm debetur restitutio, quàm satisfactio; tùm quia ex Leg. *Transigere.* Cod. *De transactionibus*, transigere vel pacisci pro adulterio prohibitum est, ne videatur maritus uxoris lenocinium facere.

655 Si autem ex adulterio certò moraliter proles secuta sit, ut si eo tempore maritus abfuerit, ægerve fuerit, ad matrimonium impotens, &c. debet 1mo. ali, aut restitutio fieri Hospitali, si ibi nutrita fuerit, juxta id, quod hac de re paulò ante de commercio carnali soluti cum soluta num. 610. diximus. 2do. Adulter debet pro parte sua compensare damnum, quod legitimi hæredes patiuntur ex suppositione infantis spurii. Ratio est, quia adulter vera est hujus damni causa.

Quòd si adulter sit in dubio an proles sua sit, ipse pro rata parte dubii ad restituendum teneri videtur. Ratio est 1mo. Quia iniquum videtur, ut in casu dubii, debeat unus, isque innocens, totum onus subire, dum alter, & quidem reus, ab eo planè immunis est. Atqui maritus innocens totum subiret onus alendæ prolis, quæ fortè sua non est, dum adulter pessimus nihil contribueret ad alendam eandem prolem, quæ fortè sua est. 2do. Adulter causa est, cur maritus filio incerto præbeat alimenta ut certo. Atqui nocumentum ex hac incertitudine creatum est pretiô æstimabile. Ergo adulter, qui hujus nocumenti causa est, idem reparare debet. 3tio. Ille ad damni reparationem tenetur, contra quem est ejusdem damni præsumptio. Atqui contra adulterum est præsumptio damni; ubi enim constat de actione per se sufficienter damnificativa, ibi contra actionis hujus auctorem est præsumptio; unde ut à restitutione immunis sit, probare debet damnum ex actione sua non evenisse. Atqui adulter actionem de se damnificativam posuit, & non probat, ut supponimus, damnum ex hac actione sua secutum non esse. Ergo restituere debet tantò plus, quantò minùs probat se damni causam non esse.

Adultera verò tenetur ad reparanda, quantùm fieri potest, damna, quæ ex crimine ejus in maritum legitimosque filios derivantur. Hoc autem efficere potest, plus ex propriis bonis, si quæ habeat, legitimis filiis, quàm spurio, relinquendo. Si verò paraphernalia bona non possideat; cautè & prudenter persuadere conabitur patri putativo, ut legitimos filios pluribus instruat bonis quàm illegitimum. Item animum filii ad amplectendum Religionis statum flectere nitetur: si tamen idoneus sit, & divinæ vocationis signa præ se ferat. Denique rem domesticam majori quàm aliàs diligentiâ tractabit, de solitis corporis & vestium sumptibus detrahet, quantùm status & valetudo permittent, &c. Nunquam tamen, generaliter loquendo, etsi his & similibus modis damna hæc compensare non valeat, crimen suum prodere tenetur. Ratio est 1mo. Quia vel illud revelaret marito, vel filio spurio. Atqui nec marito, nec filio illud revelare tenetur; tùm quia revelatio hæc fieri non potest sine magna 656

mulie-

mulieris infamia, tùm quia eadem revelatio gravium malorum radix esse potest, ut quæ mulierem mortis periculo exponat, & maritum periculo uxoricidii, aut odii saltem perpetui; tùm denique quia filius matri non credet, nec fortè credere tenetur; aut si credat, vix probabile est, quòd ita perfectus sit, ut propter solum justitiæ amorem renuntiet hæreditati, quam in exteriori foro retinere tutò potest. 2do. Quia non est restituendi obligatio, cùm ille, qui debet, est in impotentia morali, ille verò cui debetur, non est rationabiliter invitus. Atqui mulier, quæ aliter satisfacere nequit, quàm immane crimen suum detegendo, est in impotentia morali, &c. Ergo. Undè cap. 9. *De pœnitentia* Innocentius III. decernit in tribunali pœnitentiæ absolvendam esse mulierem, quæ ignorante marito ex adulterio prolem suscepit, idque marito suo detegere non audebat. Atqui si mulier teneretur ad detegendum crimen adulterii sui, jam absolutionis capax non esset. Ergo.

Hæc resolutio tamen limitatur 1mo. Cùm adultera jam anteà famam suam publicè perdidit, quia tunc ex ipsa sua declaratione grave incommodum non patitur. Si tamen vel gravia indè mala sibi vereretur, vel prævideret sibi non credendum, rem pandere non teneretur. 2do. Cùm agitur de bono communitatis, ut si filius spurius regno succedere deberet, in magnum Reipublicæ damnum ob perditos illius mores, indolem pessimam, hæreseos disseminandæ desiderium: tunc enim mulier, si legitimè speraret impedienda esse per adulterii sui manifestationem hæc mala, teneretur illud manifestare, non solùm cum periculo famæ, sed etiam ipsius vitæ, quia bonum publium privato semper est anteponendum. Si verò simpliciter ageretur de continuanda in legitimis hæredibus Regni successione, non obligaretur semetipsam mortis periculo exponere. 3tio. Si mulier prudenter judicet spurium, utpote virum frugi, sibi fidem habiturum esse (quod tamen rarissimè præsumi potest) tunc enim infamia nocentis apud unum aut alterum minùs habet incommodi, quàm gravissima innocentum damna.

At verò an filius teneatur credere 657
matri, quæ asserit eum illegitimum esse; non conveniunt Theologi; dicunt aliqui filium non teneri credere matri etiam juranti, nisi manifestis argumentis id probet, ut si demonstret patrem ante & post conceptionis tempus abfuisse. Quia, inquiunt, nemo unius, quamvis non suspecti, hominis testimonio credere tenetur in sui præjudicium; præsertim cùm testis ille turpitudinem suam allegat. Alii tamen docent, & quidem probabiliter, in hoc casu matri esse credendum, si probæ sit fidei, præsertim rectæ conscientiæ, & rem juramentô confirmet, in articulo mortis. Et certè quid vetat, ne turpitudinem alleganti habeatur fides, quando certum est eam nec ex odio, nec ex personarum acceptione loqui?

Porro hanc agendi rationem, qua 658
mater quæ ex filiis unum ex adulterio suscepit, illos omnes convocans declarat, unum ex illis esse illegitimum, quæritque ab ipsis num velint, ut ipsa eum denominet, vel ut innominatus cum ipsis hæreditatem partiatur? iniquam reputamus, 1mo. Quia omnibus metum gravem injustè incutit, efficitque, ut omnes renuntient parti hæreditatis sibi certò debitæ. 2do. Quia per eam proles legitima illegitimitatis suspicioni exponitur; facilè enim con-

tinget, ut qui spurius non est, ob certa oris & vultus lineamenta pro spurio habeatur.

659 ## Caput III.

De injuriis contra famam & honorem, earumque reparatione.

Octavum Decalogi præceptum, *Non falsum testimonium dices*, latiùs patet, quàm verba præ se ferant: eo enim prohibetur non solùm quidquid mali de proximo dici potest in judicio & extra judicium, quo pertinent Detractio, calumnia, contumelia, susurratio; sed etiam judicium temerarium, item suspicio ac dubitatio temeraria, ac denique omne mendacium, illud præsertim, quod proximo nocet, ejusque famam & honorem lædit. Est autem fama, bona opinio sive existimatio de alicujus excellentia, quæ opinio efficit, ut habeatur pro bono vel absolutè, vel relativè, putà in ordine ad societatem, scientiam, artes, &c. Honor verò est testificatio excellentiæ alterius, facta per externam reverentiæ aut submissionis exhibitionem. Hinc patet discrimen famam inter & honorem in eo situm esse, quòd fama in interiori judicio posita sit, honor verò in externo æstimationis signo consistat.

Quòd autem fama & honor per detractionem aliaque vitia mox enumerata violentur, patet ex nudis eorum definitionibus, & infrà ampliùs declarabitur.

660 Detractio definitur Injusta alterius famæ in ipsius absentia læsio, vel ademptio. Contumelia est alieni honoris injusta & aperta læsio seu ablatio; estque peccatum Detractione gravius, ut quæ coram & in facie fiat, sicuti rapina est pejor furtô, ideoque in confessione exprimi debet. Calumnia est falsi criminis, vel defectûs impositio; atque sub Detractione velut species sub genere continetur: Detractio enim octo modis fieri potest, ut docet S. Thomas: 1mo. Falsum crimen aut defectum imponendo. 2do. Amplificando illud quod verum est. 3tio. Occultum detegendo. 4to. Sinistrè interpretando, quod rectè ab alio gestum est. 5to. Negando aliquem certis quibusdam dotibus frui, rective aut boni quidpiam fecisse. 6to. Dotes illas aut bona imminuendo. 7mo Tacendo iis in circumstantiis, in quibus silentium pro vituperio habetur. 8vo. Adeò frigidè laudando, ut facilè alii sentiant eum, quem laudas, parùm laude dignum tibi videri. Hos detrahendi modos, quorum priores quatuor sunt directi, posteriores verò indirecti sequentibus versibus exprimuntur:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat aut minuit, reticet, laudatve remissè.

Susurratio ad Detractionem quoque reducitur, estque alienæ famæ occulta læsio.

Judicium temerarium est mentis assensus sine sufficienti fundamento circa rem aliquam præstitus, qui, si sit cum formidine oppositi, dicitur opinio; Si sine tali formidine, est & vocatur judicium firmum. 661

Dubitatio temeraria pariter est suspensio animi assensum inter & dissensum sine sufficienti fundamento.

Suspi-

Suspicio est etiam inclinatio & propensio mentis ad assentiendum uni parti sine sufficienti causa, ita tamen ut mens nondum plene & absolutè assentiatur. De mendacio suprà cap. 4. jam sufficienter e. imus; de reliquis ergo contra famam & honorem proximi injuriis sequentibus paragraphis tractabimus.

§. I.

An & qualia, & quando Detractio, calumnia, & contumelia, sint peccata?

662 CONCLUSIO

Hæc tria sunt ex genere suo peccata mortalia contra justitiam.

Prob. 1mo. ex S. Scripturà. Prov. 24. vers. 9. *Abominatio hominum detractor.* Eccli. 10. vers. 11. *Si mordeat serpens in occulto, nihil minus eo habet, qui detrahit.* Rom. 1. vers. 30. *Detractores & contumeliosi* dicuntur *digni morte.* Et 1. Cor. 6. *Neque fures . . . neque maledici regnum Dei possidebunt.*

Prob. 2do. ex SS. Patribus. Pro omnibus sit Sanct. Hieronymus, qui in Psal. 100. docet Detractionem esse fornicatione pejorem, *quia*, inquit, *qui fornicatur, se tantùm occidit: ille autem, qui detrahit, & se & illum, qui audit, demergit.* Addit in Psal. 38. illud peccatum longè gravius esse, cùm virum justum aggreditur, *Qui detrahit justis*, inquit, *diabolus est.* Et in Psal. 149. *Non putent Monachi*, inquit, *se debere esse securos, dicentes: grandia crimina non facimus in Monasterio; non adulteror, non furtum facio, non homicidium . . . . grande scelus est, quando detrahis fratri tuo; linguâ tuâ fratrem tuum interficis.*

Prob. 3tio. Ratione. Quod proximum in fama & honore iniquè lædit, grande crimen censeri debet, justitiæque simul & charitati contrarium. Atqui detractio in fama, contumelia verò in honore proximum iniquè lædit, adeoque eum spoliat bonis, quæ divitiis longè præstant, juxta illud Prov. 22. *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ.* Ergo.

Atque hæc intelligenda sunt non 663
solùm de ea detractione, quæ ex malo animo procedit, sed de ea etiam, quæ ex loquacitate & levitate animi oritur, absque intentione lædendi proximum: hæc enim detractio est injusta læsio famæ proximi; tùm quia indirectè saltem est voluntaria, cùm voluntaria dicantur ea, ex quibus per se sequitur læsio famæ alienæ; tùm quia jus habet proximus, ne quis sive ex loquendi prurigine, sive ex alio motivo ea afferat & jactet, quæ nata sunt famam ejus imminuere.

Diximus in conclusione *ex genere* 664
suo. Nam possunt esse veniale peccatum, 1mo. Ob defectum sufficientis advertentiæ. 2do. Ob materiæ levitatem, ut si narretur levis aliqua alterius imperfectio. Imò docet Sanct. Thomas quæst. 72. art. 2. ad 3. posse aliquem disciplinæ causâ alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convitiosum dicere: *& hoc modo*, ait, *Dominus Discipulos vocavit stultos: & Apostolus Galatas insensatos.* Hinc excusari possunt parentes & Domini, qui erga filios & famulos verbis quibusdam contumeliosis utuntur: his tamen abstinere satius est, utpotè quæ frequenter lædunt, & rarò emendant.

665 Igitur Detractio & contumelia sunt culpa mortalis, quoties sine justa causa graviter læditur fama vel honor proximi, licèt absque animo graviter lædendi: nam peccatum mortale est damnum notabile sine justa causa inferre proximo. Venialis verò, si non graviter lædatur; nam levitas damni excusat à mortali: nisi fiat ex intentione graviter nocendi, vel prævideatur gravem dolorem concitatura proximo.

666 Graviter autem vel leviter læditur fama vel honor pro gravitate vel levitate materiæ, spectatis omnibus circumstantiis, præsertim personæ læsæ: nam gravitas vel levitas materiæ hîc præcipuè spectanda est relatè ad personam læsam & ejus famam: fieri enim potest, ut, quod respectu unius est materia levis, sit gravis respectu alterius, si sit persona magnæ auctoritatis & famæ valdè integræ, aut quæ obligetur ad majorem vitæ sanctitatem: ut si de puero vel vili famulo dicas, quòd sæpè mentiatur, censetur leve; at si hoc dicas de Episcopo, Sacerdote, Religioso bonæ famæ, vel Laico honorato, est grave: nam per hoc graviter læditur fama illorum, cùm ii, qui mentiri consueverunt, despici soleant, præsertim si ex statu, munere, officio, cæteris virtute præstare debeant.

667 Contumelia etiam in se levis potest esse gravis respectu personæ, cui infertur, ut si sit Superior, Pater, &c. Imò semper mortalis est, quoties fit ex animo graviter dedecorandi vel contristandi proximum; nam sola voluntas gravis mali proximo creandi sine justa causa est mortalis. E contrà si convitium absolutè ac in se grave sit, sed propter vilem personarum conditionem, aut patrium loquendi morem, grave esse non censeatur, veniale esse docent multi, qui mortalis peccati non damnant pueros, mulierculas, ac viros infimæ sortis, cùm certis conviciis ac contumeliis apud plebejos usitatis se lacessunt: quia honor vilium personarum his injuriis graviter lædi non censetur, nec his fides adhibetur. Excipe nisi sit intentio graviter lædendi vel contristandi, nam hæc mortalis est.

Hinc 1mo. mortaliter peccat, qui detrahit eum animo notabiliter lædendi famam proximi, vel absque tali animo eam notabiliter lædit, aut dat causam talis læsionis, advertens, vel advertere debens probabiliter ex suo dicto vel facto tale damnum inferri. 668

2do. Narratio defectûs venialis est plerumque solùm venialis; quia non solet graviter lædere famam proximi; cùm etiam justi sine culpa veniali non vivant, *in multis enim offendimus omnes.* Jacob. 3. Est tamen mortale dicere de quibusdam personis in munere vel statu majorem perfectionem exigente constitutis, v. g. Episcopô, Religiosô, &c. quod habeat consuetudinem alicujus peccati venialis, v. g. quòd sæpè plus justô bibat, sit vanus, &c. Nam in talibus id censetur magni momenti, & eorum fama multùm inde minuitur, & ideò despiciuntur. 669

3tio. Quamvis referre aut exprobrare defectus naturales & involuntarios, ut ingenii, corporis, fortunæ, solùm veniale esse possit, cùm hi defectus non sint culpabiles, tamen mortale est, si fama vel honor inde graviter lædatur, vel si proximus graviter sit contemnendus, viliorque apud alios reddatur; ut si de viro honorato dicas 670

cas

cas ejus patrem suspendio occubuisse, triremibus fuisse damnatum; vel occultum natalium defectum narres, aut eundem ei per modum convitii in faciem exprobres: hæc enim, quia gravem mœrorem creant, mortalem culpam important: nam mortale peccatum est sine justa causa proximum graviter contristare, vel grave damnum ei inferre.

671 4to. Detractio, quæ generalibus nominibus vitiorum tam mortalia quàm venialia comprehendentibus fit; ut si dicas aliquem esse avarum, iracundum, &c. mortalis est, quando cum damno notabili aut magno ejus periculo fit, aut coram talibus, qui probabiliter existimari possunt non levis sed gravis peccati ideam concepturi; quia tunc fama proximi graviter læditur, aut saltem, ne lædatur, grave est periculum. Aliter dicendum si audientes moneantur de levibus culpis, aut de sola animi propensione duntaxat sermonem esse.

672 5to. Peccant etiam mortaliter, qui licèt generalibus utantur verbis, magni tamen sceleris suspicionem & ideam apud auditores excitant: ut si dicant, se de tali homine aliquid scire, quod de eo nemo facilè suspicetur; aut se ei quædam exprobrare posse, quibus pudore suffundatur; aut se de eo quædam esse revelaturos, nisi ea æternò premi silentiô charitas juberet: hæc enim ambigua & generalis detrahendi ratio plùs vulgò nocere solet, quàm si singulares alicujus defectus exprimerentur.

673 6to. Multi docent, quòd, quando ratione conditionis personæ peccatum aliquod mortale non censetur notabiliter lædere famam, illius revelatio non sit mortalis: ut si de milite narres, eum duellum commisisse; vel referas ea delicta de personis, quas scis se de illis publicè jactare.

7mo. Irrisio, (*u*) quæ est species 674 contumeliæ, mortalis est, quoties fit ex animo graviter confundendi proximum, vel exprobratur sine justa causa grave peccatum, aut defectus infamis, vel derisus graviter contristatur, aut contemnitur: nam ei grave malum infertur sine justa causa.

8vo. Detegere crimen verum sed 675 occultum alicujus est peccatum mortale, sive persona, quæ illud perpetravit nominetur, sive solùm communitas, ex qua illa persona est, quando Communitas inde gravem infamiam passura est, ut Monasterium, Capitulum, &c.

Ratio 1mæ. partis habetur ex dictis suprà in Conclusione; quia crimen occultum in foro externo & apud homines, qui illud ignorant pro nullo censetur, atque per illius manifestationem gravis injuria, nempe famæ illius violatio, ei infertur, & irreparabile velut damnum creatur. Ratio 2dæ. partis est; quia gravis infamia illi Communitati injustè infertur; enimverò quamvis Congregatio Regularium re ipsa non maculetur ex unius hominis nequitia, sicut nec Apostolorum Collegium ex scelere Judæ; maculatur tamen ejus fama apud homines præsertim simplices & imperfectos.

A fortiori peccat mortaliter, qui de 676 aliqua Communitate in genere detrahit, v. g. si dicat de aliqua Communitate Religio-

(*u*) Irrisio est actio, qua factum alicujus seu ipsemet ad ridiculum trahitur aliorumque derisui exponitur.

Religiosa, nullam ibi esse disciplinam, aut de Civitate, eam esse plenam adulteris, usurariis, &c. nisi hæc infamia sit publica ubi hoc dicit.

677 9no. Susurratio seu detractio in re gravi apud unicam personam & sub secreto, licèt putetur non revelatura, est peccatum mortale. Ratio est, quia tunc injustè infertur proximo grave damnum ablatione bonæ existimationis apud alium; atque diffamatio apud unicum per se gravem molestiam & dolorem creat, ut vel patet ex difficultate, quam ordinariè homo habèt in aperiendo crimine suo soli Confessario, etsi sciat, hoc sibi salutare esse. Unde vix invenitur vir honestus, qui naturaliter non ferat molestius bonæ famæ amissionem apud unum virum gravem, quàm jacturam summæ notabilis pecuniæ.

§. II.

678 *Quinam obnoxii sint restitutioni famæ.*

Imo. Dubium non est, quin Detractor teneatur ad famæ restitutionem; utpotè qui præcipuus sit injustitiæ auctor. Ratio est; quia jactura boni cujuslibet, atque præcipuè ejus, quod inter alia est præstantius, resarciri debet; nam non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Atqui per detractionem facit homo jacturam boni, ejusque inter alios præstantissimi. Ergo Detractor, qui bonum istud injustè abstulit, illud resarcire & restituere tenetur.

679 Atque hæc obligatio urget 1mo. Quamvis quis nonnisi ex ignorantia detraxerit, putà si occultum alterius crimen revelaverit, quia illud publicum esse putabat; aut si illud denuo narratum existimavit, ac deinceps narravit, cùm narraretur de alio. Ratio est 1mo. Quia justitia obligat quemlibet ad impediendum, ne ex actione sua, etiam inculpabili, alteri damnum creetur, cùm illud impedire potest. Hinc qui ignoranter alienæ domui vel segeti ignem applicuit, eum, statim ac animadvertit, extinguere debet. Atqui infamia tanquam ignis grassatur, viresque acquirit eundo. Ergo. 2do. Quia etsi talis detractor ab initio non fuerit injusta alieni damni causa, incipit tamen injusta causa fieri, dum malam opinionem, quam injecit, & evellere potest, in alterius mente relinquit. Atqui quilibet tenetur omni ope efficere, ut injusta damni alieni causa non sit. Ergo. Excipe tamen, si diffamatus damnum jam passus sit, antequam Detractor ignorans errorem suum agnoverit; nam tunc hic restituere seu resarcire ablatam famam non tenetur; quia sic voluntaria ejus diffamationis causa censeri non potest. Excipiunt etiam aliqui; si quis verum crimen de aliquo dicat, alii verò (quod ipse ex sua locutione minimè prævidere potuit) qui audiunt, de alio dici putent, & de isto ulteriùs divulgent: Quia, ajunt, eo casu talis non est vera hujus damni causa, sed mala aliorum intelligentia, cujus occasio duntaxat ipse fuit. Meliùs tamen sentire videntur, qui docent talem non modò ex charitate, quod alii ultrò concedunt, sed ex justitia teneri ad resarciendam famam diffamati. Ratio est; quia justitia quemlibet obligat ad efficiendum, ne ex actione sua alius damnum sine justa causa recipiat.

Urget 2do. eadem obligatio reparandæ proximi famæ etiam cum proprio famæ periculo; quia in pari periculo potior est conditio innocentis. Imò urget cum periculo vitæ propriæ, si ex infamia imminet innocenti periculum 680

vitæ,

vitæ, aut pernicies, vel grave bellum Reipublicæ, quia damna, quæ tunc pateretur infamatus æquivalent, aut etiam præstant damnô vitæ infamatoris. Si tamen aliquis propriam revelans malitiam non esset innocentem liberaturus, tacere deberet; quia nemo tenetur ad onus inutile cum proprio gravi incommodo.

681 Urget 3tio. eadem obligatio, etiamsi occultum crimen uni tantùm viro probo ac tacituro detegatur; ex rationibus passim allegatis, & præcipuè supra §. 1. num. 9.

682 Urget 4to. Etiam cùm defunctis detrahitur. Ratio est 1mo. Quia mortui, ut justè honorari possunt, sic & iniquè diffamari. 2do. Quia mortui ratione prioris suæ voluntatis, quæ juris & dominii fundamentum est, jus habent, ut fama, quam vivi habuerunt, superstes maneat.

683 Urget 5to. Si crimen sola facti vel famæ publicitate alicubi notorium in eo loco reveletur, quò fama illud perlatura non erat. Ratio est, quia tunc peccatur etiam contra justitiam, quando jus alterius sine causa violatur. Sed qui revelat crimen alterius in casu proposito, jus alterius violat sine causa; habet enim alter jus ad famam suam pro loco, in quo non est infamatus, cùm eo jure nec per Judicis sententiam privatus sit, nec per naturam facti sui: Infamia enim facti non tollit jus ad famam, nisi quantùm exigit notorietas facti. Atqui notorietas facti in uno loco non exigit, ut idem factum ubique divulgetur sine causa, ut hìc nullam subesse supponimus. Ergo. Et certè, an non iniquum est, ut qui, amissâ in uno loco famâ, in alium se transfert, ut ibi piè & inculpatè vivat, de crimine, quod imprudens admisit, turpiter infametur, & vel infamis, vel exul vivere cogatur?

Urget 6to. Cùm infamatus de uno crimine infamatur de alio occulto, quod isti annexum non est. Item cùm crimen olim solâ famâ publicum, sed oblivione, vel conversatione sanctâ, bonisque moribus deletum, nescientibus narratur, aliisque in memoriam revocatur. Ratio 1mæ. partis est, quòd, qui famâ excidit quoad unum crimen publicum, eandem conservet quoad alia, quæ sunt occulta. Ergo qui hæc revelat, eidem injuriam facit. Hinc graviter peccat, & ad restitutionem famæ tenetur, qui scienti mulierem adulterium cum Titio perpetrasse, narrat eandem similis cum Cajo criminis, quod occultum erat, ream se constituisse: relapsus enim multùm auget infamiam. Sed si crimen aliud cum alio connexum sit, non peccatur; ut si de homine publicè ebrioso dicas, eum cum uxore rixari, pueros non alere, ut par est. Ratio 2dæ. partis est, quòd vel tempore, vel piis moribus res ad eum reducatur statum, in quo erat, antequam publica foret. Atqui antequam publica foret, peccasset, qui eam revelasset sine causa. Ergo & cùm priorem occultæ rei naturam induit, peccat, qui eam manifestat, ut peccasset, si eam, antequam publica foret, manifestam fecisset. 684

Urget 7mo. hæc reparandæ proximi famæ obligatio, si quis crimen alicujus, ob quod quidem per Judicis sententiam non propriè publicam, sed juxta Judicis intentionem pro particulari duntaxat aliquorum notitia latam, damnatus & punitus est, qualis est sententia, quæ adversùs Religiosum in Communitate fertur extra Monasterium vel Collegium propalet; quia re ipsa Religioni nocet, & 685

& hominem infamat coram iis, ante quos ne infametur jus habet. Secus dicendum de eo, qui juridicè per sententiam publicam infamatum in uno loco, infamat in alio, ubi crimen ejus ignoratur; quia reus per hanc Judicis sententiam omni in famam suam jure privatur pro omni loco: Judex enim jus habet & simul intentionem reum, quem publicè condemnat, famâ spoliandi, sicut & eum vitâ spoliare potest; ut nempe cæteris exemplo sit & terrori. Attamen talis infamans peccat graviter contra charitatem & primum illius principium, quod vetat, ne quis alteri faciat, quod sibi factum doleret: at verò quis velit, ut sibi auferatur fama, ad quam quidem jus non habet, sed quam sine dolo & fraude possidet; Excipe tamen, nisi sententia adversùs reum in uno loco publicata, brevi esset in alio loco publicanda, sive per Judicem, sive per communem famam; quia sive paulò citiùs, sive paulò tardiùs fama destruatur, parvi admodùm est momenti, juxtà communem hominum æstimandi morem; nisi ex anticipatione illa gravia damna infamato consequantur in officiis, bonis, &c.

686 Urget 8vo. Si sententia saltem materialiter injusta cognoscatur, quatenus hominem damnat ut criminis reum, quod ab eo admissum non esse cognoscitur; quia in hoc casu infamatur innocens, qui ex ipsa innocentia sua jus ad famam & nominis integritatem semper conservat.

687 Urget denique 9no. Si crimen reveletur, quod quidem jam confessum est, aut à testibus convictum, sed si nondum secuta sit Judicis sententia; quia revelatur crimen, quod, licèt in ordine ad Judicem occultum non sit, in ordine tamen ad populum esse debet occultum. Et certè hujusmodi convictus vel confessus necdum famâ suâ per Judicem privatus est. Non tamen peccabitur, saltem graviter, si vel reus publicâ, ut contingere solet, in loco, ubi crimen admisit, infamiâ laboret; vel Judicis sententia brevi post revelationem hanc tempore secutura certissimè cognoscatur.

IIdo. Hæres tenetur ad restitutionem 688 damnorum, quæ ab eo, cujus est hæres, illata sunt proximo per detractionem. Ratio est; quia tale onus est reale. Ergo cum aliis oneribus sicut & commodis ad hæredem transire debet. Sed non tenetur retractare ea, quæ dixit infamator; quia hæc obligatio est personalis.

IIItio. Qui ita audit detrahentem, ut 689 fiat detractionis causa, putà hortando, incitando alium ad detractionem, significando sermone detractoris sibi arridere; item interrogando, ut stimulos addat, peccat & contra charitatem & contra justitiam, unde idem contrahit restituendi onus, quod ipse detractor. Ratio est; quia tunc alium inducit ad peccandum, & iniquæ ejus actionis causa est, aut ei, saltem moraliter, cooperatur. Ergo non minùs peccat, quàm detrahens, imò *quandoque magis*, inquit S. Thomas hîc q. 73. a. 4. *undè Bernardus dicit: detrahere, aut detrahentem audire, quid horum sit damnabilius, non facilè dixerim.*

Quòd si auditor interiùs de detractione 690 gaudeat, exteriùs tamen non significet eam sibi placere, adeoque ei sufficienter non cooperetur, quod rarum est, non tenetur ad restituendum; quia non est damni causa. Peccat tamen mortaliter contra charitatem, quia qui proximi damnum sine suo gravi incommodo repellere potest, peccat, si id non repellat.

pellat. Imò eo ſenſu peccat contra Juſtitiam, quòd gaudeat de actu injuſto, tametſi, ut ſupponimus, in eum non influat. Eodem modo peccat, qui, quam novit, calumniæ falſitatem, non aperit & probat, quantùm poteſt.

691 Porro detractoribus tunc tantùm reſiſti debet, cùm id utiliter fieri poſſe prudenter judicatur, cavendumque, ne detractor potiùs inflammetur, quàm coërceatur. Sed ſi reſiſtere apertè nequeas, vel diſcedendum eſt, vel ſermo aliò eſt convertendus, vel triſtioris vultus ſpecie oſtendendum, te iniquitatis participem fieri nolle. Nam *ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Prov. 25.

At, proh dolor! Detractionis vitium noſtris temporibus adeò commune eſt, ut, ſicut *pauci ſunt, qui huic vitio detractionis renuntient*, juxta S. Hieronymum epiſt. ad Celant. ita pauci ſint, qui benigniorem detractoribus aurem commodando animam ſuam non coinquinent. *Si cui tamen non placeat peccatum; ſed ex timore vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, ſed multò minùs, quàm detrahens, & plerumque venialiter*, ait S. Thomas 2. 2. q. 73. a. 4.

692 IVto. Superiores, quales ſunt Patres, Domini, Prælati regulares & ſæculares, ſi Communitatem, aut aliquod ejus membrum, vel ab extraneis, vel à ſubditis ſuis infamari videant, & non obſtent, peccant contra juſtitiam, & in detractoris locum reſtituere tenentur. Ratio eſt 1mo. Quia Prælatus ex vi taciti contractûs ipſum inter & Communitatem, ac ſingula ejus membra initi, tenetur ex officio conſervare ea ſaltem Communitatis ac privatorum bona, quæ majoris ſunt momenti. Atqui in hoc ordine eſt fama. Ergo. 2do. Quia Superiores videntur in ſe ſuſcepiſſe onus protegendæ ſuorum inferiorum famæ, non ſolùm contra alios ſibi pariter ſubditos, quos a peccato & ab injuſtitia cohibere poſſunt & debent; ſed etiam contra extraneos. Hinc Magiſtratus eos, qui concives ſuos, miſſis in publicum famoſis libellis, dilaniant, graviter punire debent: quantùm verò ad alias minoris momenti detractiones, uſus invaluit, ut Magiſtratus parti læſæ ſatisfactionem poſtulanti eam concedat, ſi diffamator dictum non probaverit; non verò ut, parte læſa tacente, ad reſtituendum cogat diffamatorem.

Vto. Jure naturali non licet librum 693 famam proximi lædentem, & crimina licèt vera, ſed tamen occulta, ſine juſta cauſa pandentem, legere perindè ac audire detractionem; quia lector criminis auctoris libri quodammodò conſentit, ac cooperatur, quemadmodùm auditor detractioni. Deinde quiſque rationabiliter cuperet, ut liber, contra ejus famam injuſtè ſcriptus, à nemine legeretur.

§. III.

Quomodò & coram quibus fama reſtitui debeat. 694

Imo. Fama reſtitui debet quamprimùm, & efficaciter, necnon coram iis omnibus, coram quibus ablata eſt.

Ratio 1mi. eſt; quia bonum, quod injuſtè detinetur, & quod ex hac ipſa injuſta detentione quotidie in deteriori ſtatu ponitur, neceſſariò reſtitui debet, quamprimùm id fieri poteſt. Atqui fama injuſtè ſemel ablata injuſtè detineri pergit, & niſi quamprimùm reſtituatur, quoti-

quotidie in pejori, quàm antea, statu reponitur, quia infamia eundo crescit. Ergo. Ratio. 2di. est; quia damnum quod inefficaciter reparatur, vel re ipsa permanet, vel saltem secundùm se totum non desinit. Ergo.

695 Porro cùm fama tollatur vel per impositionem criminis falsi, vel per revelationem occulti veri, aliter & aliter in utroque casu gerere se debet detractor. In primo expresse & apertè retractare debet id, quod dixit; imò & adhibere juramentum, aut rem coram Notario & testibus protestari. Ratio est; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, sine quibus finis haberi non potest: cumque necesse sit, ut amborum, infamati nimirùm & detractoris, alteruter infamis remaneat, præstat, ut in pari jure melior sit innocentis, quàm sontis, conditio.

In secundo casu, cùm nempe diffamatio facta est per revelationem veri criminis, longè major est difficultas. Docent aliqui, detractorem debere dicere se esse mentitum; neque sic eum mentiri, cùm crimen occultum in foro externo & apud homines nullum sit; sed ipsis contradicunt alii. Volunt quidam, ut infamatus publicè laudetur: sed vel laudatur in ea materia, in qua fuit infamatus, ut, si quem adulterum esse dixisti, castum esse & uxori suæ fidelem dicas, & tunc in aliorum sententia mentiris: vel in diversa, ut si temperantem & devotum dicas, quem latronem dixisti; & tunc manet prior infamia, nec restituitur fama ad æqualitatem. Alii suadent, ut detractor dicat: *malè fui locutus, contempsi meliorem me, injustè proximum infamavi, mihi fides haberi non debet.* Atqui hic modus, etsi fortè apud plebejos valere possit, vix tamen valebit apud prudentiores, qui norunt, si crimen falsum sit, dicendum esse, *Mentitus fui.* Ut ut sit diversus pro diversitate personarum, quibus facienda est famæ restitutio, restituendi modus adhiberi debet, qui si efficax esse nequeat, satiùs est, ut condonatio ab infamato humiliter petatur.

Ratio 3tii. est; quia fama à detra- 696
ctore aufertur non solùm coram iis, quibus ipse alterius crimen immediatè revelat, sed etiam coram iis, quibus primi & immediati auditores, id, quod à detractore audierunt, retulêre; nam est vera & culpabilis causa, quod infamatus tam apud istos, quàm apud illos damnum patiatur, atque bonum, quo fruebatur, nomen amiserit. Ergo coram iis omnibus famam proximi sui restituere debet, saltem in priorum defectum, si prævidit, vel prævidere potuit, eos, apud quos detraxit, rem propagaturos. Unde ab immediatis auditoribus tenetur quærere, an idem aliis retulerint. Imò etiamsi probabiliùs putasset auditores immediatos audita non esse relaturos aliis, videtur adhuc teneri in horum defectum: quia tunc adhuc dedit injustè occasionem illi ulteriori infamiæ: nam homines, etiam aliàs prudentes, facilè data occasione, ex inconsiderantia, vel aliter, audita narrant. *Qui autem occasionem damni dat, damnum videtur dedisse.* Cap. ult. de injur. Hinc detractor retractationem suam, quantùm Christianè fieri potest, publicam efficere debet, ut qui crimen didicerunt, criminis reparationem non ignorent.

IIdo. Qui ablatam famam aliter com- 697
pensare non potest quàm summâ pecuniariâ, eam sic compensare tenetur, non solùm post sententiam Judicis, sed etiam ante ipsam. Habetur ex iis, quæ suprà dicta sunt, ubi ostensum est, bona superioris ordinis, ut vitam & membra,

per

per inferioris ordinis bona compensari debere, cùm compensari aliter non possunt. Verum quidem est, quòd fama secundùm se sit argentô pretiosior; potest tamen tantum pecuniæ dari, ut æquiparetur famæ, sicut argentum æquivalere potest auro, etsi aurum sit argentô pretiosius: atque hoc præsertim verum est hoc nostro tempore, quo *Et decus & famam regina pecunia donat.*

§. IV.

698 *De causis à restituenda fama excusantibus.*

I. Impotentia physica excusat à fama restituenda; quia, ex recepto axiomate, ad impossibile nemo tenetur.

II. Excusat impotentia moralis; undè qui famam alterius, quam læsit, sine suo longè majori incommodo reparare non potest, ad id non tenetur. Excipe nisi læsus iisdem exponatur incommodis ob amissionem famæ, prout suprà dictum.

III. Excusat inutilitas. Sic 1mo. qui revelavit crimen occultum, quod posteà factum est notorium notorietate juris & facti, perperam hoc reparare niteretur. 2do. immunis etiam est à restitutione, qui licèt alterius famam extinguere conatus fuerit, hoc tamen præstare non potuit, aut nonnisi inefficaciter, & ad tempus præstitit; vel quia nemo ipsi fidem adhibuit, vel quia ab ipso infamatus publicô judiciô innocens declaratus est. Injuria tamen, qua parte personalis est, personali satisfactione semper reparanda esse videtur. Imò si, quod frequenter evenit, detractio tua in hominum mentes naturaliter malevolas, & in judicia proximo nociva promptas & alacres dubii aliquid injecisset, tuum esset malum hoc pro virili reparare, sicut teneris ad resarciendum quidquid proximus passus est damni, antequam vel Judicis sententiâ, vel aliter famam suam recuperaret.

IV. Si detractio vetus sit, & infamia in oblivionem abiisse prudenter judicetur, satiùs est silentium servare, quàm calumniam de se semper periculosam suscitare, inquirendo sollicitè, an adhuc vivat in eorum mentibus, qui eam audierunt. Quia tamen calumnia est ignis cineri doloso, quem levior flatus excitat, sæpe superpositus, si probabiliter conjici posset ejus memoriam non tam extinctam esse, quàm sopitam, efficiendum omninò esset, ut retractaretur.

V. Excusat etiam condonatio infa- 699
mati; quia, ut supra in Tract. cap. 2. Sect. 1. §. 1. Conclus. 3. num. 68. ostendimus, homo famæ suæ, sicut & suæ pecuniæ dominus est, & sicut hanc, sic & illam remittere potest. Hoc tamen hominis in famam suam dominium, prout ibidem diximus, aliquando ita ligatum est; ut non liceat famæ jacturam detractori condonare, atque graviter peccet, qui seipsum infamat iis in circumstantiis, in quibus illatam sibi ab alio injuriam repellere tenetur. Vide dicta loc. cit. & passim apud Theologos.

VI. Non peccat, nec proinde ad re- 700
stitutionem tenetur, qui justa de causa alterius crimen etiam occultum revelat. Justa verò causa ad esse censetur, cùm nonnisi hac criminis detectione averti potest damnum nobis aut proximo impendens. Hinc 1mo. alterius crimen etiam sub secreto sibi commissum (modò extra confessionem, cujus sigillum etiamsi millies mori debeas, invio-

inviolatum servare debet) revelare potest, qui nisi revelet morte plectendus est. Ratio est; quia fidelitas non obligat, ut alterius famam & bona cum propriæ vitæ dispendio conserves. 2do. Ut innocens defendatur. 3tio. Ut communitatis damnum avertatur. Sic licet Medici, Advocati, Confessarii ignorantias & incuriam detegere. 4to. Ut auxilium accipias, illatæ injuriæ reparationem consequaris, &c. alterius nequitiam potes amico tuo exponere. Imò non pauci id licitum esse credunt, si fiat, ut quis, atrocem injuriam passus, solatium dolorisque lenimentum recipiat; si præsertim grave sibi ex dolore nocumentum, putà morbum, vereatur; nam Eccli. 7. vers. 8. *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.* Firmiùs tamen & sanctiùs sibi providebit, qui in Domino jactabit curam suam, & ad eum confugiet, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. 5to. Qui novit Petrum furem esse, periculosæ conversationis, proditorem, &c. si hoc cohabitantibus denuntiet, ut sibi caveant. Item qui puellæ jam inutiliter admonitæ denuntiat, eum, quem familiariùs videt, corruptum esse. &c. Sed in his omnibus timidè & christianè incedendum, & cavendum 1mo. Ne leves & infundatæ conjecturæ pro seriis mali probationibus habeantur. 2do. Ne plùs reveletur, quàm ad avertendum malum necesse sit. 3tio. Ne detegatur crimen, cùm aliâ viâ, v. g. correctione fraterna damnum impediri potest. 4to. Ne pluribus detegatur, cùm sufficit, ut aperiatur paucis.

701 VII. Quamvis certum sit 1mo. eum mortaliter peccare contra justitiam, qui, ut famam suam tueatur, falsum accusatori suo crimen impingit; quia est mendacium exitiale & injustum in materia gravi. Undè meritò damnata est ab Innocentio XI. hæc num. 44. propositio: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* 2do. Eum etiam peccare graviter, qui ut præcisè illatam sibi infamiam compenset, infamatoris sui verum, sed occultum, crimen detegit: tùm quia hæc agendi ratio nihil aliud est, quàm vindicta prohibita Christianis, qui, juxta Apostolum 1. Pet. 3. reddere non debent *malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*; tùm quia sicut non licet domum illius, qui tuam incendit, incendere, sic nec famam infamatoris tui auferre licitum est; tùm denique quia hæc recriminatio famam non restituit; an enim, si accusator tuus adulter est, tu ideò pro fure aut adultero non habeberis?

Attamen, quia quisque jus habet propriam tuendi famam contra injustum invasorem, licet ea detegere, quæ ad labefactandum ejus testimonium inservire possunt: Unde non peccas, nec proinde ad reparationem teneris, si probes eum mendacem esse, aut perjurum; si enim ad advertendum grave proximi damnum, possis tertii crimen revelare, à fortiori id potes, si aliter damnum, quod tibi impendet, avertere nequeas. Quòd si vel juramento, vel ope testium, vel aliâ viâ purgare te possis, peccas contra justitiam revelando crimen tui accusatoris; quia ejus honorem sine justa & necessaria causa lædis.

VIII. Duo, qui se mutò denigraverunt, possunt mutuò sibi remittere omnem restituendi obligationem, nisi eorum infamia in aliorum detrimentum vergat. Ratio est; quia ambo famæ suæ domini sunt: imò mutua hæc condona- 702

donatio facilè supponitur, cùm hæc infamia fuit æqualis, & in eodem gradû; Imò in hoc casu, si unus ita malè & iniquè affectus sit, ut ex parte sua famam alterius restituere nolit, tunc probabiliùs hîc valere videtur compensatio, & neque alter tenebitur hujus renitentis famam restituere. Ratio est 1mo. Quia *paria crimina compensatione mutua delentur*, ut ait Innocentius III. loquens de marito & uxore, qui ambo in adulterium lapsi erant: si autem compensatio in adultero locum habeat, habere potest & in detractione. 2do. Quia fama est quoddam bonum humanum & temporale; unde fatentur omnes hominem ejus dominium habere. Atqui in rebus temporalibus, si alter tibi reddere nolit, quod debet, nec tu, quod ei debes, præstare teneris. Ergo. Attamen si detractores mutui isti vel diversæ sint conditionis, vel unus alterum graviori modô læserit, tunc locum habere non potest compensatio; sed qui plùs læsit, tenetur ad restitutionem excessûs à se positi, quia alioqui non reduceretur æqualitas.

703 Cæterùm à peccato mortali non excusantur, qui, etiam ex mera loquacitate, narrant peccata de proximo audita vera vel falsa; quamvis id faciant sine affirmatione, imò addere soleant, se, quod audierunt, nec velle, nec posse credere. Ratio est; quia hujusmodi indiscretæ narrationes semper ex se malas suspiciones pariunt, ob hominum infirmitatem, qui malum de proximo faciliùs credunt, quàm bonum.

§. V.

704 *De Judicio, Dubitatione, & Suspicione temerariis.*

I. Judicium temerarium, si verè tale sit, & fiat cum sufficienti advertentia, atque circa gravem materiam versetur, est peccatum mortale etiam contra justitiam.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini.* Jac. 4. vers. 11. *Qui judicat fratrem, detrahit legi*, id est, legem quasi malam damnat. Sed peccatum, quod qui facit à Deo judicari & condemnari meretur, grave est. Ergo.

Prob. 2do. Quod gravem proximò injuriam irrogat, non charitati solùm, sed & justitiæ adversatur. Atqui judicium temerarium &c. An non enim gravis est læsio proximi, si sine causa habeatur pro improbo? An non sicut habet jus ad famam suam apud alios, ita & apud te idem jus habet? Ergo *nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*

Diximus, *si verè tale sit &c.* Judicium enim mentale contra proximum aliquando potest vel nullum esse peccatum, vel veniale tantùm. Ut 1mo. Cùm temeritas non est notabilis, ut si talia ad judicandum motiva suppetant, quæ licèt re vera non sufficiant, parùm tamen distant à motivis sufficientibus: unicuique enim licet judicare secundùm gravitatem motivorum, quæ habet: *Judicium de personis*, inquit S. Thomas Quodl. 12. art. 34. *licèt quandoque sit falsum, non tamen semper est peccatum, nisi quando est omninò temerarium.* Adeoque si temeritas judicii levis sit, levis etiam erit illius culpa. 2do. Cùm deest sufficiens advertentia: imò nullum erit peccatum, si judices ex sola mentis promptitudine, absque ullo deliberato voluntatis consensu; tunc enim non tam erit judicium, quàm repentina cogitatio in mentem insiliens, quæ statim ac pro-

propiùs considerári incipit, rejici solet, & circa quam interrogatus homo, an id certò credat de proximo, sæpiùs responderet, se nec credere certò, nec credere velle. 3tio. Cùm deest materia gravis & sufficiens. Illa verò materia hîc generaliter censetur esse gravis, quæ in detractione sufficit ad mortale, quæque, omnibus attentis, graviter præjudicat honori alterius.

706 II. Suspicio & dubitatio, si sint verè temerariæ, id est, cum sufficienti advertentia, atque circa gravem materiam versentur, non secùs ac judicium temerarium, sunt peccata mortalia.

Prob. 1mo. ex S. Scriptura. 1. ad Tim. 6. v. 4. ab Apostolo inter gravia peccata numerantur *suspiciones malæ*.

2do. Ex S. Augustino Epist. 137. *Ne malevolò animò de servis Dei falsa suspicando pereatis, illud Apostolicum recordamini; Nolite ante tempus judicare.*

3tio. Ratione suprà, ubi de judicio temerario, adducta; quia nempe gravis fit injuria proximo per suspicionem & dubitationem temerariam: nam quisque habet jus, ne quisquam de ipso sine sufficienti causa malè opinetur, suspicetur, & de sua probitate dubitet, illudque jus tunc graviter violatur in re gravi. Et nullus est prudens, qui non putet gravem sibi fieri injuriam, indeque gravem molestiam sentiat; nec eum, qui ita de se suspicatur, habet in numero amicorum suorum. Imò in dubitatione illa continetur judicium: nam qui sic cum plena deliberatione dubitat, non solùm suspendit assensum, sed etiam judicat, ambiguam esse probitatem proximi, nec eum posse prudenter judicari probum.

707 Porro sicut judicium si verè temerarium non sit, potest carere omni culpâ, vel venialis peccati lineam non excedere; ubi scilicet temeritas non est notabilis; deest sufficiens advertentia, aut materia gravis & sufficiens: ita etiam ex iisdem motivis & causis suspicio & dubitatio possunt vel nihil habere peccati, vel solum veniales noxæ esse.

III. Suspiciones & dubia de personis 708
ad bonam vel malam existimationem pertinentia semper sunt in bonam & meliorem partem interpretanda.

Prob. 1mo. Ex cap. *Ex parte*. De Scrutin. Ubi sic loquitur Innocentius III. *Illum, quem indignum esse non nosti, dignum debes æstimare.* Sed quamdiu res est dubia, non novisti proximum esse indignum, seu malum. Ergo.

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. S. Augustinus lib. 2. de Serm. Dom. in monte cap. 18. in hæc Matthæi verba, *Nolite judicare, ut non judicemini, &c.* sic loquitur: *Hoc locò nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.... de quibus temerarium est judicare, maximè ut condemnemus.*

Sanct. Bernardus Serm. 40. in Cant. *Etiamsi*, inquit, *perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa; excusa intentionem, si opus non potes, putà ignorantiam, putà subreptionem, putà casum.* Sed qui dubia deteriorem in partem explicat, non excusat, quantùm potest. Ergo.

Sanct. Thomas 2. 2. q. 60. a. 4. *Ex hoc ipso*, ait, *quòd aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, injuriatur ei, & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente; & ideò ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.*

Prob. 3tio. Ratione. 1mo. Juris naturæ est, quod tibi non vis fieri, alteri

teri ne feceris. Atqui nullus rationabiliter vult dubias suas actiones accipi in pejus, sed magis in melius. Ergo. 2do. Maximè cavendum est, ne fiat injuria proximo; & de possessione bonæ famæ injustè dejiciatur. Atqui nisi proximi actiones dubiæ in bonam partem accipiantur, non satis cavetur, ne ipsi fiat injuria &c. Ergo. 3tio. Nullus debet alium contemnere &c. ut ait S. Thomas mox citatus. Atqui contemnitur proximus absque causa cogente, cùm dubia, quæ de illo emergunt, in malam partem accipiuntur: tunc enim pro malo habetur absque sufficientibus indiciis, quod sine contemptu & injuria ejus fieri non potest.

709 Sic autem dubia in meliorem partem sunt interpretanda. 1mo. Negativè, ita ut in dubio etiam positivo nunquam judices, opineris, vel suspiceris proximum esse improbum vel peccasse graviter: alioqui peccares contra justitiam inferendo malum proximo, sine sufficienti & justa causa: quisque enim jus strictum habet, ne ei malum sine justa causa inferatur: haberi autem improbus est malum proximi grave, utpotè per se creans magnam molestiam. Et dubium etiam positivum non est sufficiens nec justa causa judicandi proximum peccasse: incertum enim crimen non est sufficiens & justa causa eum privandi bona existimatione, quam possidet. 2do. Positivè, practicè, hoc est, ut in praxi & vitæ civilis usu, ubi de cautela non agitur, affectu interno, & externo agendi modo proximus tractetur tanquam si re vera esset probus, ei præstando consueta honoris & urbanitatis officia, perindè ac si nullum esset de ejus probitate dubium: nam illis proximum ob dubium exortum privare iniquum esset, & contra has charitatis regulas: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Item quoties pravus in proximum animi motus vincendus est, aut vis hîc & nunc statuere apud te, quo loco sit habendus, aut periculum est, ne bona opinio de eo à te concepta minuatur, si judicium suspendas; tunc judicare debes positivè eum habendum ut virum probum, nec ob dubium exortum bonam de eo opinionem minuendam esse.

Diximus *De personis.* Nam dubia de rebus, putà an contractus talis sit licitus necne, non sunt in meliorem partem interpretanda, sed suis momentis æstimanda: quia tunc id unum agitur, ut cognoscatur veritas, & vitetur illicitum, nec timendum, ne cuiquam inferatur injuria, & ex eo nihil boni vel mali rei accrescit. 710

Cæterùm cùm agitur de damno vitando, vel remedio adhibendo, dum non constat de probitate proximi, licet sibi & aliis consulere, & eam cautionem adhibere, quam prudentia dictaret adhibendam, supposito quòd esset malus; non tamen de eo malè judicando aut suspicando. Quia tunc nemini infertur injuria vel damnum: licitum autem est sibi & proximo sine cujusquam injuria providere. Hinc non peccas, dum excipiendo ignotum in ædes tuas, ita caves rebus tuis, ac si dubia esset hominis probitas. 711

CAPUT IV. 712

De injuriis in bonis fortunæ, & necessaria restitutione.

INjuriæ circa bona fortunæ complectuntur omnes damnificationes, seu actiones & omissiones, quibus damnum in ejusmodi bonis injustè alteri infertur, sive rem ejus usurpando, accipiendo, detinen-

detinendo, sive destruendo, sive deteriorando, sive exigendo id, quod non debetur, sive non solvendo id, quod ei debetur ex justitia, sive quovis alio modo. Quæ omnia sub nomine furti latè sumpti comprehenduntur, & prohibentur præceptô *Non furtum facies.* ex Concilio Coloniensi, & Catechismo Romano. *A parte enim totum significavit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur*; ait S. Augustinus in Cap. *Pœnale*, 14. q. 5. Et verò inferre quocumque modo damnum alteri, idem est, ac quidpiam ab ipso auferre. Quare quæ de furto strictè sumpto dicemus, applicanda sunt omnibus aliis modis, quibus proximo damnum creatur. Igitur de furto præsenti capite dicemus 1mo. Quid & quotuplex sit furtum. 2do. Quale sit peccatum. 3tio. Quænam sint ejus causæ. 4to. Quid excuset à furto.

§. I.

713 *Quid & quotuplex sit furtum, & quomodò à rapina differat.*

Furtum quod aliqui à *furvo* aut *atro* dictum putant, quia plerumque in tenebris fieri solet tripliciter sumitur, 1mo. Latissimè pro omni injusta damnificatione in bonis alterius sive commissione sive omissione fiat. 2do. Latè pro omni injusta acceptione rei alienæ, sive ea sit fraudulenta, ut fit per contractus iniquos; sive occulta, ut fit per furtum strictè sumptum, sive violenta, ut fit per rapinam. 3tio. Stricte, & furtum sic sumptum vulgò definiri solet *Usurpatio seu ablatio occulta rei alienæ, invitô rationabiliter Dominô, vel ejus justo detentore.*

Dicitur 1mo. *Usurpatio seu ablatio*, ut distinguatur tùm ab injusta damnificatione, qualis est domus alienæ per incendium destructio; tùm ab injusta mora solvendi creditorem, quæ propriè furtum non est. Quamquam *detinere id, quod alteri debetur*, & reddi potest, *eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta, & ideò sub injusta acceptione intelligitur etiam* à S. Thoma 2. 2. q. 66. a. 3. ad 2. & aliis pluribus *injusta detentio.*

Dicitur 2do. *Occulta.* hoc est, quæ fit, aut saltem fieri intenditur, Domino nesciente, & sine vi. Si enim Domino præsente, & cum vi fieret, non esset furtum, sed rapina.

Dicitur 3tio. *Rei alienæ.* Quo nomine à Theologis intelliguntur non solùm res corporales & mobiles, sed etiam immobiles & jura, ut census, servitutes, usus ac possessio.

Dicitur 4to. *Invitô rationabiliter Dominô*, id est, sine consensu Domini saltem prudenter præsumpto. Si enim Dominus vel consentire meritò præsumatur, vel irrationabiliter consensum deneget, non est locus furto. Hinc, qui messis tempore spicas colligit, aut in extrema necessitate aliquid aufert, non furatur; quia in primo casu adest Domini consensus, in secundo adesse debet, & nonnisi irrationabiliter denegatur.

Dicitur 5to. *Vel ejus detentore justo*, id est, *Possessore:* nam furtum committitur, quoties aufertur res invitô eo, qui eam legitimè possidet, vel detinet, ut sunt conductor, commodatarius, &c. ex Leg. 10. & 11. ff. de furt. Quia tunc aufertur usus, possessio, vel securitas, quam alter per illam rem habebat.

Furtum dividitur 1mo. ratione modi, 714
in manifestum, quando fur deprehenditur cum re furtiva; & occultum, cùm non deprehenditur. 2do. Ratione temporis, in diurnum & nocturnum. 3tio. Ratione rei acceptæ in simplex & qualificatum: Simplex est illud, quod hactenus definitum est; Qualificatum verò,

verò, quod vestitum est specialibus quibusdam qualitatibus, quæ ipsum secundùm leges majori pœnâ dignum efficiunt, & quadruplex distingui solet: scilicet *Sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ è loco sacro, vel non sacræ è loco sacro, ad quem ipsa aliquo modo pertinet; vel sacræ è loco non sacro, ut habetur Cap. 21. caus. 17. q. 4. *Peculatus*, seu furtum rei ad fiscum vel ærarium publicum pertinentis: *Plagiatus*, cùm vel mancipia à Dominis, vel homines liberi subripiuntur, aut vendendi, aut in servos retinendi; si enim fruendi causâ, dicitur *Raptus*: *Abigeatus* denique, cum auferuntur seu abducuntur pecora. Ex his furti speciebus *Sacrilegium* solum est, quod specie morali à furto differat; cætera enim non differunt nisi materialiter.

715 *Rapina* est *alienæ rei usurpatio violenta, seu facta præsente & invito Domino.* Specie differt à furto in genere moris, quia ipsi furto specialem addit injuriam contra personam, cujus honor læditur, dum ei quasi è manibus res sua violenter & injuriosè aufertur. Unde fieri potest, ut quis non peccet mortaliter in ratione furti, & tamen peccet mortaliter in ratione rapinæ, ut si rem levioris momenti per vim à persona Illustri auferat.

716 Rapina totuplex distingui potest, quotuplex vis personæ infertur; sive vis inferatur armis, sive intentato mortis metu. Ad rapinam etiam pertinent injustæ tributorum exactiones, quæ *Concussio* dicuntur; item exactio facta à viris potentibus, qui obsequia quædam postulant, quæ rogati ob metum recusare non audent. Rapinæ pariter rei sunt tùm ii, qui stipendiô sibi publicè assignatô non contenti, plus aliquid exigunt; tùm ii, qui alios cogunt, ut secum inæquales contractus ineant.

§. II.

An & quando furtum sit peccatum mortale. 717

Furtum ex genere suo est peccatum mortale. Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. 1. Cor. 6. *Nolite errare*, inquit Apostolus, *neque fures . . . . neque rapaces regnum Dei possidebunt.* 2do. Quia sine justa causa & auctoritate inferre damnum proximo est tùm contra charitatem, tùm contra justitiam; quæ virtutes obligant sub mortali in re gravi.

Diximus *ex genere suo*, quia furtum potest esse veniale tùm ex defectu cognitionis, tùm ex levitate materiæ; nam per furtum rei levis leve damnum proximo infertur, nisi inde sequatur aliud malum.

Ut furtum censeatur peccatum mor- 718
tale, ea quantitas requiritur, quæ spectatis omnibus circumstantiis infert grave damnum, privatque notabili utilitate: damnum autem, quod respectu unius, putà divitis, leve est, respectu pauperis censeri potest grave. Unde eadem quantitas in omnibus furtis statui non potest pro materia peccati mortalis.

Porro ad æstimandum damnum Theo- 719
logi distinguunt quatuor genera personarum. Primum illustrium, quæ splendidè vivunt: secundum earum, quæ vivunt ex suis reditibus, licèt non ita splendidè, quales sunt communes divites: tertium artificum, qui suô se sustentant artificiô: quartum pauperum, qui mendicando sibi consulunt. Communiter statui potest ad furtum mortale respectu personarum primi generis, sufficere florenum cum dimidio; respectu personarum secundi generis florenum; respectu personarum tertii generis, si ars sit majoris lucri, qualis est mercatorum, medium florenum; si minoris,

quindecim crucigeros: respectu personarum postremi generis, septem crucigeros.

720 Diximus *Communiter;* nam potest contingere, ut qui ex reditibus suis vivit, multò minùs commodè vivat, quàm Mercator, sicque minor summa majus illi detrimentum afferat; item fieri potest, ut quis manibus suis operans decem tantùm aut duodecim crucigeros, aut etiam quindecim vel viginti diebus singulis lucretur, quibus se aut familiam sustentet, ex quibus qui ei decem vel duodecim vel etiam octo auferret, non posset non censeri notabile & sufficiens ad peccatum mortale ei detrimentum afferre.

721 Peccat etiam mortaliter, qui ab uno vel pluribus leves summas furatur, quæ simul junctæ faciunt quantitatem notabilem, & quidem singulis vicibus, si ab initio voluntatem habuit per plura minima furta notabilem quantitatem auferendi, aut res suas ita paulatim notabiliter augendi; quia aufert rem parvam cum intentione auferendi magnam. Hinc Deus detestatur eos, qui injustis mensuris vendunt, Prov. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Deut. 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus . . . . Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.*

722 Peccat etiam mortaliter, qui etiamsi non habuerit intentionem aliquid notabile accipiendi, paulatim tamen notabilem quantitatem accipit, non quidem quocumque actu, sed eo demùm, & in omnibus sequentibus, in quibus habet notabilem Summam. Constat auctoritate Innocentii XI. qui an. 1679. damnavit hanc propositionem: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta; quantumcumque sit magna summa totalis.* Ratio etiam est; quia minima furta collecta grave damnum inferunt vel privato, si illum solum læserint, vel Reipublicæ, si in plures fuerint commissa. Undè hujusmodi fures à Magistratu severè puniuntur: quod gravem arguit culpam. Addi etiam potest, quòd si uni mercatori v. g. liceret absque peccato mortali minima corradere à pluribus, id etiam liceret singulis mercatoribus, sicque spoliaretur tota Communitas absque peccato mortali, quod est absurdissimum.

Nec valet si dicas, multa peccata venialia non posse coalescere in unum mortale; non enim ex multis venialibus per minuta furta fit unum mortale; sed ex pluribus levibus summis fit una notabilis, quæ retineri non potest contra voluntatem Domini, absque peccato mortali. Hæc autem quantitas major esse debet ad peccatum mortale, si paulatim accepta sit, quàm si simul; quia Dominus nec tam invitus, nec tantum damnum patitur, quàm si simul illa quantitas erepta esset.

Nota. Requiri ad peccatum mortale, 723
ut minuta furta continuentur moraliter; propterea excusandus est à mortali, qui numerando quot racemos in tota vita sua excerpserit è vineis alienis, deprehenderet se notabilem quantitatem abstulisse. Quantùm verò temporis requiratur, ut miuta furta censeantur non conjungi moraliter, definiri non potest; in dubio sentiendum est ea conjungi, & furem esse reum peccati mortalis.

Qui complet materiam sufficientem 724
ad peccatum mortale, furando ab eo, à quo novit alios jam modica quædam furatos esse, peccat mortaliter, si communi consiliô minima illa furta committantur; quia est causa gravis damni: secùs, si sine consilio communi, quia non cooperatur ad damnum ab aliis illatum.

§. III.

§. III.

725 ### *De causa efficiente furti.*

Hìc duntaxat quæritur an peccent filii, qui parentum; uxores, quæ maritorum; famuli qui Dominorum; Religiosi, qui Conventûs bona sibi assumunt; de quibus jam aliqua tetigimus, tùm hìc in Tractatu C. 2. Sect. 1. §. 2. tùm in Tractatu de Statu Religioso Philosophiæ nostræ præfixo, ubi de voto paupertatis Religiosæ, &c. sed pro majori adhuc & clariori harum rerum notitia, ponimus sequentes conclusiones.

Conclusio. I.

Filii qui parentum bona subripiunt, aut quovis modo contra justam eorumdem parentum voluntatem dilapidant, peccant mortaliter, & ad restituendum tenentur.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Prob. 28. *Qui subtrahit aliquid à Patre suo & Matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps est homicidæ.* Sed particeps homicidæ mortaliter peccat. Ergo.

Prob. 2do. Ratione. 1mo. Peccat & verè furatur qui rem alienam invitô rei hujus Dominô rapit. Atqui filii rem paternam rapiendo, verè rapiunt id, quod alienum est. Filii enim etsi jus habeant, ut alantur à parentibus, non tamen habent jus in bona paterna, aut eorum administrationem, quamdiu vivunt parentes. Ergo. 2do. Quia, ut initiô Tractatûs ostensum est, patrem inter & filium datur justitia saltem impropriè dicta. Sed justitia, ut ex una parte violari, sic ex alia restitutionis obligationem inducere potest. Ergo.

Hinc sequitur filios teneri ablata parentibus restituere, si possint; si nempe habeant castrensia & quasi castrensia. Si non possint, tenentur post patris mortem ea in partitionem deducere cum aliis fratribus, nisi constet istos tantumdem paternis ex bonis expendisse; aut nisi pater debitum illud condonaverit, ut facilè concedit rogatus, &c. prout in Tract. cap. 2. Sect. 1. §. 2. Conclus. 3. num. 91. adnotavimus, ubi vide.

Hinc etiam colligitur, quàm graviter contra justitiam peccent tot adolescentes, qui in compotationes, ludum, turpes excessus impendunt pecuniam, quam eis parentes donant ad honestos tantùm usus, quos præfiniunt. Meminerint hi juvenes, se non plus in pecuniam sibi à patribus missam habere juris, quàm patres dare intendant. Atqui patres nullatenùs intendunt iis pecuniam largiri, ut tempus otiosè consumant, à fortiori, ut in omni libidinum cœno se turpiter volutent. Ergo.

Cæterùm, ut cit. locô adnotavimus, major in filiis, imò domesticis ad furtum mortale requiritur quantitas, quàm in extraneis, &c. &c. vide dicta ibidem.

Conclusio II. 726

Uxores etiam graviter peccant peccatô furti, si sine mariti consensu notabile quid accipiant de bonis communibus, aut quorum administratio spectat ad maritum.

Ratio est; quia accipiunt illud, cujus dominium habet maritus, vel saltem administrationem & usum fructum: licèt enim uxor dotis totius & mediæ partis bonorum communium proprietatem habeat, horum tamen regimen & administratio ad maritum pertinet.

Excipiuntur tamen varii casus, in quibus uxor furti rea non sit, etiam cùm quantitatem satis notabilem subripit; ut si in honesta recreatione, & ad decentem sui ornatum & statum aliquid expendit. Et in aliis casibus loc. cit. Conclus. 4. num. 92. recensitis; ubi vide.

Hîc tamen duo notanda sunt. 1mo. Confessarios non debere de facili habenas laxare mulieribus, utpotè quæ ad inordinatas donationes, de se satis propendeant. 2do. Uxorem ea, quæ parentibus dedisset, debere suam in partem referre, cùm ad partitionem cum hæredibus viri deveniendum erit; vide loc. cit.

727 Quod de uxore communitatis bona subripiente dictum est, dicendum etiam venit de marito, qui etiam ad restituendum tenetur. 1mo. Si bona paraphernalia uxoris capiat, id est, ea bona, quæ uxor sibi reservavit, seu quæ nec attulit in dotem, nec per contractum matrimonialem voluit esse communia. 2do. Si dissipet dotem; hujus enim proprietas penes uxorem permanet. 3tio. Si magnam bonorum communium partem seu quantitatem donet, aut consumat sine uxoris consensu, aut in ludo, vel in malos usus impendat, quod plerumque evenit, uxore viribus totis reclamante. Verum quidem est, quòd horumce bonorum administratio ad maritum pertineat; sed mediæ eorum partis proprietas ad uxorem jure communi pertinet. Ergo contra justitiam uxori debitam peccat maritus, qui eâ rationabiliter invitâ illa dissipat. Nec refert, quòd maritus in familia præcipuè laboret; nam & suæ sunt etiam uxori in hocce labore partes, sicque æqua esse debet pars descendentis ad prælium & remanentis ad sarcinas, 1. Reg. 30. v. 14.

728 CONCLUSIO III.

Peccant peccatô furti famuli & ancillæ, qui herorum bona vel ipsi diripiunt, vel ab aliis diripi sinunt. Sequitur ex dictis, si enim peccent ipsimet filii-familias, qui paterna bona tollunt, quantò magis domestici circa quos Domini magis inviti sunt.

Excusantur tamen passim ii, qui subripiunt aliquid ad bibendum vel comedendum, quod, si à Domino peterent, iis ipse concederet: quia satis norunt Domini res suas, eas præsertim, quæ ad gulam pertinent, non ita administrari, ut nihil adhærere soleat manibus contrectantium. Graviter tamen peccarent domestici, qui hæc caperent ad compotationes, ad vendendum, aliisve donandum. Item qui iis uterentur dapibus & vinis, quæ herus sibi reservata esse voluit; ac ii demum, qui furando se se exponerent pœnæ mortis, qua domestica furta non ita difficilè, saltem in Galliis, puniuntur.

CONCLUSIO IV. 729

Peccant mortaliter Religiosi, qui sine Superiorum licentia aliquid de Communitate expendunt, sive in suum, sive in aliorum usum. Idem est de iis, qui aliquid sibi collatum celaverint.

Prob. Quia disponunt instar Dominorum de re, cujus Domini non sunt. Adde, quòd etiam peccent contra votum paupertatis.

Porro Religiosi circa quantitatem ad peccatum mortale necessariam solent æquiparari filiis-familias; quia Superiores non magis inviti sunt erga Religiosorum furta, quàm parentes erga furta filiorum.

§. IV.

De causis à furto excusantibus. 730

CONCLUSIO I.

Aliena subripere in extrema necessitate furtum non est; secùs in gravi.

Prob. 1ma. pars. 1mo. Ex communi omnium sententia, quæ docet in extrema necessitate omnia, saltem quoad usum, fieri communia. 2do. Quia bonorum divi-

sio

sio casum extremæ necessitatis nec comprehendit nec comprehendere potest. 3tio. Quia rei Dominus rationabiliter invitus esse non potest, quòd homo, qui aliter vitam suam suorumque conservare nequit, eam per media ordinaria conservet, utendo scilicet alienis bonis, cùm non habet propria, quibus utatur.

Prob. 2da. pars 1mo. Ex Cap. 3. De furto. *Si quis propter necessitatem famis aut nuditatis, furatus fuerit cibaria, vestem vel pecus, pœniteat hebdomades tres.* Atqui pœnitentia peccatum supponit. Ergo peccat, qui in gravi necessitate duntaxat furatur: locus enim iste de extrema necessitate intelligi non potest, ut notat S. Thomas. 2do. Auctoritate Innocentii XI. qui an. 1679. damnavit hanc propositionem: *Permissum est furari, non solùm in extrema, sed etiam in gravi necessitate.*

3tio. Ratione 1mo. Quia sola extrema necessitas facit omnia communia. 2do. Quia hæc opinio, quæ tuetur licere furari in gravi necessitate januam aperit innumeris furtis, estque Reipublicæ omninò perniciosa. Quot enim hodie homines gravi necessitate laborant? Quot facilè sibi persuaderent, se in ea esse constitutos?

731 CONCLUSIO II.

Excusatur à furto, qui rem suam propria auctoritate sibi vindicat, dummodò adsint conditiones requisitæ; ut 1mo. Res illa verè, liquidò, & totaliter sua sit. 2do. Ut eam in judicio commodè obtinere non valeat. 3tio. Ut absit omne periculum scandali: sæpè enim contingit, ut qui tollit quod suum est, vel proximo quasi injusto detentori infamiam procreet, vel sibi quasi injusto raptori labem aspergat. 4to. Ut non exponat proximum periculo rem illam semel & iterum restituendi; ut non exponet, si quo convenientiori modo fieri poterit, ostendat sibi nihil deberi. 5to. Ut res actu debita sit; qui enim, ut ajunt, terminum habet, actu ut debitor vexari non potest. 6to. Ut res illa tibi debita sit ex justitia; neque enim sufficeret debitum antidotale seu ex gratitudine.

Prob. Conclusio. Quia talis tunc non rapit alienum, sed suum.

Quòd si res hæc certò sua non sit; tunc eam auferre non posset; quia in dubio melior est conditio possidentis; Imò si res certò sua esset, sed eam alter justô titulô possideret, ut pignoris, aut commodati, non liceret eam propria auctoritate resumere, quia justum contractum absque rationabili causa rescindere non licet.

CONCLUSIO III. 732

Compensatio occulta, si adsint eædem conditiones Conclusione 2da. recensitæ licita est.

Prob. Quia per eam nec violatur justitia commutativa, cùm ii, qui compensatione utuntur, id solùm accipiant, quod strictè suum est, ut supponimus: nec violatur justitia legalis, cùm etiam supponamus ad Judicis auctoritatem commodè recurri non posse. Et verò si pauper famulus, cui ab hero debentur aurei centum, quos obtinere nequit, præ manibus habeat aureos ejus decem, quis eum ad restituendum obligare ausit?

Verum cùm allegatæ conditiones difficilè concurrant, rarò admodùm datur locus compensationi occultæ. Quare in praxi hæc observabit Confessarius. 1mo. Nunquam suadebit compensationem occultam propter periculum scandali. 2do. Petenti an licita sit, respondebit Theologos communiter affirmare in recensitis circum-

circumstantiis; sed periculosissimum esse, ideoque se eam non posse consulere. 3tio. Si pœnitens propria auctoritate eá usus sit, examinabit, an occurrerint suprà dictæ conditiones, an bona fide id fecerit; in qua hypothesi eum peccati non arguet, sed monebit periculi, cui se exposuit. 4to. Raro fidem habebit famulis, inquieto hominum generi, qui vix unquam contenti sunt.


733 CONCLUSIO IV.

Famuli, Sartores, & alii artifices non possunt absque injustitia retinere aut surripere de bonis eorum, pro quibus operantur, sub prætextu, quòd merces, pro qua pepigerant, non respondeat eorum operibus.

Prob. 1mo. Quia damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *Famuli & Famulæ possunt occultè heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod acceperunt.* 2do. Quia cùm pretium sive mercium, sive operarum, habeat quandam latitudinem, nec consistat in indivisibili, prout dictum est suprà, ubi de Contractibus, justum duntaxat illud censetur, de quo inter partes ex æquo & bono convenit per contractum, qui habet vim eas obligandi. 3tio. Quia compensatio licita non est, nisi debitum sit certum. Atqui debitum, quod hujusmodi personæ prætendunt, certum non est; cur enim ipsis potiùs, quàm Dominis fides habebitur? Cur illud Salarium, si justô minus erat, acceptaverunt? Cur alium herum, qui plus daret, non quæsivere? aut si invenire non potuerunt, cur pro injusto habent pretium, quod communiter pro talibus operis datur, & quod Dominus augere noluisset, si eorum plus lucrandi voluntatem compertam habuisset? Quodsi tamen læsio manifesta appareat, pars læsa ad Superiorem recurrere poterit, ut rescindatur contractus; sed judicio ejus relinqui non potest, an, & quanta ei competat compensatio: aliàs nemo res suas tutò servaret; cùm ferè nullus sit, qui non pluris æstimet operas suas quàm alii; qui non putet vel vendidisse viliori pretiô, vel emisse cariori; sicque inutiles redderentur omnes contractus.

Quæ hîc adhuc differi possent jam alibi expendimus. Unde Universim de virtutibus moralibus cardinalibus hæc dicta sufficiant.

Finis Tractatus quinti.




TOMI

TOMI TERTII
TRACTATUS
SEXTUS
DE



VITIIS ET PECCATIS.



INDEX

Titulorum Tractatûs sexti Tomi tertii Theologiæ universalis, de Vitiis & Peccatis.

TO-

TOMI TERTII
THEOLOGIÆ UNIVERSALIS
TRACTATUS SEXTUS
De Vitiis & Peccatis.



PROOEMIUM.

1 Expensis prioribus hujus tertii Theologiæ nostræ Tomi Tractatibus, Actibus humanis, eorumque regulis Conscientiâ & Legibus, item virtutibus Theologicis, Religione, & virtutibus illis moralibus, quæ Cardinales nuncupantur; modò instituti nostri & rerum ordo postulare videtur, ut priusquàm quartum Tomum, qui de Sacramentis erit, aggrediamur, de vitiis seu peccatis differamus, atque præter ea, quæ hac de re passim jam, ubi scilicet tulit occasio, delibavimus, quî actus humani, conscientia, legesque per delicta labefactari possint ostendamus; atque ea exponamus vitia, quæ memoratis virtutibus opposita sunt. Ut sic eorum exposita & detecta turpitudine, ad ea vitanda tantò faciliùs impellamur, atque proximum nostrum, tùm exemplô, tùm verbô, pro ministerii nostri ratione, ab iis servemus incolumem, aut saltem retrahere valeamus.

Peccatum igitur generatim definiri potest, *libera violatio legis divinæ*, sive *actus liberè factus vel omissus contra Legem Dei.*

1mo. Est divinæ legis violatio, ex S. Ambrosio lib. de Paradiso, c. 8. *Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, & cælestium inobedientia præceptorum.* Et ex S. Augustino lib. 22. contra Faustum c. 27. ubi describit peccatum, quòd sit *factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra Legem Dei æternam.* Ubi sub facto, dicto, concupito comprehenditur omissio: nam nomine

actûs in moralibus intelligitur etiam omissio, quia hæc habetur ut actio in ordine ad mores & culpam; & omittens id, quod facere tenetur, censetur moraliter facere contra id quod tenetur facere. Imò omissio pura libera, si detur, est moraliter & interpretativè operatio, quatenus est virtuale & interpretativum libertatis exercitium, ut patet. Igitur, quia omnis & sola violatio libera legis divinæ est offensa Dei, peccatum verò est offensa Dei, peccatum est libera legis divinæ violatio.

2 Nec valet si dicas Multa esse peccata, quæ non sunt offensa Dei, ut 1mo. Peccatum merè philosophicum, quod scilicet soli rationi, non legi divinæ adversatur. 2do. Peccatum veniale, quod non est contra, sed præter legem divinam. 3tio. Multi peccant contra leges humanas duntaxat.

Nam 1mo. Falsum est, quòd detur, aut dari possit peccatum merè philosophicum; nam qui peccat contra rectam rationem, simul & indivisibiliter peccat contra legem Dei, & sic Deum offendit; quia dictamen rectæ rationis est intimatio legis divinæ æternæ necessariò vetantis quidquid rationalem naturam dedecet, & præcipientis quidquid necessarium est ad vivendum decenter ac conformiter naturæ rationali ut rationali. Et aliundè nemo ignorare potest, saltem invincibiliter, quidquid disconvenit naturæ rationali ut rationali esse prohibitum à Deo supremo auctore ac rectore naturæ rationalis. Quoties enim recta ratio dictat aliquid disconvenire naturæ rationali, simul, saltem confusè, dictat illud idem displicere supremo enti, naturæ rationalis auctori & rectori, cujus est eam convenienter sapientiæ ac sanctitati suæ regere. Hinc Alexander VIII. ut erroneam damnavit hanc propositionem: *Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò & mortale est transgressio libera legis divinæ. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.*

Porro peccatum philosophicum est actio vel omissio mala, considerata solùm, ut est difformis rectæ rationi, & disconvenit naturæ rationali. Sic dicitur, quia Philosophorum est actus morales considerare relatè ad rationem & naturam rationalem. Peccatum verò Theologicum est actio vel omissio mala, considerata, ut disconvenit seu adversatur legi divinæ, & est offensa Dei; quia Theologorum est res relatè ad Deum considerare. Tamen omne peccatum philosophicum est simul re vera Theologicum; nam omne peccatum simul rectæ rationi & legi divinæ disconvenit, & est re vera offensa Dei.

2do. Peccatum veniale est verè contra Legem Dei: nam est actio vel omissio mala, si enim esset bona vel indifferens, jam non esset peccatum. Atqui omnis actio vel omissio mala adversatur legi divinæ naturali, & per eam prohibetur: nam adversatur rectæ rationis dictamini, quod est intimatio legis divinæ naturalis; & omne malum à Deo prohibetur. Ergo peccatum veniale est contra legem Dei, & ejus offensa, sed levis & compossibilis cum charitate. 3

3tio. Qui legem humanam violat, simul etiam violat legem divinam, quæ omnis præcepti humani legitimi observationem præcipit.

2do. Dicitur in definitione, quòd peccatum sit *libera violatio &c.* scilicet vel in se, vel in sua causa, aut periculo morali, 4

tali, ita ut non sit ex ulla necessitate physica intrinseca, antecedente, & verè potuerit vitari. Nam, ut in Tract. de Act. Hum. ostensum est, ad demeritum seu peccatum, quod imputetur, requiritur libertas ab omni necessitate simplici. Ratio est, quia peccatum propriè dictum seu imputabile est actio vel omissio, propter quam agens vel omittens est dignus vituperiô & pœnâ: nemo autem potest esse dignus vituperiô & pœnâ propter actionem vel omissionem ei non liberam, sed planè necessariam, ut per se patet. Præterea omnes obligantur ad vitandum peccatum: nemo autem obligari potest ad impossibile.

5 Peccatum sic definitum generatim 1mo. dividitur in *peccatum Angeli* & *hominis*. De peccato Angeli egimus Tomo 2. Tract. 1. ubi de Angelis &c.

Peccatum hominis dividitur in *originale*, quod in ipsa nostra origine ab Adamo protoparente nostro in nos transmissum contrahimus; & *personale* quod peccantis voluntate physicè propriè committitur.

Peccatum personale subdividitur in *actuale* & *habituale*. Peccatum *actuale* est peccatum spectatum ut actu existens, seu ut actu committitur. *Habituale* est peccatum spectatum ut jam actu commissum est, & physicè præteritum, sed permanens moraliter; seu est macula ex actuali peccato consequens, & in anima remanens.

6 Peccatum actuale subdividitur 1mo. in peccatum commissionis, & peccatum omissionis. Prius est, quo præceptum negativum violatur, & consistit in actu aliquo prohibito; tale est v. g. mendacium. Alterum est, quo præceptum affirmativum violatur, & consistit in omissione culpabili alicujus actus præcepti; tale est v. g. non audire Sacrum die festo, non jejunare tempore Quadragesimæ.

Item peccatum actuale 2do. aliud est *veniale*, aliud *mortale*. Peccatum mortale est illud, quod reddit hominem Deo odibilem, & dignum pœnâ æternâ. Dicitur mortale, quia affert mortem spiritualem animæ, privando illam gratiâ sanctificante, in qua spiritualis animæ vita consistit. Peccatum veniale est illud, propter quod Deus homini indignatur leviter tantùm, & quod tantùm inducit reatum pœnæ temporalis, in hac vel altera vita exsolvendæ. Veniale dicitur, quia non dissolvit amicitiam hominis cum Deo, nec affert mortem animæ: non enim est incompossibile cum charitate, sed solùm fervorem ejus minuit; neque excludit à cœlesti beatitudine, sed solùm retardat illius assecutionem.

3tio. Peccatum actuale aliud est *carnale*, aliud *spirituale*. Istud ultra delectationem spiritualem non progreditur, sed in sola anima perficitur; talis est invidia, superbia, &c. Carnale est, quod ex anima profectum sensus afficit, atque materialis organi actione consummatur; ut peccatum luxuriæ, gulæ, &c.

4to. Peccatum actuale aliud est *cordis*, quod in corde, ut odium Dei; aliud *oris*, quod voce, ut perjurium; aliud *operis*, quod opere, ut furtum, consummatur.

5to. Aliud est ex *ignorantia*, quod scilicet ab ignorantia culpabili tanquam à causa per accidens procedit. Aliud ex *infirmitate*, quod scilicet procedit ex motione appetitûs materialis trahentis voluntatem ad consensum, non tamen libertatem tollentis. Et aliud ex *malitia*, quod fit ex pura & plena libertate; sive quod neque ex ignorantia aliqua, neque ex infirmitate seu passione anteceden-

dente, sed ex mera voluntatis electione committitur.

7 6to. Dividitur in peccatum *contra Deum*, seu quod Deum ut primam veritatem, ut summum bonum, & ut supremum Dominum, directè impetit, cujusmodi est hæresis, qua fides; odium Dei, quo charitas; & superstitio, qua Religio evertitur, & læditur Divina Majestas: deinde in peccatum *contra proximum*, quo alteri fit, quod nemo sibi factum vult: tùm & in peccatum *contra se ipsum*, quod soli peccanti nocumento est.

8 7mo. Alia dantur peccata actualia; quæ sunt in *Spiritum sanctum*; alia in *cælum clamantia*; alia denique, quæ dicuntur *capitalia*. Peccatum in Spiritum sanctum est peccatum ex malitia procedens, quo repelluntur impugnanturve spiritualia gratiæ dona, quæ cùm sint effectus amoris Dei erga homines, appropriantur Spiritui sancto, utpotè qui ratione processionis suæ sit amor Patris & Filii. Sex hujusmodi peccata numerantur, nempe desperatio, præsumptio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & invidentia fraternæ gratiæ; Peccata hæc non remitti neque in hoc Sæculo neque in futuro ait ipse Christus Matth. 11. scilicet, ut explicat S. Thomas, hîc art. 3. quomodò morbus corporalis per se sanabilis, tùm curari non potest, cũ phreneticus non admittit salubria remedia. Nam ex S. Augustino lib. 1. de Serm. Dom. in monte, qui sic peccat, humilitatem deprecandi non subit, nec spe veniæ, nec timore pœnæ movetur ad pœnitentiam, sed vel de se præsumit, vel desperatione dejicitur: non acquiescit sanis consiliis, sed obstinatô animô veritati resistit, aut detrahit: non accenditur aliorum exemplis, sed eorum gratiæ invidet. Porrò si ne minima quidem peccata absque pœnitentia remitti queunt, quantò minùs graviora.

Peccata in cœlum clamantia dicuntur ea, quæ præ cæteris manifestam improbitatem continent, divinamque provocant ultionem. Ea verò quatuor numerantur in Scripturis, nempè homicidium voluntarium Genes. 4. Peccatum Sodomiticum, Genes. 3. 18. & 19. Oppressio pauperum, Exod. 22. Et Mercedis operariorum defraudatio, Deut. 24. & Jac. 5.

Peccata Capitalia, sic dicta, quòd ad ea cætera, tanquam ad radices, referantur, septem numerantur. Primum est *Superbia*, quæ definitur animi elata inflatio, se omnibus præcellere, & omnia sibi deberi censentis: hunc arrogantis affectum paucis exponit Sapiens Prov. 38. v. 9. ubi superbum sic exclamantem inducit: *Quis est Dominus*? Secundum, *Avaritia*, quæ dicitur ab Apostolo *Idolorum servitus*, & definitur immoderata res terrenas retinendi vel sibi comparandi cupiditas. Tertium, *Luxuria*, quæ est inordinatus libidinis, præsertim venereæ, præter Dei & naturæ leges affectus & usus. Quartum, *Invidia*, quæ est vehemens de bono alieno mœror, quo fit, ut collatas aliis dignitates, nominis famam, virtutum splendorem, & ipsas virtutes torvis & lividis oculis conspiciat quis; imò & odiô immani prosequatur. Quintum, *Gula*, quæ definitur effrenata cibi potûsque luxuries & cupiditas. Sextum, *Ira*, quæ est ulciscendi libido, seu ardor animi perturbatione incitati ad vindictam. Septimum *Acedia*, quæ est de bono spirituali divinitùs sibi commisso animi acerbitas propter consequentis indè laboris metum, aut vitæ inertis & voluptuariæ dimittendæ necessitatem.

Alia item sunt peccata, quæ *aliena* nuncupantur; quia nimirum aliorum operâ perficiuntur, & tamen nobis velut propria imputantur, quòd scilicet jubentur 9

bendo, ſuadendo, &c. illorum cauſa eſſe cenſeamur & re ipſa ſimus: undè eorum malitiæ rei ſimus, non ſecus ac ſi à nobis ipſis perpetrarentur; atque novem modis hiſce duobus verſibus comprehenſis perficiuntur:

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Mutus, participans, irritans, & nihil obſtans.

prout tùm in Tractatu de Doctrina Chriſtiana part. 2. c. 2. §. 9. tùm autem præcipuè & fuſiùs in Appendice ad Tract. de Virtutibus Cardinalibus, part. 1. c. 3. ubi de cooperantibus ad damnum proximi diſſeruimus, explicatum eſt.

10 Ad hæc omnia peccatorum genera reducuntur etiam ea vitia, quæ tùm Virtutibus Theologicis, tùm Moralibus opponuntur, ut ſunt infidelitas ſpecificè ſumpta, Hæreſis & Apoſtaſia, quæ Fidei; Præſumptio, Deſperatio, & Incuria ſalutis, quæ Spei; Odium, Invidia, Diſcordia, Contentio, Schiſma, Rixa, Seditio, Bellum, & Scandalum, quæ ſub odio Dei & proximi continentur, atque Charitati opponuntur. Irreligioſitas, ſub qua velut ſub ſuo genere ſpecies continentur Blaſphemia, Tentatio Dei, Sacrilegium, Perjurium, & Simonia; ac Superſtitio, cujus hæ ſunt ſpecies præcipuæ, ſcilicet Idololatria, Divinatio, vana Obſervantia, Magia, & Maleficium; quæ Virtuti Religionis adverſantur.

Ex his enumeratis peccatorum generibus, quædam (præter alia, de quibus hìc nullam mentionem facere duximus) ſunt de quibus jā alibi diſſeruimus, præſertim in cit. Append. ad Tract. de Virtutibus Cardinalibus; cætera hìc diſcutere animus eſt. Atque ut omnia ordine fiant 1mo. de peccato originali tractabimus; deinde de peccato actuali & habituali, eorumque ſubalternis ſpeciebus; demùm de aliis infimis peccatorum ſpeciebus ſingillatim diſputabimus. Quocircà Tractatum noſtrum in tres partes diſpeſcemus.

Priuſquam tamen rem ipſam aggrediamur, præmittenda eſſe cenſuimus ea, quæ vulgò Theologi de peccatis in genere tractare ſolent: Ut, quænam ſit cauſa efficiens peccati; item quodnam ſit ejus Subjectum, quodnam illius Objectum tùm materiale tùm formale, ſeu materia & forma. 11

Quantùm ad 1mum. dicendum, quòd propriè & directè ſola voluntas ſit cauſa efficiens peccati.

Prob. 1mo. ex Scriptura. Matth. 15. & Marc. 7. *De corde enim*, inquit Chriſtus, *exeunt malæ cogitationes.... furta, &c.* Ubi aſſerit hominem non coinquinari, niſi actus exeat ex corde, hoc eſt, ex voluntate.

Prob. 2do. ex S. Auguſtino lib. 2. de Civ. c. 6. ubi ſic ſcribit: *Malæ voluntas efficiens eſt operis mali, malæ autem voluntatis efficiens eſt nihil.* Et c. 7. *Nemo quærat cauſam malæ voluntatis, non enim eſt efficiens* (nempè mala voluntas) *ſed deficiens, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio. Deficere namque ab eo, quod ſummè eſt, ad id quod minùs eſt, hoc eſt habere malam voluntatem.*

Prob. 3tio. Ratione. Illud ſolum poteſt eſſe cauſa directa & efficiens peccati, quod poteſt phyſicè movere voluntatem ad peccatum: vel enim voluntas moveretur à Deo, vel ab Objecto, vel à judicio rationis, vel à Diabolo, vel ab hominibus, vel denique à concupiſcentia, ſeu appetitu ſenſitivo. Atqui à nullo ex his moveri ſic poteſt voluntas.

1mo. Non à Deo, quia ex dictis in Tract. de Deo part. 1. c. 9. §. 1. in reſponſ. ad Object. non poteſt eſſe Auctor peccati;

cati ; id enim repugnat infinitæ bonitati & sapientiæ ipsius, ut patet.

2do. Non ab Objecto, nec à judicio rationis, quia voluntas est facultas libera, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest se determinare ad agendum vel non agendum. Atqui unum ex requisitis ad actum voluntatis est Objecti perceptio; voluntas enim non potest ferri in incognitum. Ergo nec ratio proponens Objectum, nec Objectum propositum physicè voluntatem determinant.

3tio. Non etiam à Diabolo, nec ab hominibus seu mundo voluntas physicè moveri potest ad peccatum; quia Diabolus, & homines seu mundus voluntatem eatenùs trahunt ad malum, quatenùs suadendo eidem illud proponunt. Atqui, ex mox dictis, voluntas hominis viatoris quocumque proposito bono aut malo libera est, & sui ipsius determinativa. Ergo nec à Diabolo, nec ab homine physicè movetur, &c.

4to. Non denique à concupiscentia; quamvis enim judicium rationis, & usum libertatis valdè impediat, absolutè tamen non tollit; quia concupiscentiæ nomine vel intelligitur ipse fomes peccati, seu inordinatio radicalis ex peccato originali, etiam in renatis, permanens, quæ dicitur à S. Thoma lect. 2. in c. 7. ad Rom. generale malum, communiter se habens ad omnia peccata, sive spiritualia, sive carnalia; vel pressiùs sumitur pro motibus inordinatis appetitûs sensitivi, quo sensu ab eodem S. Doctore vocatur *sensualitas*. Atqui Concupiscentia neutro modo physice movet voluntatem: Non priori, quia ut sic est veluti merus habitus sine actu & causalitate, ut in parvulis & dormientibus: Non posteriori, & quatenùs in actu; vel enim motus ejus ita præveniunt rationem, ut voluntas illos præcavere non potuerit, & tunc non sunt peccata, nisi materialiter; vel subsequuntur rationis advertentiam & judicium, & tunc voluntas potest eis resistere, juxta illud Genes. 4. *Sub te erit appetitus ejus* (peccati scilicet) *& tu dominaberis illius.* Et Jac. 1. *Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deindè concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Quibus verbis Apostolus docet, motus concupiscentiæ esse tentationes duntaxat, donec ipsa conceperit; concipit autem antecedente voluntatis consensu, ut interpretatur S. Augustinus lib. 6. contra Julian. c. 5. Ergo sola voluntas est propriè & directè causa efficiens peccati.

Nihil tamen obest, quin dicamus Mundum seu homines, & Diabolum, necnon Concupiscentiam, imò Ignorantiam esse improprias, indirectas, & morales peccati causas. 12

Mundus enim, seu homines mundi amatores ad peccatum movent perversis colloquiis, malis exemplis, externa vultûs specie: hujusmodi enim illiciis mores vel optimos corrumpi quotidianâ docemur experientiâ.

Diabolus verò ad peccatum movet 1mo. transfigurando se in Angelum lucis, & sub ea forma consilia maximè nociva hominibus nonnunquam dedit. 2do. Licèt animam seu voluntatem immediatè movere non possit, tamen sensus interiores & appetitum sensitivum immediatè & directè afficit, Deo ità permittente, phantasiæ species, quæ sunt cogitationum semina, commovet, sicque efficit, ut objecta velut præsentissima in imaginatione recurrant; spiritus quoque animales, & alios humores exagitando, appetitum sensitivum ad libidinem, iram, & alios inordina-

tos

tos motus accendit; quamvis voluntati nullam inferat necessitatem.

Concupiscentia etiam, quatenus est motus inordinatus appetitûs sensitivi movet voluntatem ad peccatum, quatenùs suâ vehementiâ eam ad illud trahere suis illiciis conatur, ut loquitur S. Jacobus mox citatus.

Ignorantia autem dici etiam potest causa moralis peccati, quatenùs removet cognitionem, quæ si adesset, voluntas ad actum, qui à parte rei est contra legem, non ferretur, juxta illud Apostoli 1. Cor. 2. v. 8. *Si enim cognovissent, Dominum gloriæ nunquam crucifixissent.*

Quæ autem ignorantiæ species sint hujusmodi causa peccati, & quæ ipsa sit peccatum, jam ex parte indicavimus in Tract. de Act. Hum. ubi expendimus, quænam augeant, minuant, & tollant voluntarium; atque etiamnum dicemus infrà, ubi de singulis peccati speciebus sermo erit.

13 Quantùm ad 2dum. dicendum 1mo. Quòd materiale peccati sit quilibet actus humanus. 2do. Formale verò privatio debitæ rectitudinis. 3tio. Voluntas autem subjectum peccati formaliter sumpti.

Ratio 1mi est; quia peccatum ex actu humano physicè constat; imò essentialiter est actus humanus, cui, ut mox dicetur, deest debita rectitudo. Ratio 2di est; quia debita rectitudo actûs humani non est aliud, quàm conformitas actûs cum regulis morum; hæcque rectitudo & conformitas est formale actûs humani boni. Ergo privatio hujus rectitudinis est formale peccati. Undè S. Augustinus suprà laudatus, *voluntas mala*, inquit, *non est efficiens sed deficiens*, &c. Defectus autem aliud non est, nisi privatio illius, cujus est defectus. Ratio 3tii. est; quia peccatum, utpotè actus vitalis, recipitur in ea facultate, à qua producitur; ideò enim actus vitales dicuntur immanentes, quia manent in potentia vitali, ut cognitio in intellectu, & volitio in voluntate. Atqui, ex priùs dictis, sola voluntas est causa efficiens peccati. Ergo sola voluntas est subjectum peccati formaliter sumpti.

Diximus, *formaliter sumpti*; quia si peccatum materialiter sumatur, sedem habet in aliis potentiis, & maximè in intellectu, necnon in appetitu sensitivo. Unde Theologi vulgò agnoscunt peccata in ratione & sensualitate.

Cætera, quæ hîc adhuc de peccatis in genere discutere solent Theologi, commodiùs expediemus, ubi de peccato actuali nobis sermo erit.





PARS PRIMA.

14 ## *De Peccato originali.*

TAntò accuratiùs hæc de peccato originali quæstio nobis pertractanda venit, quòd in mente S. Augustini Ep. 157. aliàs 89. cæterorumque Ecclesiæ Doctorum, notitia peccati originalis, & Fides Redemptionis humanæ per Christum, sint duo velut cardines, circa quos vertitur Christiana Religio. Enimverò nemo, qui se sanum existimat, Medicum admittet; nec Redemptorem agnoscet, qui nescit se fuisse captivum. Ut ergo sciamus, quæ & quanta nobis attulerit Christus, priùs noscamus oportet, quid in Adam amiserimus.

Hæc autem circa peccatum originale nobis sunt investiganda: 1mo. Utrum re vera existat. 2do. Quid sit, & in quo consistat. 3tio. Quomodò traducatur in Adæ posteros. 4to. Utrum ità necessariò in omnes transmittatur, ut nullus excipi possit, ac de facto exceptus non fuerit. 5to. Quæ sint illius pœnæ, tùm in præsenti vita, tùm in futura. Quæ singulis Capitibus absolvemus.

CAPUT PRIMUM

Utrum existat peccatum originale.

15 S. Augustinus lib. de Hær. n. 88. docet Pelagium, Cælestium & illius Discipulos negasse existentiam peccati originalis, & docuisse 1mo. Adamum peccando sibi soli nocuisse, non posteris. 2do. Morbos, mortem, & concupiscentiam non esse effectus illius peccati, sed naturales humanæ naturæ defectus.

Posteà tamen, ut refert idem S. Augustinus lib. 4. contra duas epist. Pelag. c. 2. & 4. Catholicorum argumentis oppressi, fateri coacti sunt, mortem corporis ex Adamo trahi; at semper negârunt mortem animæ seu peccatum ex eo trahi.

Cùm Pelagio originale peccatum negârunt posteà, Sæculò nempe XIII. Albigenses, teste S. Antonino in Sum. Theol. Sæculò autem XVI. Anabaptistæ, Sociniani, & Zvvinglius. Porro Anabaptistæ planè sentiunt & loquuntur cum Pelagio, negantes peccatum, mortem, & alia mala ex Adamo trahi. Zvvinglius verò quadantenùs ab eo discrepat: Nam docet 1mo. ex Adami peccato ad ejus posteros derivari propensionem ad malum. 2do. Propensionem hanc esse peccatum metonimicè, quatenus est effectus & causa peccati. 3tio. Peccatum originale in hac propensione consistere, proindeque peccatum originale non esse nisi impropriè peccatum. Contra hos omnes fit

CON-

Conclusio.

16 Datur peccatum originale ab Adamo commissum, & per generationem transfusum in ejus posteros, qui viâ naturali ab eo descendunt, quo peccato constituuntur in se verè & propriè peccatores, Deo odibiles, & æternæ damnationi obnoxii.

Prob. 1mo. Ex S. Scriptura. Job. c. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* Ubi significatur immunditia animæ, quippe quæ dicitur à solo Deo tolli posse, & hujus immunditiæ causa affertur semen immundum, id est, immunditia ex ipsa origine contracta. Ergo existit peccatum in ipsa origine contractum. Quare Septuaginta Interpretes sic hoc expresserunt: *Nemo mundus erit à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita.* Nisi per immunditiam illam & sordem ineptè aliud intelligi velis, quàm peccatum; cùm tamen nullius rei natura per se sordida sit & immunda; nam, *Vidit Deus*, inquit Scriptura Gen. 1. v. 31. *cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.*

Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* In Hebræo legitur, *In iniquitate & peccato. Quid est*, inquit S. Augustinus in hunc locum (*a*), *quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?* Septuaginta autem verterunt in numero plurali, tùm quia illud unum peccatum originale est omnibus & singulis hominibus, ideoque multiplex transfusione & imputatione: tùm quia illud unum peccatum est fons & origo omnium aliorum peccatorum personalium, maximè propter concupiscentiam ex eo contractam, quæ ad omnia peccata impellit, unde est causaliter multiplex.

Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ergo per unum hominem omnes homines constituti sunt rei peccati, morti obnoxii, quia verè omnes, Adamo peccante, peccaverunt.

Nec dicant Pelagiani & Sociniani, peccatum ibi sumi impropriè & metaphoricè. Vel peccatum intrasse in mundum imitatione tantùm, non propagatione. Vel peccatum in mundum intrasse per Adamum, quia Adamo peccante peccatum cœpit in mundo esse.

Nam contrà est 1mo. Quia Apostolus ibi loquitur de peccato, propter quod omnes sunt morti obnoxii: solum autem peccatum propriè dictum parit mortem, juxta illud ejusdem Apostoli Rom. 6. v. 23. *Stipendia peccati mors.* 2do. Si peccatum imitatione tantùm intrasset in mundum, Apostolus debuisset dicere *per duos homines*, non autem *per unum hominem*: nam homines peccando, non solùm Adamum, sed etiam Evam, quæ prior peccavit, imitantur. Item debuisset dicere, *per diabolum*, non *per unum hominem*, siquidem diabolus prior peccavit, & ad peccatum induxit ab initio: *Ab initio diabolus peccat*, 1. Joan. c. 3. v. 8. Deindè mors intravit per peccatum; cùm ergo ipsa in parvulos desæviat, sequitur peccatum in eos fuisse transmissum non imitatione, quatenùs scilicet Adamus suô exemplô eos ad peccandum induxit, sed propagine. 3tio. Antequam peccaret Adamus, peccatum jam

 erat

(*a*) Enarrat. in Psal.

erat in mundo: nam ante Adamum peccavit Eva, & ante Evam diabolus.

17 Prob. 2do. ex omnibus Conciliis, quæ in Oriente & Occidente necnon Africâ contra Pelagianos celebrata errorem, quem impugnamus, proscripserunt (*b*). *Ubique diffusus Christi exercitus*, inquit S. Augustinus lib. 3. contra Julian. c. 1. *debellavit apud Carthaginem Cœlestium quando ipse non eram, & rursùs Constantinopoli longè à regionibus Africanis.* Adde & Diospoli in Palæstina, ubi sequentes Pelagii propositiones anathemate sunt percussæ: 1ma. *Quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit.* 2da. *Quòd infantes nuper nati in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* 3tia. *Quòd neque per mortem, vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur.* 4ta. *Quòd infantes, etsi non baptizentur, habeant vitam æternam.* Concilium Arausicanum II. an. 529. Can. 2. sic habet: *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, & non ejus propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna est peccati, non autem & peccatum, quod est mors animæ, per unum hominem in omne genus hominum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti, Per unum hominem &c.* tacemus & plura alia Concilia particularia, ut & Oecumenica, putà Ephesinum in sua Synodica Epistola ad Cœlestinum Papam; Florentinum in sua definitione; quæ constanter eadem contra Pelagianos sanciverunt. Unicum Tridentinum audisse sufficiat, quod contra Anabaptistas & Zvvinglianos Sess. 5. Can. 2. sic loquitur: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli & non ejus propagini asserit nocuisse .... aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod est mors animæ anathema sit.*

Omittimus etiam summos Pontifices, à quibus Pelagii errores, ubi primùm innotuêre, damnati sunt, scilicet ab Innocentio I. in Ep. ad Concilium Milevitanum, Zozimo in Ep. ad totius orbis Episcopos; & Cœlestino in Ep. 1. ad Episcopos Galliæ, &c.

Prob. 3tio. ex SS. Patribus, qui ante S. Augustinum floruêre; in confesso enim est, quotquot à sancti illius Doctoris ætate tùm in Oriente, tùm in Occidente floruerunt, agnovisse in hominibus, qui viâ ordinariâ generantur, peccatum originale; ergo nonnullos duntaxat Patrum, qui tribus prioribus Ecclesiæ Sæculis scripserunt, textus referemus ex eodem S. Augustino, quos ipse variis in locis, sed præsertim lib. 1. contra Julianum c. 3. & aliis, congessit, ut Pelagianorum, qui ipsum circa existentiam peccati originalis novitatis insimulabant, calumniam depelleret. 18

Nem-

(*b*) Certè pro illustranda hac veritate nihil potest adduci validius, quàm totius Ecclesiæ adversùs Pelagianos reclamatio, ubi prodire cœpit eorum hæresis, quæ primùm, accusante Paulino Diacono Carthaginensi, damnata fuit Carthagine an 412 Diospoli an. 415. & iterùm Carthagine, Aurelio Præside, an. 416. Milevi in Numidia eodem anno, Præside Silvano Item Romæ ab Innocentio I. Constantinopoli ab Attico Constantinopolitano. Thessalonicæ à Ruffo. Alexandriæ à S. Cyrillo. Antiochiæ à Theodosio Annô 431. à Concilio Ephesino. Annô 529. ab Arausicana Synodo II Can. 2 à Moguntino, Can. 5 à Synodo Florentina in Decreto unionis. Et tandem à Tridentina Sess. 5, Can. 2. Unde verò tam unanimis fuit Antiquorum, & omnium Ecclesiarum consensus; nisi quia ita omnes à decessoribus suis instituti fuerant, & Traditio à SS. Patribus laudata erat in aperto?

Nempe laudat hic S. Doctor 1mo. Cyprianum, qui Ep. 59. sic loquitur: *Quantò magis probiberi non debet infans* (à baptismate) *qui recens natus nihil peccavit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit. Qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso faciliùs accedit, quòd illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata.*

Laudat 2do. Reticium Episcopum Augustodunensem, qui in Opusculo, quod jam non extat, asserit, *ignorantia prisca delicta per baptismum in infantibus deleri, eosque in illo veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuere.*

Laudat 3tio. Hilarium Pictaviensem, qui de hac Apostoli sententia, *In quo omnes peccaverunt*, sic loquitur: *In quo, id est, in Adam omnes peccaverunt. Manifestum in Adam omnes peccasse quasi in Massa; ipse enim per peccatum corruptus, omnes, quos genuit, nati sunt in peccato.*

Laudat 4to. S. Ambrosium, qui lib. 1. in Lucam asserit, *parvulos per baptismum à malitia reformari.*

Laudat 5to. S. Irenæum, qui lib. 4. adversùs hæreses c. 5. & 6. asserit, *homines non salvari ab antiqua serpentis plaga nisi per fidem in Christum; nonnisi per eam fidem resolvi eos vinculis, per quæ protoplasti peccatô alligati eramus.*

Laudat 6to. S. Athanasium, qui in Opere de Incarnatione Verbi, sic loquitur: *Ut lapsô Adamô in omnes homines peccatum dimanavit: ita Domino præcedente rigor ille in nos tandem transmeabit.*

Laudat 7mo. S. Basilium, qui Serm. 1. de jejunio, hæc scribit: *Si jejunasset à ligno Eva, non isto indigeremus jejunio: non enim opus habent valentes medicô, sed malè habentes.*

Laudat 8vo. S. Gregorium Nazianzenum, qui in Oratione in Natalem Christi pauló post initium sic loquitur: *Sicut in Adam omnes mortui sumus: ità in Christo omnes vivificamur.*

Laudat 9no. S. Joanem Chrysostomum, qui in sua ad Olympiam Epistola sic loquitur: *Quando enim Adam peccavit, illud grave peccatum, & omne genus humanum in commune damnavit. &c.*

His Patribus adjungi potest Tertullianus, qui in libro de testimonio animæ c. 3. sic de Adamo loquitur: *Exinde totum genus humanum de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.* In libro de anima, c. 2. scribit, ex fidelibus natos eo sensu ab Apostolo *Sanctos* vocari, quòd parentum fidelium curâ baptismate sint abluendi. In libro 1. contra Marcionem, c. 22. supponit, & sibi & Marcioni persuasum esse, quòd omnes per primi parentis peccatum, peccati maculam contraxerint.

Adjungi etiam potest S. Justinus Martyr, qui in Dialogo cum Tryphone expresśè asserit, *totum genus humanum per Adam in mortem, seductionemque serpentis concidisse.* Et in Apologia 2da. ad Antoninum ait, *unumquemque in baptismo renasci.*

Origenes, lib. 2. Periarchon c. 9. Pelagianis quoad originalis peccati existentiam favisse quidem videtur, ubi hujus vitæ miserias non in peccatum originale, sed ad superiorem vitam in peccatis actam, quorum pœnas posteà animæ in corpore darent, refundit. Verùm multis aliis in locis Catholicam de peccato originali doctrinam profitetur. Ut Hom. 8. in Leviticum, ubi expresśè docet, *uno excepto Christo, quemlibet hominem in peccato nasci*: addit, *baptisma parvulis dari in remissionem peccatorum*

rum; hincque concludit esse aliquid in infantibus, quod indulgentiâ & remissione indigeat: *Cùm utique*, ait, *si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur.* Item Hom. 14. in Lucam, *Parvuli*, inquit, *baptizantur in remissionem peccatorum: quorum peccatorum? vel quo tempore peccaverunt? aut quando potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere? nisi juxta illum sensum, de quo paulò ante diximus, nemo mundus à sorde, nec si unius diei &c.* Et lib. 4. contra Celsum *In Adamo*, ait, *omnes moriuntur, & damnati sunt in similitudine prævaricationis Adami, nec tam de uno quopiam, quàm de toto humano genere Scriptura divina loquitur.*

19 Prob. 4to. Rationibus. 1ma. Christus mortuus est pro omnibus hominibus etiam parvulis. Ergo omnes homines etiam parvuli mortui sunt per peccatum: nam Christus nonnisi pro iis, qui mortui sunt, mortuus est: *Si unus pro omnibus mortuus est*, inquit Apostolus (*c*), *ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus.* Hanc rationem ex hoc Apostoli textu deprompta urgebat S. Augustinus adversùs Julianum (*d*). *Si autem*, ajebat, *secundùm Apostolum, sicut putas, nullum delictum habent parvuli; unde ergo secundùm Apostolum mortui sunt? quia, & secundùm te, etiam pro ipsis mortuus est Christus: unus enim pro omnibus, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est . . . .* Et c. 138. *Quacumque te vertas, ab originali peccato non alienabis parvulos, nisi eos negaveris mortuos: quod si feceris, mortuum pro eis Christum negabis: si autem, ne hoc neges, mortuos parvulos confiteris; profectò in Adam mortuos non negabis.*

2da. Baptismus est omnibus hominibus non solùm adultis, sed etiam infantibus, ad salutem necessarius, ut constat tùm ex illo Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*: tùm ex perpetuo sensu & usu Ecclesiæ; quæ semper summa sollicitudine curavit, ut infantes de vita periclitantes baptizarentur. Unde & ipsi Pelagiani hanc Baptismi necessitatem non negârunt (*e*). Ergo omnes etiam infantes indigent effectu Baptismi: nam Baptismus non est necessarius, nisi propter ejus effectum. Atqui effectus Baptismi est ablutio & remissio peccati, ut patet ex illo Ephes. 5. *Mundans lavacrô aquæ in verbo vitæ*; & ex ipsa forma Baptismi: *Ego te baptizo, &c.* Hoc est, *Ego te abluo.* Ergo omnes homines etiam infantes indigent ablutione & remissione peccati. Ergo contraxerunt verè peccatum, quod scilicet ab Adamo in eos per generationem naturalem transfusum est.

Ad hoc argumentum Pelagiani respondebant, parvulos baptizandos esse, non ut remittatur illis peccatum aliquod, & vitam æternam consequi possint; cùm illis, utpotè innocentibus, debeatur, & re ipsa sit retribuenda, etiamsi moriantur sine Baptismo; sed ut regnum cœlorum ingrediantur, quia solis baptizatis hujus regni ingressus patebit.

Verùm cavillationem hanc eruditissimè confutavit S. Augustinus Serm. 14. de Verb. Apost. ostenditque regnum cœlorum nihil aliud esse præter vitam æternam:

(*c*) 2. Cor. 5.
(*d*) Lib. 2. Oper. imperf. contra Julianum c. 133.
(*e*) Apud S. Augustinum, Serm. 14. de verb. Apost.

nam: quod enim Christus *regnum cœlorum* nuncupavit Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum &c.* Id *vitam æternam* ibidem v. 46. appellat, cùm sententiæ executionem significat his verbis: *Ibunt* (impii, quos sub hœdorum nomine indicat) *hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam. Ergo*, inquit ibidem S. Augustinus, *est æterna vita extra regnum cœlorum? Primus hic error aversandus ab auribus, extirpandus à mentibus. Hoc novum prius in Ecclesia inauditum est, esse vitam æternam præter Regnum Dei.* Prætereà in præsenti statu nihil impedit Regnum cœlorum, nisi peccatum.

3tiam. Repetit idem S. Augustinus (*f*) ex cæremoniis in Baptismo adhiberi solitis. Ubi parvulis Baptismus confertur, ex perpetuo usu Ecclesiæ, adhibentur exorcismi & sufflationes, quibus Diabolus ab infantibus baptizandis expellitur. Ergo juxta perpetuum Ecclesiæ sensum infantes ante Baptismum sunt sub potestate dæmonis, & consequenter ante Baptismum inquinati sunt peccato aliquo, propter quod sunt sub potestate dæmonis: nam nemo servus dæmonis efficitur nisi per peccatum. Atqui peccatum illud, quo, secundùm perpetuum Ecclesiæ sensum, inquinati sunt infantes ante Baptismum, non potest esse nisi peccatum originale, id est, peccatum ex origine contractum: nam infantes peccati personalis seu actualis capaces non sunt. Ergo juxta perpetuum Ecclesiæ sensum infantes nascuntur cum peccato originali, & consequenter extat peccatum originale.

Porro has cæremonias nunquam negare ausi sunt Pelagiani ipsi, ut constat ex S. Augustino lib. 6. contra Julianum, cap. 5. ubi eum sic exagitat: *Id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua Princeps mundi à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.* Neque etiam negare potuerunt illas adhiberi ad dæmonem abigendum. Nam, ut idem S. Doctor lib. 2. Oper. imp. n. 181. ait: *Propter hoc & infantes, cùm baptizantur, eruuntur de potestate tenebrarum: alioquin cum magna injuria Dei, sicut jam diximus, & sæpè dicendum est, exorcizatur & exsufflatur imago Dei, si non ibi ille exorcizatur & exsufflatur Princeps mundi, qui mittitur foras, ut fit illic habitatio Spiritûs sancti.*

4ta. Petitur ex miseriis & calamitatibus tùm animæ, tùm corporis, quas unusquisque à nativitate sua experitur. Atqui hæ miseriæ & calamitates, quæ tot mala sunt, utique sub justo & omnipotente Deo non irrogarentur homini, qui est ejus imago, si nulla ex parentibus mala merita traherentur; scilicet culpa originalis, inquit S. Augustinus lib. 3. contra Julianum cap. 3. Ergo cùm infantes ipsi his miseriis & malis sint obnoxii, certè subjacent peccato originali; nam sub justo Deo innocens miser esse non potest. *Si enim propterea morimur*, ait idem S. Doctor lib. 4. ad Bonifacium cap. 4. *quia ille* (*nempe Adam*) *mortuus est; ille autem mortuus est, quia peccavit; pœnam dicunt transire sine culpa, & innocentes parvulos injusto judicio puniri, trahendo mortem sine meritis nostris.* Et lib. 4. contra Julianum, c. ult. *Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum*, (tùm animæ tum corporis, quæ à nativitate Adæ posteri perferre coguntur) *sit aut iniquitas vel impotentia Dei, aut pœna primi*,

(*f*) Lib. 1. de peccatorum merit. & remiss. c. 34. Item lib. 1. de Nuptiis & concupisc. c. 26. necnon lib. 6. contra Julian. c. 2.

mi, veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus: restat quod non vis, sed cogeris fateri, quòd grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.

19 *Solvuntur Objectiones*

Ex S. Scriptura petitæ.

Ob. 1mo. Illud Ezechiel. 18. v. 20. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris &c.* Atqui si daretur peccatum originale, filius portaret iniquitatem patris. Ergo.

Resp. 1mo. Neg. min. Cùm homines ob peccatum originale puniuntur, portant iniquitatem propriam: nam peccatum originale, licèt sit ab Adamo, est tamen unicuique homini proprium ac intrinsecum; & totuplex est, quot sunt homines, qui per viam naturalem ab Adamo descendunt, nisi quis ex speciali privilegio ab eo præservetur.

Resp. 2do. Dist. maj. Filius non portabit iniquitatem actualem Patris, conc. originalem, neg. maj. Ezechielem non de ista, sed de illa tantùm loqui evidens est; scilicet consolari voluit Judæos, apud quos invaluerat hoc proverbium: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* At ea ratione Judæos solatur, ut si parentes iniquos non imitentur, pœnâ, saltem æternâ, qua parentes castigati sunt, ipsi minimè castigandi sint: *Si autem*, inquit, *impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, &c. vitâ vivet, & morte æterna non morietur.*

20 Ob. 2do. Scriptura passim dicit, quòd *Deus reddet unicuique secundùm opera ejus.* Atqui id falsum est, si detur peccatum originale; nam tunc Deus unicuique reddet secundùm opera alterius, nempe Adami, qui solus malum operatus est, per suam inobedientiam. Ergo.

Resp. 1mo. neg. min. Nam, ut primùm dictum, peccatum originale, quo habitualiter maculantur infantes, est moraliter opus illorum, quatenus est violatio præcepti facta voluntare Adami, quæ moraliter erat omnium posterorum viâ naturali ab eo descendentium voluntas in ordine ad observationem vel violationem præcepti de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Undè peccatum Adæ, quod origine unum est, & prorogatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, ut ait Concilium Tridentinum Sess. 5. Can 3.

Resp. 2do. neg. suppos. Nam in iis locis Scriptura loquitur de adultis; quibus singulis Deus juxta opera eorum retribuet vel mercedem vel supplicium.

Ob. 3tio. Rom. 4. v. 15. *Ubi non est Lex*, ait Apostolus, *nec prævaricatio.* Atqui infantes nulla lege tenentur. Ergo nec peccatô. 21

Resp. Dist. min. Atqui infantes nulla lege tenentur, quam voluntate physicè propria violare possint, conc. quam violare possint, & re ipsa violaverint voluntate primi parentis, quæ moraliter illorum propria erat, neg. Quare infantes tenentur & rei sunt prævaricationis voluntate primi parentis, quæ moraliter erat illorum propria, commissæ: qua quidem prævaricatione constituuntur peccatores à primo instanti animationis.

Ob. 4to. Rom. 5. *Regnavit mors*, inquit Apostolus, *ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* 22

Adæ. Ergo mortem duntaxat, non peccatum, omnes ex Adamo trahimus.

Resp. Dist. textum. seu ant. *Regnavit &c.* qui non peccaverunt voluntate physicè propria seu peccatô personali, &, ut loquitur Apostolus, in similitudinem prævaricationis Adæ, conc. Qui non peccaverunt simpliciter & voluntate Adami, quæ moraliter omnium ejus posterorum erat propria, neg. ant. Solutio patet ex jam dictis. Et verò mors, quæ regnavit usque ad Moysen est pœna justa. Atqui non esset justa, nisi supponeret peccatum. Undè Apostolus expressè dicit, *Usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur*, id est, non agnoscebatur; per legem enim cognitio peccati, ait S. Augustinus lib. 6. contra Julianum, cap. 4.

23 Ob. 5to. Ibidem subdit Apostolus: *Si unius delictô multi mortui sunt, multò magis gratia Dei.... in plures abundavit.* Ex quibus sic licet argumentari: Plures sunt, juxta Apostolum, qui in Christo justificantur, quàm qui in Adamo peccaverunt. Atqui plures illi in Christo justificati paucissimi sunt respectu Infidelium, & eorum, qui sine Baptismo decedunt. Ergo paucissimi admodùm sunt, ad quos peccatum Adami transmittitur.

Resp. ad Arg. neg. maj. Nam 1mo. In Græco non habetur *plures*, sed *multos* πολλοὺς. 2do. Termini illi *multi, plures, omnes*, promiscuè hîc usurpantur ab Apostolo, ut legenti patebit; ait enim, *in omnes homines mors pertransiit: in quo* (Adamo) *omnes peccaverunt.* Item, *Si unius delictô multi mortui sunt, per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Et paucis interjectis, *Per unius obedientiam justi constituentur multi.* Ad quæ, *Cùm dictum est*, inquit S. Augustinus lib. 6. contra Julianum c. 24. *per unum in omnes transisse peccatum; & posteà, per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, ipsi sunt multi, qui & omnes.* Nec singulare est Apostolo voces illas, promiscuè usurpare; nam, ut ibidem observat S. Doctor, Deus sic illas usurpavit Gen. 22. ubi dictum est, Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes, & patrem multarum gentium posui te.* Hic quippe *easdem omnes, multas*, inquit idem S. Doctor, *& easdem multas, omnes esse monstratum est.* Porro sensus Apostoli est: scilicet Redemptionem Christi per se majus ac utilius beneficium esse, quàm Adæ peccatum perniciosum fuerit. Nam si Adami peccatô omnes mortui sunt, hoc est, incurrerunt reatum mortis tùm animæ tùm corporis; longè tamen majora bona & dona nobis contulit Christi redemptio, quàm Adam abstulit; nec, sicut Adam uno peccato omnes perdidit, ita redemptio ac gratia Christi omnes, quibus fuerit applicata, ab uno solo peccato liberat, sed à multis & variis peccatorum generibus, quæ Adami posteri addiderunt, & addent ejus peccato. Item dici potest cum Estio, per vocem *plures*, Apostolum non attendere ad multitudinem eorum, qui Christi gratiæ participes fiunt, sed ad copiam gratiæ, quæ superabundavit, adeò ut plus nobis restituerit Christus, quàm in Adamo perdiderimus, scilicet donum perseverantiæ, auxilia efficacia; hæc enim non fuerunt in statu innocentiæ.

Ob. 6to. Iterum Rom. 5. *Per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Ergo homines sola imitatione constituti sunt peccatores per peccatum Adami: nam si propagatione, omnes, non tantùm multi dicerentur constituti peccatores. 24

Resp. neg. conf. Quia vox *multi* non excludit *omnes*, sed, ut primùm à nobis

bis dictum est, has voces promiscuè usurpat Apostolus. Sicut Scriptura dicit Christum mortuum esse pro omnibus, & pro multis; quia re vera illi omnes, pro quibus Christus mortuus est, multi sunt, & multi omnes sunt. Vide dicta in solutione ad præcedentem Objectionem.

25 Ob. 7mo. 1. Cor. 7. *Sanctificatus est vir infidelis*, ait idem Apostolus, *per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt.* Ergo saltem infantes fidelium immunes sunt à reatu peccati originalis per non imputationem, ut docent Calvinistæ.

Resp. neg. cons. Quia vox *immundi* ibi significat idem, quod *illegitimi*, & vox *sancti* idem ac *legitimi*. Vel ad summum ibidem significatur sanctitas quædam moralis propter fidem unius parentis Deo per Baptismum consecrati & sanctificati. Nam filii ibi dicuntur sancti in eo sensu, in quo dicitur vir infidelis esse sanctificatus per mulierem fidelem, nempè morali quadam denominatione per conjunctionem cum uxore sancta: similiter filii parentum Christianorum sunt sancti denominatione quadam morali & intrinseca, quatenus oriuntur à parentibus Deo consecratis, & vi status sui sanctis, quique per fidem disponuntur ad procurandam per Baptismum veram liberis suis sanctitatem: nam ibi Apostolus rationem affert, cur conjuges fideles non debeant deserere conjuges infideles pacificè cohabitare volentes, quia scilicet matrimonium non fit illegitimum per conversionem unius conjugis, nec polluitur per infidelitatem alterius; sed potiùs conjux infidelis per alterius conjugis fidem & sanctitatem morali quadam sanctitate consecratur, sicut res prophana per contractum rei sacræ sanctificatur: alioquin liberi ex ejusmodi matrimoniis nati, essent illegitimi: quod certè falsum est, nam sunt legitimi, & per parentis fidelis fidem morali quadam sanctitate consecrati.

Porrò hic Calvinistarum error, quo contendunt, infantes fidelium immunes esse à reatu peccati originalis per non imputationem, evidenter refellitur 1mo. Ex S. Scriptura: nam Psal. 50. David, qui ex parentibus fidelibus natus erat, testatur, se conceptum fuisse in peccato originali: *Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ubi pluralis numerus pro singulari ponitur per Synecdochen Hebræis familiarem. Et Apostolus Ephes. 2. de se & aliis fidelium parentum filiis dicit: *Eramus naturâ filii iræ sicut & cæteri:* hoc est, eramus origine rei peccati, & digni odiò Dei & vindictâ. 2do. Ex perpetuo usu & sensu Ecclesiæ, quæ semper judicavit Baptismum necessarium esse omnibus omninò infantibus etiam parentum Christianorum. Item ex unanimi Patrum consensu. 3tio. Ex Concilio Tridentino Sess. 5. Can. 4. ubi ait: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod generationis lavacrò necesse fuerit expiari ad vitam æternam consequendam .... anathema sit.* Ratio est; quia illi omnes nascuntur rei peccati originalis, qui peccaverunt in Adamo, nisi primò instanti conceptionis gratiâ sanctificante ex speciali privilegio præveniantur. Atqui omnes omninò homines, etiam infantes ex parentibus fidelibus orti, peccaverunt in Adamo, ut testatur Apostolus Rom. 5. *In quo* (Adamo) *omnes peccaverunt.* Nam peccatum Adami fuit secundùm moralem æstimationem peccatum actuale omnium, quorum erat caput morale. 26

In-

27 Instant Calvinistæ: Nemo potest transfundere id, quod non habet; Sed parentes fideles non habent peccatum originale. Ergo.

Resp. enim Dist. maj. Nemo potest transfundere per modum causæ id, quod non habet, conc. Per modum conditionis, qua posita fit transfusio, & qua non posita non fieret transfusio, neg. maj. Parentes solùm transmittunt peccatum originale ponendo conditionem, quam merè per accidens sequitur transmissio peccati originalis. Hæc autem conditio est generatio naturalis.

28 Ob. 8vo. 1. Cor. 15. Apostolus hanc comparationem Adamum inter & Christum instituit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Atqui non omnès in Christo vivificabuntur. Ergo neque in Adamo omnes moriuntur.

Resp. neg. min. In hoc quippe sita est Apostoli comparatio: Sicut quotquot ex Adamo generantur, ii reatum peccati & mortis contrahunt; ita quotquot in Christo regenerantur, ii justitiam & vitam supernaturalem percipiunt; &, si perseverent, felicitatem æternam: & è converso, sicut qui ex Adamo viâ ordinariâ non nascitur, quemadmodùm Christus, in Adamo non moritur; ita qui in Christo non renascitur, spiritualiter non vivificabitur.

29 Ob. 9no. 2. Cor. 15. *Omnes*, inquit idem Apostolus, *nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum sive malum.* Atqui parvuli nihil mali in corpore gesserunt. Ergo nullam pœnam referent.

Resp. 1mo. Extorquendo arg. contra Adversarios: Parvuli, qui decedunt sive ante, sive post Baptismum, nihil boni in proprio corpore gesserunt. Ergo nullum præmium recipient, nec regnô cœlorum, nec vitâ æternâ donabuntur; quod est longè absurdissimum, etiam in sententia Adversariorum.

Resp. 2do. Cum S. Augustino lib. 6. Contra Julianum c. 10. Apostolum hîc loqui de adultis baptizatis, ut patet ex verbis immediatè præcedentibus: *Ideò contendimus, sive absentes, sive præsentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet, &c.* Præterea hæc verba, *ut referat unusquisque propria corporis*, non sunt exclusiva; nec enim dicitur, ut referat unusquisque tantùm propria corporis.

Solvuntur Objectiones

Ex Patribus petita.

Ob. 1mo. Justinus Martyr quæst. 88. dicit, illud Job: *Nemo mundus à sorde:* non pertinere ad infantes. Ergo censet peccatum originale in parvulis non reperiri. 30

Resp. 1mo. Librum illum non esse foetum Justini, qui circa medium Sæculi secundi floruit (g): nam meminit Origenis, qui octoginta annis post Justinum vixit, ut & Irenæi, qui primùm circa annum 202. superfuit.

Resp. 2do. neg. conf. Ratio est; quia Auctor cit. quæst. 88. ait de peccato personali: *Porrò*, inquit, *naturâ ad peccandum natus est, qui per liberi arbitrii delectum sibi ipsi dux est*: ac proinde mirum non est, quòd asseruerit, textum ex Job petitum ad infantes non pertinere, hoc est, non probare cum, infantes esse alicujus personalis peccati reos.

(g) Obiit an. 165.

31 Ob. 2do. Tertulianus lib. de anima c. 39. ait : *Sic & omnibus genii deputantur, quod dæmonum nomen est. Adeò nulla fermè nativitas munda est, utique Ethnicorum. Hinc enim & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu Sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa, quàm ex institutionis disciplina.* Ergo ex Tertulliano fidelium infantes carent peccatô originali.

Resp. neg. conf. Quia Tertullianus ibi solùm vult, nativitatem infantium Ethnicorum esse propter superstitiones in ea usitatas immundam speciali immunditiâ, qua caret nativitas infantium apud Christianos. Nam fidelium infantes procreantur sancti hoc sensu, quòd ex intentione & usu fidelium procreentur, ut posteà sanctificentur per Baptismum : & eorum nativitas sancta est, quatenus Ethnicorum superstitionibus caret, & per cæremonias sacras ii ad cultum Dei deputantur : prout patet ex iis, quæ adductis in Objectione verbis subdit. Præterea Tertullianus eodem libro agnoscit omnes omninò infantes ante Baptismum inquinatos esse peccatô originali ; nam cap. sequenti sic ait : *Ita omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur : tamdiu immunda, quamdiu recensetur : peccatrix autem, quia immunda.*

32 Inst. 1mo. Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 18. ait : *Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur, fiant Christiani, cùm Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?* Ergo innuit parvulos esse innocentes, adeoque à peccato omni, etiamque originali, immunes esse.

Resp. neg. conf. Solùm vult magis expedire, ut citra mortis periculum Baptismus nonnisi adultis conferatur, quò illum majore cum fructu recipiant. Infantiam autem appellat ætatem innocentem, non quia ab omni peccato est immunis, sed quia peccatis personalibus caret.

Inst. 2do. Idem lib. de Resurrectione carnis cap. 47. mortem quidem corporis refert in Adami prævaricationem, sed ad eandem non refert mortem animæ seu maculam animæ. Ergo Tertullianus non alium saltem effectum peccati Adami agnovit, quàm carnis, non autem animæ mortem. 33

Resp. Dist. ant. Tertullianus lib. de resurrect. carnis, animæ maculam non refert in Adami peccatum, & tamen refert alibi, conc. Et non refert alibi, neg. ant. Ideò in loco, qui nobis objectus est, Tertullianus de sola corporis morte loquitur, quòd ad quæstionem, de qua eo loci agebat, conferret, seu ad quæstionem de corporis resurrectione, quam negabat Marcion, quamque Tertullianus probandam susceperat : In eo autem positum est illius argumentum, quòd sicut antiquus Adam corpori mortem intulerat ; ita & novus, qui est Christus, vitam illi collaturus sit. Jam verò quòd idem Tertullianus animæ mortem seu maculam refuderit in Adami peccatū superiùs variis ex ipso laudatis testimoniis ostensum est; quibus & addi potest illud cap. 8vi. lib. 7. de Resurrectione carnis, ubi *Caro*, inquit, *in Baptismate abluitur, ut anima emaculetur.*

Ob. 3tio. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum apertè negat peccatum originale. Scribens enim ibidem adversùs Encratitas sive Tatianos, negat Adami peccatum infantibus imputari; quem quidem articulum scilicet de existentia peccati originalis, suo dogmati tanquam basim substernebant : ex eo enim concludebant nuptias, seu actum conju- 34

galem.

galem, per quem tantum malum propagaretur, eſſe malum: *Dicant ergo nobis* (Encratitæ ſive Tatiani) inquit, *ubi fornicatus eſt infans natus? vel quomodo ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil operatus eſt? Reſtat ergo eis, ut videtur, conſequenter ut dicant malam eſſe generationem, non ſolùm eam, quæ eſt corporis, ſed etiam quæ eſt animæ, propter quam etiam corpus.* Addit, Davidem ex conceptu nullum traxiſſe peccatum: *Et quando dixit David: In peccatis conceptus ſum, dicit propheticè quidem matrem Evam, ſed Eva mater fuit viventium: & ſi in peccatis fuit conceptus, ſed non ipſe in peccato, neque verò ipſe peccatum.* Ergo.

Reſp. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. quòd Encratitæ peccatum originale tanquam baſim ſuo dogmati ſubſtraverint: è contrà dogmati ſuo ſubſternebant peccatum perſonale in ſuperiore vita commiſſum, & in cujus pœnam animæ corporeis vinculis illigarentur; idque etiam apertè demonſtrant verba, quibus Clemens Encratitas urget: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus eſt infans natus?* Unde hæc alia ejusdem Clementis verba: *Quomodò ſub Adæ cecidit execrationem?* intelligenda ſunt de execratione, in quam per peccatum perſonale, quod in ſuperiore vita, hoc eſt, ante unionem animæ cum corpore, admiſſum fuerit. Eadem ratione explicari debent hæc alia: *Sed non ipſe David in peccato*, intelligenda ſunt de peccato perſonali, de quo Clementem inter & Encratitas erat quæſtio, non autem de peccato originali, de quo non agebatur.

35 Ob. 4to. Origenes Commentariô in Epiſtolam ad Romanos inter alia illud Apoſtoli *peccatum in hunc mundum intravit*, ſic interpretatur, ut velit per mundum intelligendos homines terrenos, qui exemplô & in ſimilitudinem Adæ propria voluntate legem transgrediuntur. Enimverò quomodò Origenes peccatum originale agnoſcere potuiſſet, cùm docuerit, animas deliquiſſe, priusquam infunderentur in corpora tanquam in carceres? Ergo.

Reſp. 1mo. Origenis auctoritas parvi eſt momenti, cùm conſtet eum plures graves errores docuiſſe; aitque S. Hieronymus Pelagii doctrinam ramuſculum fuiſſe Origenis; necnon Pelagianos, qui ejus auctoritate gloriabantur, hiſce ſugillat lib. 1. contra Pelag. *Tranſite ad Amaſium veſtrum, qui præterita in cælis & antiqua delicta ſolvi dicit in Baptiſmo.*

Reſp. 2do. neg ant. Origenes quippe in illo Commentario verba Apoſtoli pro more allegoricè exponit: allegoria autem non deſtruit ſenſum litteralem, quem luculenter confirmavit locis ſuprà in Concluſione prob. 3tiâ laudatis. Unde in ejus ſententia priora animarum delicta, & peccatum originale in Baptiſmo ſimul delentur.

Ob. 5to. S. Gregorius Nyſſenus in Oratione de infantibus præmatura morte abreptis, ab Hierio quæſitus, an infantes illi ad univerſale judicium vocandi eſſent, reſpondet, exclamans: *O altitudo! puellulus infans ſimplex, omnis malitiæ expers, ſanitate, quæ per purgationem contingit, non indigens.* Ergo Gregorius &c. 36

Reſp. neg. conſ. Gregorius Nyſſenus eo loci loquitur de infantibus baptizatis, & de purgatione pœnitentiæ à perſonalibus peccatis; ut patet ex iis, quæ ibidem diſſerit. Nec obſtat, quòd dubitaverit, an, qui infantes mortui ſunt, in univerſali judicio ſiſtendi ſint coram Chriſto Judice. Nam ſicut tempus, quo futurum eſt univerſale Judicium, incertum eſt; ita & Gregorio in-

incertus fuit modus, quo Judicium illud fieri debet; undè cum Apostolo exclamandum duxit, *O altitudo!* Sed si Gregorii sententia ex aliis ejus operibus investigetur, evidenter patebit, ei persuasum fuisse, existere peccatum originale. Instar omnium sint hæc ejus verba in libro de vita Moisis: *Occultior quædam*, inquit, *traditio & verus sermo ad nos usque descendit, quo creditur, posteaquàm in peccatum natura nostra lapsa est, non omninò à Clementia divina neglectam, neque absque suo patrocinio dimissam.*

37 Ob. 6to. S. Joannes Chrysostomus hom. 1. ad Neophitos, scribit infantes ideò baptizari, ut eis addatur sanctitas, non autem ut abluantur à peccato: *Hac de causa*, inquit, *etiam infantes baptizamus, cùm vel quamvis non sint coinquinati peccatô, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint.* Ergo &c.

Resp. Dist. ant. S. Joannes Chrysostomus scribit, infantes baptizari, quamvis non sint coinquinati peccatô personali, conc. Peccatô originali, neg. ant. Ratio est, quia græca Chrysostomi verba non habent *peccatô* in singulari numero, sed *peccatis* in plurali: sic enim latinè reddi debent: *Ideò & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes.* Ita respondet S. Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 3. Quærenti verò Juliano, cur, si ea mens fuerit Chrysostomi, non addiderit, *propria*, hisce verbis respondet Augustinus: *Quia disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur: tali enim quæstione nullius, vel nullus pulsabatur, & vobis nondum litigantibus securiùs loquebatur.* Certe in textu objecto supponere videtur peccatum originale, & illud agnoscere in infantibus: nam agnoscit parvulos ante Baptismum esse in statu, quo carent sanctitate, justitia, & adoptione; cùm ait eos baptizari, ut eis addatur, id est, conferatur sanctitas, justitia, &c. proinde agnoscit eos esse in statu peccati, & damnationis æternæ; cùm non detur medium, inter statum peccati, & statum sanctitatis ac adoptionis, in quo constituuntur infantes per Baptismum. Hîc S. Chrysostomus, exemplô infantium, qui baptizantur, refellit quosdam, qui dicebant in Baptismo solùm condonari peccata personalia per condonationem extrinsecam, sine infusione gratiæ sanctificantis.

Inst. 1mo. Chrysostomus hom. 10. in Ep. ad Rom. docet, mortem ex Adamo quidem in ejus posteros transmissam fuisse, non verò peccatum inobedientiæ, cujus factus est reus: *Adamo*, inquit, *peccante, ac mortali effecto, & qui ex eo orti sunt, eos tales esse nihil absurdum. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, id verò quam, obsecro, congruentiam, consequentiamque habet? . . . . Quid igitur hoc locô verbum hoc, Peccatores, significat? Mihi videtur tantumdem significare, quantum illud,* Supplicio Obnoxii & Mortis Rei. Ergo &c. 38

Resp. Dist. ant. Chrysostomus docet personale peccatum inobedientiæ, cujus Adamus factus est reus, in nos transmissum non fuisse, conc. Nam alioquin, ut ibidem ait Chrysostomus, ei, qui non peccasset, pœna infligeretur. Peccatum quod sit personalis peccati Adami effectus, neg. ant. Mors ex Chrysostomo est pœna, quæ omnibus hominibus infligitur. Ergo supponit demeritum quod præcesserit; pœna enim est correlativa ad demeritum: illud autem demeritum non est personale, cùm infantes, qui tamen morti obnoxii sunt, incapaces sint alicujus actus. Ergo est ori-

originale tantùm & habituale. Igitur S. Chrysostomus solùm vult, quòd per unius personalem inobedientiam non possint alii constitui actu & personaliter peccatores. Nec negat, imò quoad sensum asserit, per unius peccatum posse alios constitui peccatores originaliter & habitualiter: nam ibi asserit, per unius peccatum posse alios constitui peccatores originaliter & habitualiter; scilicet, per unius inobedientiam multos constitui supplicio, ideoque odio Dei obnoxios ac mortis reos. Per unius autem peccatum multos constitui peccatores originaliter & habitualiter nihil aliud est, quàm propter unius peccatum multos ex eo descendentes constitui obnoxios odio Dei, supplicio æterno, & mortis reos. Undè solùm negat, propter personalem Adami inobedientiam ejus posteros constitui actu & personaliter peccatores. Prætereà eadem Homiliâ clarè docet peccatum originale, ut infrà dicemus; ut & Epistolâ ad Olympiam, prout suprà prob. 3tiâ. ostendimus.

39 Inst. 2do. Hom. 17. in 1. ad Cor. ait: *Quid igitur faciam, inquis, propter illum* (Adamum) *pereo? Minimè propter illum: neque enim tu sine peccato permansisti. Quòd si non idem peccatum tamen aliud commisisti.* Ergo &c.

Resp. neg. conf. Hic alloquitur homines baptizatos: ac proindè rectè dicit, illos non posse perire propter Adami peccatum, cùm originale peccatum iis per Baptismum jam condonatum esset, sed perire tantùm propter peccata voluntate physicè propria admissa. Rectè etiam dicit eos idem peccatum Adami non commisisse, soli enim Adam & Eva illud personaliter & actu commiserunt, atque in nos transmiserunt, &c.

40 Inst. 3tio. Hom. 39. in eandem Epist. *Quid igitur, dic mihi, num omnes in Adam morte peccati mortui sunt? Quomodò ergo Noë vir justus Saculò suò fuit? Quomodo Abraham? Quomodo Job?* Ergo &c.

Resp. neg. conf. Ibi loquitur de morte peccati irreparabilis, & solùm vult, non omnes in Adam irreparabili morte peccati mortuos esse, ut patet ex exemplis, quæ affert: alioqui malè ratiocinaretur. Nam ex eo, quòd omnes in Adam peccaverint, non sequitur, aliquos ejus posteros non potuisse esse justos ac sanctos; siquidem hoc peccatum aliquo remedio à Deo instituto condonari potest, & re ipsa condonatur iis, quibus applicatur Baptismus.

Inst. 4to. Hom. 24. in Epist. ad Ephes. 41
Corruptibile, inquit, nobis corpus, sed incorruptilis anima. Ne igitur & ipsam corrumpamus. Hoc primum primi hominis peccatum fecit: quod autem post lavacrum fit, etiam animam corrrumpere potest. Ergo in mente hujus S. Doctoris anima per peccatum Adæ minimè corrupta fuit seu maculata.

Resp. neg. conf. Ibi loquitur de baptizatis & sensus est: in nobis baptizatis est quidem corpus corruptibile, id est, necessariò corrumpendum, ob moriendi necessitatem, quam Adami peccatum fecit, & quam Baptismus relinquit. At anima etsi Adæ peccatô maculata fuerit, non tamen ita corrupta fuit, ut, quemadmodùm corpus, necessariò periret & moreretur; nec modò etiam necessariò est corrumpenda morte peccati, sed potest manere incorrupta, si velimus gratiam baptismalem diligenter conservare, vitando quamlibet culpam mortalem, sicut potest corrumpi per peccatum mortale, nam Baptismus minimè inculpabiles nos reddit.

Harum omnium responsionum veritas confirmatur ex eo, quòd S. Chrysostomus peccatum originale clarè docuerit pluribus locis, ut 1mo. Epist. ad Olimpiam seu Olimpiadem supra prob. 3tiâ. citatam. Item ibidem, *Cùm Adamus*, inquit, *grave illud peccatum admisisset, atque commune hominum omnium genus condemnasset, labore tùm mulctatus est.* 2do. Hom. 10. in Epist. ad Rom. ubi ait: *Quod Christo crux & sepulchrum, hoc nobis baptisma fuit, quamvis non iisdem in rebus. Ille enim carni & mortuus & sepultus est, nos autem peccato utrumque.* Ubi disertè dicit eos, qui baptizantur, mori & sepeliri peccato per Baptismum: ac proinde agnoscit infantes, qui baptizantur, mori & sepeliri peccato, ideoque habere peccatum, non certè personale, cujus sunt incapaces, ergo originale. 3tio. Eadem Hom. ait: *Liquet, quòd non ipsum peccatum, quod à legis transgressione ortum est, sed illud, quod ab Adami inobedientia, ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat.* Ubi præter peccatum personale agnoscit peccatum ab Adæ inobedientia ortum, quod omnes perdit, eos scilicet efficiendo obnoxios odio Dei, & damnationi æternæ. 4to. Hom. ad Neophitos. *Venit semel Christus*, inquit, *invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam.* Sanè chirographum illud paternum, quod scripsit Adam, & quod nostrum est, nihil aliud esse potest, quàm peccatum ab Adamo ut morali capite nostro admissum, quod etiam nostrum est, eò quòd ejus voluntas esset moraliter nostra: & sic nos habitualiter à primo existentiæ nostræ instanti maculat, ac reddit debitores mortis.

42 Ob. 7mo. Theodoretus lib. 5. Hæreticarum fabularum cap. 18. *Quorsùm*, inquit, *infantes baptizamus, qui peccatum nondum gustârunt.* Item textus Scripturæ peccatum originale significantes, ad mentem Pelagianorum explicat. Denique in libris Hæreticarum fabularum, omisit eam, quæ peccatum originale negat. Ergo &c.

Resp. neg. conf. Loquitur adducto textu Theodoretus de peccatis personalibus simul & originali; agit enim contra Messalianos hæreticos, qui contendebant sola peccata personalia & actualia tolli per Baptismum, quasi adhibitâ novaculâ, originale verò non per Baptismum, sed per orationem dimitti; quod quidem absurdum esse Theodoretus probat ex praxi Ecclesiæ, quæ infantes abluit, quamvis rei sint solius originalis peccati; ergo contendit non solùm peccatorum personalium & actualium, sed etiam originalis remissionem esse effectum Baptismi. Neque etiam omnes Scripturæ textus, quibus probatur peccatum originale, exposuit, ut Pelagiani exponebant. Et quocumque ex motivo prætermiserit hæresim negantium peccatum originale, certè hujus peccati existentiam agnovit; nam in expositione capitis 5. Epist. ad Rom. sic ait: *Dicit itaque divinus Apostolus, quòd, cùm Adam peccavisset, & mortalis propter peccatum factus esset, utrumque ad genus pervenit* (id est peccatum & mors) *ad omnes enim mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt: non enim propter primi hominis peccatum, sed propter suum* (quia ex Concilio Tridentino est unicuique proprium) *unusquisque mortis decretum suscepit.* Etiam infantes, quamvis voluntate physicè propria non peccaverint.

Solvuntur Objectiones

A ratione petitæ.

43 Ob. 1mo. Christi justitia non prodest iis, qui non credunt. Ergo neque peccatum Adæ nocet non peccantibus. Atqui infantes non peccant, cùm sint expertes libertatis. Ergo.

Resp. Dist. ant. Christi justitia non prodest iis, qui non credunt voluntate tùm physicè tùm moraliter propriâ, conc. Qui non credunt voluntate saltem moraliter propria, licèt physicè aliena, neg. ant. Dist. pariter cons. Ergo nec peccatum Adæ nocet non peccantibus voluntate tùm physicè tùm moraliter propria, conc. voluntate saltem moraliter propria, licèt physicè aliena, neg. cons. Responsio patet ex passim dictis; estque S. Augustini lib. 3. de peccat. meritis cap. 2. ubi docet, quòd sicut justitia Christi prodest voluntate physicè aliena credentibus, eorum nimirum, à quibus aut offeruntur, aut baptizantur, aut ipsius Ecclesiæ: ita Adami iniquitas nocet iis, qui voluntate physicè aliena, in primo scilicet hominum parente, peccârunt.

44 Ob. 2do. Homines baptizati carent originalis peccati culpâ. Ergo etiam in posteros eam transmittere non possunt: nemo enim dat, quod non habet.

Resp. Huic objectioni jam satisfecimus suprà in Responsionibus ad Objectiones ex S. Scriptura petitas in Resp. ad Ob. 7. &c. n. 27. & neg. cons.

45 Ob. 3tio. Si peccatum originale existeret, matrimonium, & ejus usus essent mala, nam essent causa peccati. Falsum consequens. Ergo.

Resp. neg sequel. maj. & prob. Nam peccati, quod per generationem naturalem transfunditur, causa est sola voluntas Adami ut moralis capitis omnium hominum ab eo per viam naturalem descendentium: quæ proinde voluntas in æstimatione morali fuit voluntas omnium hominum per viam naturalem ab Adamo descendentium.

Inst. 1mo. Peccatum originale sequitur ex usu Matrimonii. Ergo talis usus est illius causa. 46

Resp. dist. ant. Sequitur per accidens, conc. Per se, neg. ant. & cons. Peccatum originale non sequitur per se ex usu conjugii: nam in statu innocentiæ fuisset illius usus, nec tamen fuisset peccatum originale. Sed sequitur tantùm per accidens: nam respectu conjugii & usûs illius per accidens est, quòd peccatum ab Adamo, ut morali generis humani capite, commissum fuerit moraliter peccatum eorum, qui per usum conjugii generandi erant, & hoc pactô per viam naturalem ab Adamo descensuri, & sic peccatô illius à primo animationis instanti coinquinandi.

Inst. 2do. Sine usu conjugii non contraheretur peccatum originale. Ergo. 47

Resp. neg cons. Quia indè sequitur tantùm, quòd usus conjugii sit per accidens conditio *sine qua non* respectu peccati originalis, quatenùs Adamus relatè ad præceptum de non comedendo certo fructu, illos solùm repræsentavit, & sic pro illis tantùm peccavit, qui ab eo per generationem naturalem descensuri, ideoque per usum conjugii generandi erant. Non idcircò autem privantur homines jure naturali, quod habent, matrimonium contrahendi.

Ob. 4to. Non peccat iste, qui nascitur, cùm electionis capax non sit; non peccat iste, qui generat, alioqui illicitus est conjugii usus, quod primùm negatum est; non peccat ille qui condidit: per quas ergo rimas inter tot 48

præsidia peccatum fingis ingressum, ajebat Julianus apud S. Augustinum lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 18.

Respondet S. Augustinus: *Quid quaris latentem rimam, cùm habeas apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus, per unius delictum, ait Apostolus, per unius hominis inobedientiam, ait Apostolus. Quid quaris amplius? quid quaris apertius? quid quaris inculcatius?* Igitur Dist. 1mum membrum ant. Non peccat iste qui nascitur voluntate physicè propria & personaliter, conc. Non peccat, id est, non habet peccatum voluntate physicè aliena, & quæ tamen moraliter sit ejus propria, neg. ant. Voluntas & libertas Adami fuit secundùm moralem æstimationem voluntas ac libertas infantium & omnium posterorum ab eo viâ naturali descendentium, in ordine ad violationem, sicut & ad observationem præcepti de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Unde Adamo liberè tale præceptum violante, omnes ab eo per generationem naturalem descensuri censentur illud violasse, & graviter peccasse, & re ipsa à primo conceptionis instanti, gravi peccatô inficiuntur, nisi quis gratia sanctificante eodem instanti donetur.

49 Inst. 1mo. Peccatum est actio vel omissio libera contra legem Dei. Atqui infantes nihil possunt liberè facere vel omittere. Ergo nec peccare.

Resp. Dist. min. Nihil possunt liberè facere vel omittere voluntate physicè propria, conc. voluntate physicè aliena, sed quæ moraliter sit ipsorum voluntas, neg. min. Equidem, ut jam sæpiùs dictum, infantes voluntate physicè propria legem Dei violare non possunt, cùm careant usu rationis, ac proindè non possunt habere peccatum actuale seu personale: At etiam antequam essent, potuerunt violare, & re ipsa violârunt præceptum Dei, voluntate alterius, nempe primi parentis, ut capitis moralis omnium ab eo per naturalem generationem descensurorum, quæ voluntas moraliter, seu secundùm æstimationem prudentem erat eorum voluntas: ita ut illo violante præceptum de non comedendo certo fructu, illi secundùm prudentem æstimationem censeantur idem præceptum violasse: ac proinde habent peccatum voluntate alterius commissum, quo à primo conceptionis instanti maculantur, sicque habent peccatum originale. In infantibus ergo inest, non quidem actus peccati, sed reatus & macula duntaxat peccati, & sic habitualiter peccatum originale, quod est verè ac propriè peccatum habituale.

Inst. 2do. Infantes nullum habent usum libertatis. Ergo nullum habere possunt peccatum. 50

Resp. neg. cons. Huic objectioni jam satisfecimus sup. in Resp. ad Ob. 1. & alibi passim. Infantes quidem nullum habere possunt peccatum voluntate physicè propria commissum & personale. At possunt habere, & re ipsa habent peccatum voluntate physicè aliena, quæ tamen moraliter sit eorum propria, commissum, & originale.

Inst. 3tio. Quando Adam peccavit, nondum erant posteri ejus. Ergo illo peccante non potuerunt peccare.

Resp. Dist. ant. Ejus posteri nondum erant physicè & in se seu secundùm entitatem suam, conc. Nondum erant moraliter, seu secundùm prudentem æstimationem in ipso Adamo relatè ad præceptum de non comedendo certo fructu, neg. ant. Adamus licèt esset unus in se, tamen omnes erat homines æquivalenter, & secundùm prudentem æstimationem in ordine ad præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali: nam omnes homines repræsentabat

tabat in ordine ad ejus observationem & violationem. Undè illo uno hoc præceptum observante vel violante, omnes censebantur illud observare vel violare.

51 Ob. 5to. Nullum peccatum trahitur ab Eva prima omnium matre, & priùs peccante. Ergo nec ab Adamo primo omnium parente: nam nulla potior ratio afferri potest pro peccato Adami.

Resp. neg. conf. Ratio autem, cur peccatum originale à solo Adamo trahatur, non ab Eva, est; quia solus Adamus, non Eva, constitutus est à Deo caput morale generis humani, & solus humani generis personam repræsentavit, ac sustinuit in ordine ad præceptum de non comedendo certo fructu. Hinc solo Adamo non peccante non fuisset, & eo solo peccante fuisset peccatum originale. Et verò præceptum Adamo impositum fuit ante formationem Evæ.

52 Inst. 1mo. Eccli. 25. dicitur: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes moriuntur.* Ergo &c.

Resp. neg. conf. Id dicitur Eccli. 25. quia mulier fuit causa impulsiva peccati Adami: nam Eva Adamum induxit ad peccandum, quo peccante omnes peccavimus, & peccando facti sumus rei mortis animæ & corporis.

53 Inst. 2do. Peccatum aliorum parentum non imputatur suis liberis. Ergo nec peccatum Adami imputari debet suis posteris.

Resp. neg. conf. Disparitas est, quòd voluntas solius Adami, non autem aliorum parentum, sit moraliter voluntas posterorum suorum relatè ad violationem & observationem præcepti de non comedendo certo fructu; quia solus Adamus à Deo constitutus fuit caput morale posterorum suorum relatè ad hoc præceptum, & quidem solum: undè nullum fuisset peccatum originale, si Adamus hoc præceptum servasset, quamvis omnia alia præcepta violasset.

Inst. 3tio. Non est potior ratio, cur 54
violatio præcepti de non comedendo certo fructu fuerit peccatum posterorum, & non fuisset violatio aliorum præceptorum. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia solum illud præceptum in persona Adami impositum fuit iis, qui ab eo per generationem naturalem descensuri erant: & sic voluntas Adami non fuit moraliter voluntas posterorum, nisi relatè ad violationem & observationem præcepti de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali: ac proinde sola hujus præcepti violatio secundùm moralem æstimationem fuit & esse potuit omnium Adami posterorum ab eo viâ naturali descendentium transgressio. Deus autem illud præceptum, non aliud, generi humano in persona Adami imposuit, quia ita voluit, & quidem sapientissimè, nam in hoc magis elucet hominis dependentia à Deo.

Ob. 6to. Si peccatum aliquod per 55
generationem traheretur, illud esset vitium naturale. Falsum conseq. Nam alioqui adscribendum esset Deo, utpotè omnium naturalium auctori. Ergo.

Resp. Dist. sequel. maj. Esset vitium naturale, id est, esset vitium, quod omni homini ab Adamo per generationem naturalem descendenti inest, seclusa speciali præservatione, conc. Id est, esset vitium, quod esset pars vel proprietas naturæ humanæ, neg. seq. maj. Peccatum originale non est vitium naturæ, nisi in hoc sensu, quòd seclusô privilegiô, omnes Adami posteri à primo conceptionis instanti eo inquinentur, & cum eo nascantur; quia, Adamo peccante, omnes ejus posteri secundùm mo-

 ralem

ralem æstimationem peccârunt eodem actu illo, quo peccavit cùm ejus voluntas esset secundùm moralē æstimationē voluntas omniū ejus posterorum ab eo per viam naturalem descensurorum. Ac proindè peccato illo omnes Adami posteri, ubi primùm possunt, hoc est, à primo instanti conceptionis suæ inquinantur, & eo inquinati nascuntur, nisi quis eorum speciali privilegiô per gratiam sanctificantem præservetur, quod semper subintelligi debet. Quare peccatum originale non Deo, sed Adamo, tanquam au-
56 ctori, adscribendum est.

Ob. 7mo. Peccatum ab Adamo commissum, comedendo fructum vetitum, fuit ei condonatum, antequam filios gigneret. Ergo transfundi non potest in posteros.

Resp. Dist. ant. Fuit condonatum Adamo, quatenùs erat peccatum ipsius, conc. Quatenùs erat peccatum posterorum ejus. neg. ant. Peccatum illud condonari potuit, ut erat peccatum Adami, quamvis non condonaretur, ut erat peccatum posterorum ejus: sicut nunc condonari potest, & re ipsa condonatur, prout est peccatum unius hominis, licèt non condonetur, prout est peccatum alterius. Ratio est, quia peccatum illud, quod Adamus, ut caput morale generis humani, commisit, ita fuit unicum physicè, ut fuerit moraliter & æquivalenter multiplex, & totuplex, quot erant homines ab Adamo per generationem naturalem descensuri; siquidem ii omnes, Adamo peccante, secundùm moralem æstimationem singuli peccârunt, & peccatum contrahunt ipso animationis instanti; nisi quis eorum speciali privilegiô ab eo per gratiam sanctificantem præservetur.

57 Ob. 8vo. Posteri Adami non potuerunt verè ac propriè peccare in Adamo peccante. Ergo.

Resp. neg. ant. Itaque omnes posteri Adami, per viam naturalem ab eo descendentes, verè ac propriè peccârunt in ipso violante præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali: nam id expressè significatur his verbis Apostoli, Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt.* Et cap. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* Omnes igitur etiam infantes peccaverunt, & egent Christo Redemptore. Ratio est, quia voluntas ac libertas Adami relatè ad violationem sicut & ad observationem præcepti de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali fuit secundùm moralem æstimationem voluntas ac libertas omnium hominum ab eo per naturalem generationem descensurorum. Undè, Adamo hoc præceptum violante, omnes ejus posteri secundùm moralem æstimationem illud violârunt, sicque verè ac propriè peccaverunt in primo parente, ut capite morali, & persona illos repræsentante (*b*). Dicimus, *omnes ejus posteros in Adamo, ut morali eorum capite, peccasse*; non enim in eo peccaverunt, ut in capite physico eorum seu generis humani, quatenùs scilicet præcisè ab eo per viam naturalem descensuri erant: alioqui enim peccassent omnibus ejus peccatis etiam venialibus, cùm non esset potior ratio pro uno Adami peccato, quàm pro aliis. Igitur omnes in Adamo peccante peccaverunt, quia in eo continebantur ut in capite morali & persona illos repræsentante vi decreti divini quoad violationem & observationem solius præcepti de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali.

Inst.

(*b*) Ita S. Augustinus pluribus in locis, & præsertim, lib. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 7.

58 Inst. 1mo. Gratis dicitur voluntas ac libertas Adami fuisse voluntas moraliter propria posterorum ejus. Ergo.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia Deus in ordine ad observationem & violationem præcepti de non comedendo certo fructu inclusit in voluntate Adami voluntates posterorum ejus, qui ab eo per generationem naturalem descensuri erant: ita ut si præceptum observaret, censerentur ipsi observare; si verò violaret, censerentur violare. Deus autem id justè potuit: nam si Principes justè possunt includere voluntates subditorum suorum in voluntate unius in ordine ad aliquos actus & effectus morales jurisdictionem suam non excedentes, ut patet in pupillis, quorum voluntas in tutorum voluntate jure civili inclusa est in ordine ad certos effectus. A fortiori Deus, qui supremum & illimitatum in res omnes dominium habet, potuit in voluntate Adami includere voluntates posterorum ejus in ordine ad quoslibet effectus, ac proinde in ordine ad observationem & transgressionem præcepti de non comedendo fructu.

59 Inst. 2do. Gratis dicitur Deus inclusisse in voluntate Adami voluntates posterorum ejus in ordine ad observationem & violationem præcepti de non comedendo fructu. Ergo.

Resp. neg. ant. Nam hoc ipso inclusit, quod absolutè & efficaciter voluit, ut Adamus posteros suos relatè ad tale præceptum apud se repræsentaret, ut, sive observaret, sive violaret, nomine omnium & pro omnibus observare vel violare censeretur, & verè per eum posteri ejus illud observare, vel violare censerentur. Deus autem hoc voluisse, sufficienter nobis declaravit hoc ipso, quòd revelavit in Adamo peccante omnes ejus posteros peccasse; siquidem aliter explicari ac intelligi nequit revelata hæc veritas.

Inst. 3tio. Si Deus inclusit in voluntate Adami voluntates posterorum ejus, id fecit dependenter à consensu Adami. Falsum cons. Ergo. 60

Resp. neg. sequel. maj. Itaque Deus independenter à consensu Adami voluit, ut ipse esset caput morale generis humani, & omnes ejus posteros apud se repræsentaret relatè ad præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Nam hic modus volendi magis decet supremam Dei majestatem, & supremum ejus in omnes creaturas dominium. Porrò quamvis ad hujus divini decreti efficaciam necessarium non fuerit, ut Adamo innotesceret, cùm Deus ratione supremi sui in omnes creaturas dominii potuerit in voluntate Adami etiam nescientis & renitentis posterorum voluntates includere: re ipsa tamen videtur Deus hanc suam voluntatem Adamo revelasse, quo efficaciùs ad observandum præceptum excitaretur, eamque significasse his verbis, Genes. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: quibus Adamo & posteris ejus tùm animæ tùm corporis mortem intentavit.

Inst. 4to. Si ita est, peccatum originale meritò imputabitur Deo ut auctori. Atqui &c. Ergo &c. 61

Resp. neg. maj. Quia Deus in Adami voluntate voluntates posterorum ejus non inclusit ea intentione, ut eo peccante peccarent, sed ex sincera voluntate, ut Adamus non solùm pro se, sed etiam pro posteris præceptum observans, illis mereretur justitiam originalem.

Inst. 5to. Deus injustè inclusit in voluntate Adami voluntates posterorum. Ergo. 62

Resp.

Resp. neg. ant. Nam cùm Deus supremum habeat in omnes creaturas dominium, potuit justissimè omnium hominum voluntates includere in voluntate unius relatè ad actum, à quo pendere volebat justitiæ originalis transfusionem. Nam injustum non est, ut unius, qui sit aliorum caput morale, culpa etiam aliis tribuatur relatè tùm ad carentiam bonorum aliàs indebitorum, quæ fuerant præparata in alio cum conditione, ut ille alius non peccaret: tùm etiam ad alios effectus morales. Et verò si inter homines non est iniquum, ut bonum vel malum, virtus vel culpa unius ad alios, quibuscum conjunctus est, quodam modo pertineat relatè ad honores, beneficia, privilegia, vel relatè ad infamiam, privationem bonorum, exilium, pericula, & alios effectus morales: à fortiori non est iniquum, ut, &c.

63 Inst. 6to. Deus Adami peccatum prævidens, non debebat illum constituere caput morale posterorum. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Nam ejus & totius posteritatis lapsum justô, licèt occultô, judiciô permittere potuit & voluit, ut ex hoc malo majus bonum eliceret, & ex ejus occasione plures perfectiones suas illustriùs commendaret.

64 Inst. 7mo. Saltem hæc inclusio non decebat bonitatem Dei. Ergo.

Resp. neg. ant. Nam id per se & ex intentione Dei hominibus maximè erat utile: per hoc enim instituebat viam facilem, ut omnes homines justitiâ originali donarentur, eorum voluntates in voluntate unius, quem maximis donis cumulaverat, includendo relatè ad præceptum observatu tam facile, & ad quod implendum maximis auxiliis eum præmunivit, adjuvitque propositô tantò sibi & posteris suis obedientiæ præmiô. Quod si in Adamo peccârunt omnes posteri, id non evenit ex intentione Dei, qui hoc peccatum duntaxat permisit.

Inst. 8vo. Ergo Deus iniit pactum aliquod cum Adamo & ejus posteris. Ergo. 65

Resp. Deus non necessariò iniit pactum propriè & strictè dictum, quod consistit in consensu duorum vel plurium in idem. Nam independenter à consensu Adami & posterorum ejus includere potuit voluntates omnium hominum in ejus voluntate. Undè sufficere poterat pactum quoddam virtuale, consistens in voluntate efficaci Dei, æquivalente pacto propriè dicto, qua independenter à consensu Adami absolutè & efficaciter vellet, ut Adamus esset caput morale posterorum suorum, eosque repræsentaret in observatione vel violatione præcepti de non comedendo fructu, ea lege, ut, ipso præceptum observante, infunderetur illis justitia originalis propter observationem præcepti, quæ secundùm moralem æstimationem esset illorum: eo verò præceptum violante, omnes censerentur illud violare, & ideò conciperentur sine justitia originali, & obnoxii odio Dei, ac damnationi æternæ propter transgressionem primi parentis, quæ secundùm moralem æstimationem esset illorum transgressio. De hoc pacto virtuali intelligi debet S. Augustinus, lib. 16. de Civ. c. 27. in hæc verba Genes. 17. *Pactum meum irritum fecit.* Ubi ait: *omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt.*

Inst. 9no. Ergo Christus debuit contrahere peccatum originale, nam est ex Adami posteris. Atqui &c. Ergo &c. 66

Resp. neg. maj. & ejus sequel. Quia Christus non descendit ex Adamo per generationem naturalem, quemadmodum cæteri homines, adeoque non eadem ratione

tione, ac illi, est ex Adæ posteris; sed supernaturali Sancti Spiritus operatione conceptus est. At ii soli peccatum originale contrahunt, qui ab Adamo, non qualicumque modo, sed per generationem naturalem descendunt, ut constat ex Concilio Tridentino Sess. 6. c. 3. ubi ait: *homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti.* Ratio est, quia illorum duntaxat, non aliorum voluntates in Adami voluntate inclusæ erant.

67 Ob. 9no. Non nascimur ex Adamo secundùm animam, cui peccatum inest. Ergo ab eo non contrahimus peccatum.

Resp. neg. cons. Nam ad peccatum illud contrahendum sufficit, quòd homo, cujus pars est anima, oriatur ab Adamo. Nam Deus voluit, ut voluntates omnium hominum, qui ex Adamo per viam generationis orirentur, includerentur in voluntate Adami tanquam capitis moralis generis humani in ordine ad observationem vel violationem præcepti de non comedendo certo fructu.

68 Ob. 10mo. Quidquid sit de Dei omnipotentia, ejusque supremo in omnes creaturas dominio; tamen non potest facere, quod repugnat. Atqui repugnat actionem ab alio elicitam sine meo consensu, quin & invincibiliter me ignorante, ex dispositione Dei ita esse in me voluntariam, ut ex ea sim vel laudandus & præmiô donandus, si bona sit; vel vituperandus & damnandus, si mala. 1mo. Quia voluntarium definitur *id, quod fit à principio interno cognoscente singula, in quibus est actio.* Hinc actio alterius, quam non approbo, non est voluntaria respectu mei, quia est à principio mihi extraneo. Similiter, quod facio per ignorantiam invincibilem, non est in me voluntarium, multò minùs quod fit ab alio, me prorsùs ignorante. 2do. Quid absurdius, magisque repugnans fingi possit, quàm me ideò vituperandum, & damnandum esse propter blasphemiam hominis apud Indos constituti; quia Deus pro suo supremo in omnium voluntates dominio, meam in illo homine reposuit, me non consentiente & ignorante? Ergo.

Resp. His Objectionibus jam passim occurrimus; & certè si nulla esset difficultas in explicando peccato originali, traductio ejus non esset mysterium, nec fide indigeremus ad illud credendum. Hîc ergo sicut in aliis mysteriis, agnoscenda est imbecillitas ingenii humani, exclamandumque cum Apostolo Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Nimirùm ut rationem reddat eorum omnium, quæ infinita sapientia sua profert de thesauris suis.

Porrò argumenta in Objectione adducta concludunt duntaxat pro peccato personali, non pro peccato naturæ, quale est peccatum originale. Equidem ad peccatum personale requiritur usus & libertas propriæ voluntatis: sed ad peccatum naturæ, sufficit voluntas naturæ, seu capitis in quo erat natura. Ita S. Thomas in 2. dist. 30. q. 1 a. 2. ubi sic scribit: *Oportet quòd secundùm hoc, quòd aliquid rationem habet culpa, secundùm hoc ratio voluntarii reperiatur. Sicut autem est quoddam bonum, quod respicit naturam, & quoddam quod respicit personam; ita etiam est quædam culpa naturæ, & quædam personæ. Undè ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, sicut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur: ad culpam verò naturæ non requiritur, nisi voluntas in natura illa,*

Juxta quam doctrinam, & conformiter ad jam passim dicta in forma ad Objectionem Dist. min. Repugnat actionem ab alio elicitam sine meo consensu, esse in me voluntariam voluntate personali; conc. voluntate naturæ, neg. min. Quid enim repugnat naturam in capite peccatrice n, ideoque vituperabilem spoliari donis supernaturalibus, vulnerari in naturalibus, quatenùs nempè propter peccatum originale appetitus sensitivus, & inferiores potentiæ finuntur acriùs impetere rationem, quàm si homo in puris naturalibus conditus fuisset? Quòd si cui durum nimis videatur, propter hujusmodi peccatum naturæ homines æterno igne cruciandos esse, responsio est in promptu, quòd id fides à nobis non exigat, liceatque unicuique credere cum pluribus Catholicis, parvulos propter peccatum originale privandos duntaxat æterna beatitudine; sed de pœnis peccati originalis infrà agemus, scilicet Cap. 5tô.

Caput II.

Quid sit peccatum originale, & in quo consistat.

69 Ex dictis Cap. præcedenti habetur Peccatum originale esse peccatum ab Adamo ut morali totius humani generis capite esu fructûs arboris scientiæ boni & mali vetito commissum, & per generationem transfusum in omnes ejus posteros, qui via naturali ab eo descendunt, nisi quis eorum speciali Dei privilegiô ab eo sit immunis. Originale dicitur, quia posteros Adami, seclusô speciali privilegiô, ab origine, hoc est, à primo animationis instanti maculat, & peccatores efficit, hoc est, Deo odibiles, & obnoxios æternæ damnationi, tanquam reos culpæ mortalis, quam, peccante primo parente, secundùm moralem æstimationem commiserunt.

Quando igitur hîc quærimus, quid sit peccatum originale, in id duntaxat investigamus, in quo scilicet præcisè consistat, & quodnam sit illius constitutivum? seu quænam illius essentia? Qua de re, inquit S. Augustinus lib. de mor. Eccles. c. 22. Equidem *hoc peccatô antiquô nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Hinc nascitur opinionum diversitas circa essentiam peccati originalis; nam ex Tertulliano varietas opinionum venit ex ignorantia veritatis. Certè ultrò profiteri nos non pudet, nonnisi fidei divinæ adminiculô intelligi posse labis originalis existentiam, proindè etiam indubitanter fatemur imperviam nobis esse illius naturam seu essentiam; cùm de illa sileant Scripturæ, sileat & Apostolica traditio. Ideoque libenter de hac quæstione taceremus, aut obiter duntaxat de ea ageremus, nisi Acatholici, qui hîc, sicut & circa multa alia Doctrinæ Christianæ capita, in immensum aberrare videntur, nobis essent refutandi. Igitur 1mo. eorum errores circa essentiam peccati originalis referendi & eliminandi sunt; Quid de ea sentiant Catholici, & quomodò in promendis opinionibus inter se se varient, posteà exponendum. 70

§. I.

Quid de essentia peccati originalis sentiant Acatholici.

Ex Acatholicis Matthias Illyricus Lutheranus, & non ultimus ex Centuriatoribus Magdeburgensibus, in libello de justitia originali docuit, peccatum originale esse quandam malam substantiam, 71
in

in quam, per primi parentis inobedientiam, anima posterorum illius immutata fuit; ita ut ex substantiali imagine Dei, facta fuerit substantialis imago Diaboli. Cæteri verò Lutherani & Calvinistæ docent communiter, peccatum originale per se & ex natura sua esse naturæ corruptionem, consistentem in ignorantia, difficultate ad bonum, & præsertim in concupiscentia seu propensione ad bona sensibilia contra rectam rationem, qualis etiam reperitur in baptizatis & justificatis, licèt credentibus non imputetur ad damnationem. Contra quos sit

CONCLUSIO I.

72 Peccatum originale non est substantia quædam à Diabolo producta &c.

Prob. 1mo. ex S. Scriptura, Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt* (id est, per Verbum) *& sine ipso factum est nihil.* Ergo nulla datur substantia, nisi sit à Deo. Ergo peccatum originale non est substantia; alioqui esset à Deo, quod dicere impium & blasphemum est.

Prob. 2do. Ex S. Augustino Concione 1. in Psal. 68. ubi sic ait: *Quia per iniquitatem homo lapsus est à substantia, in qua factus est* (*iniquitas quippe ipsa non est substantia; non enim iniquitas est natura, quam formavit Deus: sed iniquitas est perversitas, quam fecit homo*) *venit Filius Dei ad limum profundi, & non est substantia: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: Naturæ omnes per ipsum factæ sunt, iniquitas per ipsum facta non est; quia iniquitas facta non est.*

Prob. 3tio. Quia illa impia sententia olim damnata est ab Ecclesia in Manichæis, qui teste S. Augustino volebant malum esse aliquam substantiam naturæ nostræ admixtam.

Prob. 4to. Ratione. 1mo. Quia peccatum reduplicativè prout est peccatum, non est ens, sed debitæ rectitudinis privatio: hoc principiô usus est S. Augustinus contra Manichæos agens, ut probaret, non existere primum aliquod substantiale principium nequam, ex quo mala omnia nascerentur. 2do. Quia indè sequeretur, peccatum originale non auferri per Baptismum, cùm in illo nulla auferatur forma substantialis. 3tio. Matthias Illyricus falsò supponit, animam substantialiter per primi parentis peccatum immutatam fuisse: scilicet, mutatio in substantia spirituali fieri potest tantùm per mutationem voluntatis aut intellectûs: at illa mutatio non potest substantialiter animam immutare; siquidem non mutatur voluntas nisi per mutationem affectuum, nec intellectus nisi per substractionem, aut augmentum luminis: sed nec affectuum mutatio, nec substractio luminis possunt substantialiter animam immutare: sunt enim variæ modificationes, quæ substantiæ in suo esse physico remanenti de novo accidunt; Ergo &c.

CONCLUSIO II.

Concupiscentia non est per se & ex natura sua peccatum originale. 73

Prob. 1mo. ex S. Scriptura. Rom. 8. *Nihil ergo*, inquit Apostolus, *damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Et c. 6. *Qui mortui sumus peccato, quomodo vivemus in illo?* Item 1. Joan. 1. *Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato.* Quæ omnia falsa essent, si concupiscentia esset per se & formaliter peccatum originale, nam sic, quia ipsa remanet, etiam remaneret peccatum, & sic in nobis quidpiam damnationis esset, nec peccato mortui essemus, aut ab illo emundati, &c.

Nec dicant Adversarii, nihil esse damnationis in renatis, quia peccatum, quod ipsis inest, per justitiam Christi tegitur, nec imputatur. Nam Apostolus Coloss. 3. dicit nos exuere veterem hominem, & induere novum, *expoliantes vos*, inquit, *veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.*

Deinde c. 6. v. 2. & 4. Ep. ad Rom. confert renovationem, quæ fit in Baptismo cum resurrectione Christi, *Mortui sumus peccato*, inquit, *ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Atqui Christus resurgens corruptionem carnis & mortalitatem non texit per indumentum gloriæ, sed prorsùs deposuit. Ergo pariter in mente Apostoli ita Christum in Baptismo induimus, ut omnem prorsùs peccati maculam exuamus. Plura vide in Tract. de Gratia c. 4. de Gratia habituali seu sanctificante à num. 51. Tom. 2. Theol. nostræ.

74 Prob. 2do. Ex Concilio Tridentino Sess. 5. Can. 5. ubi sic definit: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema sit .... Manere autem in Baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit; quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet.... Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Prob. 3tio. Ex S. Augustino lib. 1. de nupt. & concupis. c. 23. ubi sic habet: 75
Nam ipsa quidem concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad opera illicita non consentitur, atque ut ea perpetrent à regina mente membra non dantur: ut si non fit, quod scriptum est, Non concupiscas, fiat saltem quod alibi legitur, Post concupiscentias tuas non eas. Sed quia modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod & peccatò factum est, & peccatum (si vicerit) *facit; reatus ejus valet in regenerato: quem reatum Christi gratia per remissionem omnium peccatorum in regenerato* (*si ad mala opera ei quodammodo jubenti non obediat*) *valere non finit. Sic autem vocatur peccatum, quia peccatò facta est, cùm jam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum* (*si vincit*) *facit, sicut vocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat.*

Et lib. 6. contra Julianum c. 16. ubi sic eum alloquitur: *Tu autem, qui putas, quòd si malum esset concupiscentia, careret eâ, qui baptizatur, multùm erras. Omni enim peccatò caret, non omni malò.* Et lib. 1. contra duas Ep. Pelagianorum c. 10. *Dicimus Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere.*

Prob. 4to. Ratione. Si concupiscentia esset per se & ex natura sua peccatum originale, cùm in renatis remaneat concupiscentia, tunc peccatum originale non deleretur per Baptismum. Consequens repugnat fidei: nam ùt dicit Apostolus locò citatô, *nihil damnatione* 76

ne dignum est in iis , qui per Baptismum regenerati sunt. &c. Ergo , &c.

Solvuntur Objectiones

77 Ob. 1mo. contra 1mam. Conclusionem. Peccatum originale hominem constituit Diaboli filium. Atqui homo non constituitur Diaboli filius , nisi per substantiam Diabolicæ similem : scilicet filius gerere debet substantialem patris similitudinem. Ergo , &c.

Resp. cum S. Augustino lib. contra Adimantum c. 5. aliquem tribus modis posse esse alterius filium : 1mo. quidem per naturam , sic Adamus est omnium hominum Pater : 2do. Per doctrinam ; eo sensu Apostolus Corinthios vocat filios suos : 3tio. Denique per imitationem , & in hoc ultimo sensu peccatum originale hominem constituit Diaboli filium ; juxta quem sensum distinguenda est Major propositio.

78 Ob. 2do. Sunt actus essentialiter mali & peccata formaliter , ut Blasphemia; qui secundùm esse materiale & physicum sunt à Deo , secundùm verò moralem inordinationem à mala voluntate. Ergo à pari , absque injuria creatoris potest dari aliqua substantia essentialiter mala, producta quidem à Deo , si spectetur ejus entitas physica , quia ut sic est creatura : producta verò à voluntate mala sive Dæmonis , sive primi parentis , si nempe ratio habeatur moralis inordinationis , quæ in ipsa inest.

Resp. 1mo. Retorq. Argum. contra Illyricum : Omnis actus inordinatus secundùm entitatem & physicè spectatus , est bonus. Ergo & omnis substantia. Ergo nulla est natura substantialiter mala , nec proinde peccatum formaliter.

Resp. 2do neg. conf. & parit. Inordinatio consequens naturam humanam in origine vitiatam est ipsamet concupiscentia , quæ, quatenùs legi & rationi repugnans , est mala ; sed ut sic non est substantia sed defectus , nec potest dici peccatum originale , nisi materialiter ; quia manet in renatis , in quibus deleta est macula peccati originalis.

Inst. Ex præcedentibus malis actibus generatur habitus erroris & vitii. Ergo & substantia mala. 79

Resp. neg. conf. & suppositum. Sanè quæstio est inter Philosophos , an habitus mali sint qualitates realiter distinctæ; plures negant , contenduntque esse meras modificationes. Dato tamen , quòd sint qualitates etiam realiter distinctæ , certè non sunt peccata formaliter , sed propensiones duntaxat ad peccatum , utpotè quæ aliquamdiu remaneant in homine à peccatis justificato : Quod autem sunt habitus vitiosi , idipsum est habitualis inordinatio concupiscentiæ , adeoque habitûs rationem habet , non substantiæ.

Ob. 3tio. Peccatum originale dicitur radix omnium peccatorum , corpus peccati , *Vetus homo noster* , inquit Apostolus Rom. 6. *simul crucifixus est , ut destruatur corpus peccati.* Atqui radix & corpus denotant substantiam. Ergo. 80

Resp. neg. min. Namque 1mo. Cupiditas, quæ sanè substantia non est, dicitur ab Apostolo 1. Tim. 6. *Radix omnium malorum.* 2do. Corpus peccati propriè est collectio plurium peccatorum, quæ destruitur per gratiæ adjectionem , non per substantiæ interitum , ut loquitur Tertullianus lib. de Resurrectione carnis c. 47. *Uti evacuatur corpus delinquentiæ per emendationem vitæ, non per interitum substantiæ.*

81 Ob. 4to. Quod est divinæ legi contrarium, illud est peccatum propriè dictum. Atqui natura humana per peccatum originale vitiata est legi contraria. Ergo est peccatum propriè dictum.

Resp. Dist. min. est contraria propter peccatum ipsi inhærens, conc. Est contraria per seipsam & propriam substantiam, neg. min. & cons. Solutio patet.

82 Ob. 5to. Imago Dei est substantia. Ergo & imago Diaboli. Atqui peccatum originale non est aliud quàm imago Diaboli. Ergo peccatum originale est substantia.

Resp. neg. cons. & parit. Ratio disparitatis est; quia imago Dei in homine est vis illius intellectiva: homo enim est imago Dei in quantùm est substantia intellectu & voluntate prædita: è contrà verò imago Diaboli aliud non est, quàm inordinatio voluntatis, hoc est, conversio ad bonum commutabile, & aversio à bono incommutabili*: illa autem conversio, illa aversio non sunt substantia aliqua de novo producta, sed accidentales tantùm animæ modificationes seu qualitates.

83 Inst. Atqui natura humana creata fuit imago Dei. Sed peccatum originale destruxit hanc Dei imaginem. Ergo &c.

Resp. dist. min. Destruxit imaginem Dei accidentalem, quæ consistit in donis supernaturalibus, conc. Imaginem substantialem, quæ consistit in anima rationali, quæ spiritalis est, intellectu & voluntate prædita, ut diximus, sicut & ipse Deus, neg. min.

Solvuntur Objectiones

Contra secundam Conclusionem.

Ob. 1mo. Concupiscentia prohibetur hac lege, *Non concupisces.* Ergo est peccatum. 84

Resp. neg. ant. Nam non prohibetur id, quod non possumus vitare, nec est in nostra potestate, ut eo careamus. Sed per hanc legem prohibetur liber consensus motibus inordinatis concupiscentiæ, & quodlibet malum desiderium. *Frustrà dictum est, post concupiscentias tuas non eas, si jam quisque reus est, quòd tumultuantes & ad mala trahere nitentes sentit eas*, inquit S. Augustinus lib. 5. cont. Julian. c. 3.

Inst. Id quod per se impellit ad peccatum; prohibetur eodem præcepto, quo prohibetur peccatum. Atqui concupiscentia per se impellit ad peccatum. Ergo prohibetur eodem præcepto, quo prohibetur peccatum. 85

Resp. Dist. maj. Si illud, quod ad peccatum impellit, sit in nostra potestate, ita ut possimus pro nostro arbitrio illud assumere vel rejicere, conc. Si non sit in nostra potestate, ita ut illo carere non possimus, quantumvis id velimus, neg. maj. Concupiscentia autem seu pronitas ad malum, quacum nascimur, non est in nostra potestate; & velimus, nolimus, illâ carere non possumus; nam etiam inviti experimur motus inordinatos ad peccatum nos impellentes.

Ob. 2do. Concupiscentia ab Apostolo Rom. 7. vocatur peccatũ. *Jam non ego* inquit, *operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, id est, concupiscentia; Ergo &c. 86

Resp. Dist. ant. Vocatur peccatum metaphoricè tantùm & impropriè, conc.

Verè

Verè & propriè, neg. ant. Concupiscentia ab Apostolo impropriè duntaxat & metaphoricè vocatur peccatum, quia nempè est à peccato Adami, quod moraliter nostrum est, & ad peccatum inclinat: sicque est effectus peccati, & simul causa impulsiva peccati. Sæpè autem in Scriptura nomen effectus pro causa & vicissim ponitur per metonymiam(*i*).

87 Ob. 3tio. Debemus odisse concupiscentiam, nec possumus eam expetere propter bonum aliquem finem. Atqui solum peccatum tenemur odisse, nec illud expetere possumus etiam propter bonum finem aliquem. Ergo concupiscentia est peccatum.

Resp. neg. min. Quia licèt concupiscentia propriè peccatum non sit; tamen tenemur illam odisse, nec illam expetere possumus, quia est languor animæ, & aliquid inordinatum, atque ad peccatum allicit, & inducit.

88 Ob. 4to. Concupiscentia est difformis legi mentis, cui repugnat. Ergo &c.

Resp. Dist. ant. Est difformis & repugnat legi mentis, prout est impulsio ad malum, quæ non est culpabilis, quandiu non est voluntaria, conc. prout peccatum propriè dictum seu culpa esse fingitur, neg. ant. Concupiscentia licèt sit affectus inordinatus non est peccatum, nisi in quantùm est libera & voluntaria, liberumque malum desiderium.

89 Ob. 5to. Deus omnia fecit præter peccatum. Atqui non fecit concupiscentiam. Ergo &c.

Resp. Dist. min. Deus non fecit concupiscentiam positivè, quatenus nempè non fuit auctor peccati, cujus concupiscentia est effectus, conc. Non fecit quasi negativè, nempe hoc sensu, quòd propter peccatum hominem spoliaverit justitiâ originali, qua caro Spiritui perfectè subjiciebatur, & in homine sic spoliato rebellavit caro adversùs Spiritum, neg. min. Hîc nobis duntaxat sermo est de concupiscentia, prout est propensio inordinata & contra rectam rationem in bonum sensibile. Nam concupiscentia, prout est propensio ad bonum sensibile, quatenus conveniens naturæ rationali & honestum, est à Deo, necnon ab eo diligitur; ut sic enim est bonum quoddam naturale, & consentaneum naturæ rationali, atque etiamnum Adamo in statu innocentiæ competebat.

Ob. 6to. Christus concupiscentiam non assumpsit, non nisi, quia peccatum est. Ergo &c. 90

Resp. neg. seq. ant. Non quasi concupiscentia peccatum esset, Christus eam non assumpsit, sed ideò, quia repugnabat plenitudini gratiarum, ac donorum, quæ ei debebatur, & ad redemptionem nostram per se nihil proderat; sed potiùs oberat. Sic idem Christus non assumpsit ignorantiam, quamvis non sit peccatum, quamdiu est involuntaria.

Ob. 7mo. S. Augustinus docet concupiscentiam in non regeneratis habere reatum, quo reum facit hominem, & debitorem æterni supplicii. *Nos eam* (concupiscentiam) *malam dicimus*, inquit, *& manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipsa erat rea, neque enim aliqua persona est; sed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remissus atque vacuatus.* Et lib. 1. de nuptiis c. 32. *Hæc itaque remissio peccatorum, quam-* 91

(*i*) *Metonymia* figura Rhetorices, qua unum pro alio ponitur, v. g. causa pro effectu, & vicissim.

quandiu non sit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illa sit, qui eum teneat æterni supplicii debitorem. Ergo ex S. Augustino concupiscentia ante baptismum est peccatum; consequenter etiam post Baptismum, cùm eadem omninò maneat quoad substantiam post Baptismum.

Resp. Dist. ant. S. Augustinus docet concupiscentiam in non regeneratis habere reatum, &c. & qui ab ipsa oritur & in ipsa fundatur; ita ut, qui eam habet, reus sit, & æterni supplicii debitor, præcisè quia eam habet, neg. ant. Et qui non ab ipsa oritur, neque in ipsa fundatur, sed in quo ipsa facta est, & à quo separari potest; ita ut, ipsa permanente, tolli possit ille reatus, conc. ant. & Dist. 1. cons. Ergo ex S. Augustino, concupiscentia ante Baptismum peccatum est per reatum, qui ab ipsa oritur, & in ipsa fundatur, neg 1. cons. Per reatum, qui ab ipsa non oritur, nec in ipsa fundatur, sed quo facta est, & à quo separari, ac sine quo existere potest, necnon post Baptismum etiamnum existit, conc. 1. cons. & neg. adam. consequentiam.

92 Inst. 1mo. S. Augustinus docet concupiscentiam ante Baptismum imputari in peccatum; ut patet ex loco primùm adducto. Ergo ex S. Augustino, ante Baptismum re vera peccatum est.

Resp. Dist. ant. S. Augustinus docet concupiscentiam ante Baptismum imputari in peccatum per se & ratione sui præcisè, neg. Imputari in peccatum ratione alterius, nempe reatûs, quo facta est, & quocum ante Baptismum conjuncta est, conc. ant. & dist. cons. Ergo ex S. Augustino, concupiscentia ante Baptismum re vera peccatum est per se & ratione sui præcisè, neg. Ratione alterius, nempè ratione reatûs, quo facta est, & quocum conjuncta est ante Baptismum, conc. cons.

Inst. 2do. S. Augustinus docet remitti concupiscentiam per Baptismum; nonnisi quia peccatum est ante Baptismum: *Hæc concupiscentia*, inquit lib. 1. de nupt. cap. 23. *quæ solo Sacramento regenerationis expiatur, profectò peccati vinculum trajicit in posteros, nisi ab illo & ipsi regeneratione solvantur.* Ergo, &c. 93

Resp. Dist. ant. S. Augustinus docet concupiscentiam remitti in Baptismo per condonationem reatûs, qui ex ipsa oritur, & in ipsa fundatur, neg. Per condonationem reatûs, quo facta est, & sine quo esse potest, conc. ant. Igitur juxta mentem S. Augustini concupiscentia remittitur in Baptismo quoad imputabilitatem scilicet, quatenùs per Baptismum desinit esse imputabilis ad vituperium & pœnam æternam, & reddere hominem Deo odiosum. Desinit autem per Baptismum esse imputabilis ad vituperium & pœnam, & reddere hominem Deo odiosum, quatenus per Baptismum tollitur reatus, quo facta est, id est, quatenùs per Baptismum remittitur homini culpa, cujus concupiscentia est effectus & pœna, & quæ culpa in homine tamdiu perseverat moraliter, quandiu per Baptismum non condonatur, id est, quandiu homini jus Deus non relaxat, eum justificando per Sacramentum regenerationis, quod habet ad odiendum & puniendum eum pœnâ æternâ.

Inst. 3tio. S. Augustinus concupiscentiam etiam post Baptismum vocat peccatum. Ergo &c. 94

Resp. Dist. ant. vocat concupiscentiam peccatum verè, propriè & formaliter, neg. impropriè duntaxat & metapho-

phoricè, conc. ant. S. Augustinus ideò concupiscentiam in renatis vocat peccatum, quia nempè est pœna peccati in Adamo commissi, & causa impulsiva peccatorum personalium, cùm extorquet consensum. Hæc omnia patent ex laudato cap. 23. lib. 1. *de nupt. & concupisc* (*k*).

Igitur secundùm S. Augustinum concupiscentia non est peccatum per se & ratione sui; quia propensionem habitualem ad malum habere præcisè, & sublatâ omni culpâ, cujus sit effectus, non est aliquid homini imputabile ad vituperium, odium Dei, & pœnam: sed est tantùm peccatum ratione alterius, nempe peccati à nobis voluntate Adami, quæ moraliter nostra erat admissi, & idcircò nobis à primo instanti conceptionis proprii & intrinseci moraliter: nam sumus digni odiô Dei, & pœnâ æternâ, eò quòd nostrâ gravi culpâ, quandiu scilicet ea non remittitur, habeamus propensionem habitualem ad malum. Hinc ex S. Doctore concupiscentia, quæ per se & ratione sui est duntaxat malum, languor, infirmitas, impulsio ad peccatum, est in nobis peccatum, quandiu nobis non remittitur peccatum voluntate Adami à nobis commissum, quo ipsa procurata est, & quo moraliter constituitur in esse peccati; quia concupiscentia ad vituperium, odium Dei, & pœnam æternam tandiu jure nobis imputatur à Deo, quandiu in nobis moraliter permanet gravis culpa, cujus est effectus. Sed hac gravi culpâ per Baptismum condonata, concupiscentia jam solam rationem mali, languoris, & infirmitatis habet, non peccati, quamvis eadem omninò quoad substantiam remaneat; quia per condonationem illam sublata est ejus imputabilitas ad vituperium, odium Dei, & pœnam æternam.

§. II.

Exponuntur opiniones Theologorum Catholicorum circa essentiam peccati originalis.

Catholici explosis Acatholicorum erroneis circa essentiam peccati originalis opinionibus, ipsimet de ea inter se se non conveniunt, sed in varias abeunt sententias; quas exposuisse sufficiet; cùm enim, ut initiô præsentis Capitis jam monuimus, imperviam nobis esse peccati originalis naturam & essentiam ultrò fateamur; neque, in quo ea consistat, vel earum opinionum ulla satis clarè definire nobis videatur, temerè quodammodò agere meritò videremur, si uni præ alia manus dare, magis verò, si eas probare, quæ modò communi Theologorum censurâ velut erroneæ minusque solidæ rejiciuntur, in animum induceremus. 95

Porrò Quatuor præcipuè numerantur. Prima est eorum, qui reponunt peccatum originale in morbida quadam qualitate, quæ ex carne per peccatum infecta derivatur in animam. Verùm hæc opinio ab aliis rejicitur, quòd illa morbida qualitas prorsus fictitia & impossibilis sit; vel enim, inquiunt, naturaliter produceretur ex actuali Adæ peccato, vel supernaturaliter: non naturaliter; nihil enim speciale habuit prævaricatio Adami, quod non habeant cæteræ prævaricationes. Atqui aliæ prævaricationes, putà homicidia, adulteria, non producunt qualitatem morbidam in corpore peccantis, quæ transeat ad ejus posteros. Ergo neque prævaricatio Adami. Non supernaturaliter; quia si supernaturaliter à Deo produceretur, Deus esset auctor peccati, quod impium est dicere.

(*k*) Suprà Conclus. 2dâ. Prob. 3tiâ.

95 Secunda est eorum, qui definiunt peccatum originale esse denominationem extrinsecam petitam ab actuali prævaricatione Adami, in quo omnes eramus. Suamque opinionem fulcire satagunt auctoritate Apostoli qui scribens ad Romanos asserit 1mo. Omnes peccasse uno Adami peccato. 2do. Judicium esse ex uno delicto in condemnationem. 3tio. Per unius hominis inobedientiam, & per unius delictum peccatores constitutos esse multos. Quæ loquendi formulæ significare videntur, unum in individuo esse peccatum Adami & posterorum ejus, quibus per modum denominationis extrinsecæ duntaxat inhæret.

Verùm rejicitur communiter hæc opinio velut erronea, & in fide periculosa, quin & à quibusdam tanquam hæretica. Nam 1mo. adversatur S. Scripturæ. *Per unum hominem*, ait Apostolus Rom. 5. *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Atqui peccatum actuale Adami, cùm fuerit actus immanens non intravit in mundum. Ergo præter peccatum actuale Adami, datur aliquid intrinsecum ad posteros ejus transiens. Deinde Apostolus ibidem docet, peccatum, sicut mortem, in omnes transisse. Ergo sicut mors est in unoquoque, ita & peccatum; neque enim quis potest magis dici peccator peccatô alterius, quàm mortalis alterius mortalitate. Denique Apostolus eo loci comparat peccatum, quod trahimus ex Adamo, cum justitia, quam haurimus ex Christo. Atqui illa justitia non est formaliter ipsa Christi justitia, à qua extrinsecè justi denominemur, sed est justitia intrinsecè nobis inhærens. Ergo peccatum originale non est actuale Adami peccatum, à quo parvuli formaliter denominantur peccatores.

2do. Est contraria Concilio Tridentino, quod Sess. 5. Can. 3. sic definit: *Siquis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest, unicuique proprium..* Atqui ipsum actuale Adami peccatum non est unicuique proprium. Eadem Sacra Synodus ibid. can. 4. definit, *parvulos in remissionem peccatorum baptizari, ut in eis regeneratione mundetur, quod ex generatione contraxerunt.* Ergo in parvulis non est sola denominatio extrinseca petita ex præterito Adami peccato, sed verum aliquod & reale peccatum.

Eæ loquendi formulæ, quas in suæ opinionis patrocinium adducunt memorati Theologi, non significant ipsummet actuale Adami peccatum, esse formaliter ipsum posterorum ejus peccatum, sed Adami peccatum actuale esse duntaxat causam peccati originalis, quod singulis illius posteris inhæret, estque illis proprium.

Quamvis, ut dictum, hæc opinio communiter velut erronea, &, si non hæretica, saltem in fide periculosa rejiciatur; tamen benignam interpretationem suscipere potest hoc sensu, quòd illi auctores docuerint, peccatum originale ita esse denominationem extrinsecam à peccato actuali Adami petitam, ut non negaverint indè consecutam maculam habitualem, quæ in unoquoque inest, nisi renascatur in Christo.

Tertia est plurium Theologorum, & maximè Thomistarum, qui docent peccatum originale materialiter esse concupiscentiam habitualem seu inordinatam ad sensibiles & carnis voluptates propensionem & pronitatem; formaliter verò defectum justitiæ originalis. In quam sententiam inclinare videtur S. Thomas, 1. 2. q. 82. a. 3. 97

Sed contra hanc sententiam aliis videtur facere, 1mo. quia concupiscentia

in

in omnium sententia est pœna peccati originalis. Atqui omnis pœna præsupponit peccatum, & est quid ad illud consequens. 2do. Quia concupiscentia, ex Concilio Tridentino', manet in renatis, nec per Baptismum tollitur. Atqui, ex eodem Concilio, per Baptismum tollitur omne, quod habet rationem peccati. Ergo concupiscentia non habet rationem peccati, nec propriè est essentialis ejus materia.

98 Quarta denique sententia in Scholis admodùm communis, statuit peccatum originale materialiter esse privationem justitiæ originalis seu gratiæ sanctificantis; formaliter verò esse ipsummet peccatum actuale, quod in Adamo & voluntate ipsius commisimus, quodque moraliter in unoquoque permanet, tanquam vera macula, donec Baptismô fuerit abstersa. Namque, inquiunt illi Theologi, peccatum originale est in posteris Adami per modum habitûs. Ergo de eo idem sentiendum, quod de peccato habituali. Atqui peccatum habituale, ut infrà dicetur, est privatio gratiæ sanctificantis propter actum malum, qui præcessit: *Homicidium*, inquit S. Augustinus, *transit actu, sed remanet reatu*, hoc est, licèt percussio injusta præterita sit, præsens tamen est illius macula, à qua percussor denominatur homicida & peccator; nec deleri potest nisi per infusionem gratiæ sanctificantis. Ergo similiter peccatum originale, cùm sit habituale, est privatio gratiæ sanctificantis propter actualem prævaricationem, cujus rea est posteritas Adami, in quo omnes unus homo erant, quæque in non renatis moraliter manet. Pressiùs dici potest in hac sententia peccatum originale esse privationem justitiæ originalis, quatenùs est aversio habitualis à Deo propter prævaricationem, quæ præcessit in Adamo.

Verùm quia S. Augustinus videtur constituisse partialiter peccatum originale in concupiscentia ut parte illius materiali; quidam Theologi propter auctoritatem hujus S. Doctoris, eam hîc addi posse arbitrantur ut imputabilem ad odium Dei & pœnam æternam per reatum à se ipsa distinctum, nempè per culpam à nobis in Adamo commissam: quia nempè illa concupiscentia est quædam deformitas, quæ nobis est culpabilis ratione peccati à nobis voluntate Adami commissi, & consequenter nobis imputabilis ad odium & pœnam. Undè tunc peccatum originale tria complectetur, seu tria habebit constitutiva, scilicet peccatum à nobis voluntate Adami commissum ut constitutivum formale, privationem justitiæ originalis seu gratiæ sanctificantis, & concupiscentiam ut constitutiva materialia. Sed tunc dici debet, quòd per Baptismum tollatur tota culpabilitas & imputabilitas concupiscentiæ, sicque per Baptismum concupiscentia non habeat ampliùs veram ac propriam peccati rationem. 99

Quamvis autem post Baptismum remaneat id, quod fuit pars materialis peccati originalis, tamen dici debet, quòd non remaneat pars materialis peccati originalis; quia concupiscentia jam non manet in ratione partis materialis peccati originalis. Nam concupiscentia ideò solùm ante Baptismum erat pars materialis peccati originalis, quia culpabilis erat & imputabilis ratione peccati Adami in nobis moraliter existentis: undè, remissô per Baptismum peccatô Adami nobis moraliter intrinsecô ac propriô, concupiscentia desinit esse culpabilis & imputabilis, ideoque desinit esse pars materialis peccati originalis. Enimverò cùm concupiscentia per se ac ratione suî non sit peccatum, nec habeat imputabilitatem, sed solùm ratione peccati

Adami in nobis moraliter existentis, donec condonetur, eo condonato concupiscentia non habet rationem peccati, nec ullam imputabilitatem.

Caput III.

Quomodò traducatur peccatum originale?

100 Jansenius lib. 1. de Statu naturæ lapsæ cap. 6. & multis sequentibus, negat peccatum originale traduci per generationem naturalem & seminalem propagationem, docetque unam causam, eamque physicam & necessariam transfusionis peccati originalis esse libidinem, seu parentum concupiscentiam in usu conjugii: merum autem commentum esse pactum illud sive virtuale, sive formale, quòd à multis Theologis dicitur initum fuisse à Deo cum Adamo, ut capite morali totius posteritatis suæ; atque in Ecclesia Dei incognitum fuisse ante Scholasticorum tempora. Hanc autem doctrinam Jansenius mutuatus est à Luthero in Psal. 51 & à Calvino lib. 1. Instit. cap. 1.

Catholici verò omnes tuentur peccatum originale traduci per generationem naturalem & seminalem propagationem; si fortè unum aut alterum excipias (*l*).

CONCLUSIO.

Peccatum originale non traducitur seu transfunditur per libidinem; sed per generationem naturalem.

Prob. 1mo. ex S. Scriptura. Rom. 5. *Per unum hominem*, inquit Apostolus jam aliàs relatus, *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Hoc est, omnes homines nascuntur peccatores & injusti, quia omnes secundùm moralem æstimationem peccaverunt in uno homine, nempe in Adamo, quando scilicet comedit fructum vetitum; adeoque causa mortis, cui obnoxium factum est genus humanum, est peccatum originale; originalis verò peccati causa fuit unus ille homo, qui fuit primus Adam. Ergo secundùm Apostolum causa transfusionis peccati originalis in Adami posteros non est libido, quacum concipiuntur; sed Adamus ipse, quatenùs scilicet relatè ad præceptum de non comedendo fructu fuit morale caput eorum, qui ab co per naturalem generationem descensuri erant; adeoque peccatum originale traducitur in posteros Adæ per generationem, & seminalem propagationem. Atque manifestè contradicunt Apostolo Lutherus, Calvinus, & Jansenius, cùm causam peccati originalis in parvulis constituunt in libidine, quacum generantur.

Prob. 2do. Ex Concilio Tridentino 101
Sess. 6. c. 1. ubi, *Sicut*, inquit, *re vera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cùm ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahunt.* Ergo, ex Concilio Tridentino, propagatione per ipsum Adamum, dum concipiuntur homines, injustitiam, ideoque peccatum originale contrahunt. Ergo

(*l*) Franciscus le Feu Tractatu de Peccatis, q. 3. a. 4. & Gaspar Juenin Oratorii Gallicani Presbyter Inst. Theologicarum Tom. 6. Dissert. 7. de peccato origin. Quæst. 3. tuentur cum Jansenio, Calvino & Luthero per concupiscentiam seu libidinem propagari & traduci peccatum originale. Ait non placet hæc opinio; nam sic facilè argui posset, concupiscentiam esse peccatum; quod tamen apertè falsum & erroneum est.

go peccatum originale ab hominibus contrahitur, ideoque in ipsos transfunditur propagatione per ipsum Adamum ex ejus semine, non verò per libidinem.

102 Prob. 3tio. Auctoritate S. Thomæ, qui 1. 2. q. 81. a. 4. *Peccatum originale*, inquit, *à primo parente traducitur in posteros, in quantùm moventur ab ipso per generationem, sicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale. Non autē est motio ad generationem, nisi per virtutem activam in generatione. Undè illi soli peccatum originale contrahunt, qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam, quod est secundùm seminalem rationem ab eo descendere; nam ratio seminalis nihil aliud est, quàm vis activa in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, manifestum est, quòd vis activa non derivaretur ab Adam; undè non contraheret peccatum originale; sicut nec actus manûs pertineret ad peccatum humanum, si manus non moveretur à voluntate hominis, sed ab aliquo extrinseco movente.* Hinc si Eva ex costa Adæ post ejus peccatum formata fuisset, peccatô originali non fuisset inquinata; quia non extitisset in Adam secundùm seminalem rationem. Ergo juxta S. Thomam peccatum originaliter traducitur per generationem naturalem & seminalem propagationem; non verò per libidinem.

103 Prob. 4to. Ratione. Si duo conjuges speciali Dei beneficiô generarent sine ardore libidinis, nihilominùs transfunderent in prolem peccatum originale; & è contrà si duo conjuges de novo crearentur, quamvis cum ardore libidinis generarent, proles tamen peccatum originale non contraheret, ut patet ex Concilio Tridentino loc. cit. Unde sic conficitur Argumentum. Per illud non traducitur peccatum originale, quo posito, potest non esse, & quo sublato potest esse peccatum originale. Atqui posito ardore libidinis in generatione, potest non esse; & sublato, potest esse peccatum originale. Nam in primo casu adhuc esset, & in secundo non esset. Ergo peccatum originale non per libidinem, sed per generationem & seminalem propagationem in Adæ posteros traducitur & transfunditur. Perperam igitur ad libidinem recurrunt Adversarii.

Objicitur S. Augustinus, qui passim docet non per generationem, sed per libidinem traduci peccatum originale. 104

Resp. S. Doctorem non ita loqui, quòd velit libidinem esse causam physicam & necessariam traductionis peccati originalis; sed ut significet, peccatum originale tràduci non præcisè per generationem naturalem (nam in statu innocentiæ, ut & naturæ puræ fuisset generatio naturalis, nec tamen fuisset tunc peccatum originale) sed per generationem naturalem ex natura corrupta & vitiata, cujus certissimum indicium est ardor libidinis, sine quo etiam sanctissimi conjuges non solent generare. Unde cùm S. Doctor inter alia lib. 5. contra Julianum, c. 9. ait conceptionem Christi Domini fuisse sine peccato, quia in ea nullus fuit motus concupiscentiæ; ex uno alterum certò concludit supposito hocce rerum statu: cùm ergo conceptio Christi Domini fuerit sine ullo concupiscentiæ motu, S. Doctor colligit fuisse quoque sine peccato.

Vera itaque & propria ratio, cur Christus Dominus non peccaverit in Adamo, nec ab eo peccatum in sua conceptione traxerit, ea est, quòd in Adamo fuerit materialiter duntaxat, quemadmodùm ipse Adamus fuit in limo, ex

quo formatus est, & Eva in costa Adami, ex quo educta est. Ita S. Anselmus de Conceptu Virginis cap. 23.

Cæterùm S. Augustinus nunquam sibi ipsi potuit satisfacere circa traductionem, seu causam & modum transfusionis peccati originalis, ut patet ex lib. 5. contra Julian. c. 4. ubi ait: *Aut utrumque* (nempe anima & corpus) *vitiatum ex homine trahitur* : *aut alterum* (nempe anima) *in altero* (scilicet corpore) *tanquam in vase vitiato corrumpitur*; *ubi occulta justitia divinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentiùs disco, quàm dico ; ne audeam docere, quod nescio.* Prima opinio, nempe animam unà cum corpore ex homine per generationem traduci, certò falsa est, prout in Metaphysica nostra ostendimus, atque à S. Thoma judicatur hæreticum; nam animæ à Deo creantur singulæ in singulis corporibus. Altera igitur vera est, nec ideo recurrendum ad libidinem : nam anima peccatô inquinatur hoc ipso, quòd uniatur corpori ex semine Adæ naturaliter producto; quia tunc fit homo, qui est filius Adæ per generationem naturalem, qui proinde peccatum in Adamo ab ejus posteris commissum contrahit.

Caput IV.

Utrum peccatum primi parentis transeat ad omnes sine exceptione homines, qui viâ ordinariâ ex ipso nascuntur?

105 Certum est Deum posse speciali privilegiô aliquem eximere ab hac communi lege; quia quamvis statutum sit omnibus semel mori, doceatque Apostolus, Rom. 6. mortem ab Adamo in omnes homines pertransiisse, liberum tamen est Deo, stante illa lege, quempiam à morte servare; quidni similiter & à peccato? sed difficultas est, utrum de facto aliquem tantô privilegiô donaverit, nempe Beatam Dei genitricem Virginem Mariam.

Qua de re notandum 1mo. Tribus modis posse dici aliquem in Adamo peccasse 1mo. Quatenùs erat in lumbis Adæ secundùm rationem seminalem, quando transgressus est legem. 2do. Quatenùs in prima conceptione, priusquam anima rationalis infunderetur, vi generationis suæ fuit peccato obnoxius, utpotè viâ ordinariâ seminatus. 3tio. Quatenùs conceptione jam perfecta, accepit animam rationalem justitiâ originali nudatam, & à Deo aversam.

Extra dubium poni debet Beatam Virginem Mariam primô & secundô modô peccasse in Adam. Habetur 1mo. ex S. Scriptura, quæ asserit omnes omninò puros homines, qui scilicet per generationem naturalem ab Adamo descendunt, in ipso Adamo peccasse, ut Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt* Et c. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei*, id est, *Redemptore*. Item 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Ergo omnes omninò, pro quibus mortuus est Christus, mortui sunt, nullo excepto, ut fide constat, ideoque pro beata Virgine. Ergo omnes omninò mortui sunt, ideoque etiam B. Virgo mortua est in Adamo, quando scilicet, primô & secundô modô à nobis expositô, in ipso peccavit, id est, quatenus ipso peccante peccavit, quia voluntas Adami relatè ad violationem præcepti de non comedendo fructu erat moraliter voluntas B. Virginis, sicut & cæterorum omnium, qui ab eo per generationem naturalem descensuri erant.

Ratio

Ratio suffragatur. B. Virgo verè & propriè à Christo redempta est : nam Christus verè & propriè Redemptor fuit B. Virginis. Atqui B. Virgo non fuit propriè redempta à Christo, nisi quia Christus ei meruit remissionem peccati, & pro eo satisfecit : nam Christus propriè redemit homines, quatenùs eis meruit remissionem peccatorum, & pro eis satisfecit. Ergo Christus meruit B. Virgini remissionem peccati alicujus, nempe peccati ab ea in Adamo commissi.

Quæstio igitur est, num B. Virgo tertiò modò in Adam peccaverit, atque perfecta jam conceptione animam rationalem acceperit justitiâ originali nudatam & à Deo aversam, atque primùm posteà gratia sanctificante ornata, & sic à Christo redempta fuerit; an verò animam rationalem acceperit gratia sanctificante ornatam & ab omni peccati macula immunem?

Catholici ferè omnes modò tuentur, Beatam Virginem primô quidem & secundô modô, prout jam diximus, peccasse in Adamo, sed à Christo redemptam fuisse, quatenùs anima ejus in primo suæ creationis instanti fuit ornata gratia sanctificante, & ita à peccati macula liberata, quam quidem actu & de facto non incurrit, sed quam incurrisset, nisi gratiâ Dei per merita Christi fuisset præventa. Redempta est igitur: *Quemadmodùm*, inquit S. Augustinus in Psal. 85. *si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem fortè ex aliquo labore, & dicat, parce tibi, requiesce: rectè dicis Medico, liberasti me ab ægritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem; venit alius, defendit eum. Gratias agens, quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio.* Similiter beata Virgo in Adamo contraxit debitum; voluntas ejus, sicut cæterorum hominum, continebatur in voluntate Adami, vi conceptionis suæ, quæ fuit per generationem naturalem & viam seminalem, contractura erat peccatum; sed per Christi merita actu & de facto non contraxit; quia in primo instanti unionis animæ cum corpore jam organizato sanctificata est.

Notandum 2do. Ecclesiam hactenus non definivisse, an B. Virgo eo, quo exposuimus, modo immunis fuerit à peccato originali, fueritque sine eo & immaculatè concepta. Habetur 1mo. Ex Sixto IV. qui Constitutione lata an. 1483. sub Anathematis pœna prohibuit tùm affirmantibus tùm negantibus B. Virginem immunem fuisse ab originali peccato, ne sibi invicem censuræ alicujus theologicæ notam inurant.

Hanc Bullam, quæ incipit *Grave nimis*, confirmavit Concilium Tridentinum Sess. 5. ubi sic loquitur: *Declarat hæc ipsa Synodus, non esse sua intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.*

Sixtus IV. & proinde Concilium Tridentinum liberam cuique reliquerunt facultatem tenendi hac in quæstione partem affirmantem vel negantem, prout vel magis pium, vel magis probabile judicaverit. Idem docent Pius V. in Bulla edita an. 1570. quæ incipit *Super speculam*, §. 1. Paulus V. in Constitutione, quæ incipit, *Regis pacifici* editâ an. 1616. §. 6. & Gregorius XV. in De-

Decreto edito an. 1622. quod incipit *Sanctissimus* §. 2.

Circa prædictas Bullas advertendum tamen, quòd, cùm dissensiones & discordiæ circa Conceptionem beatæ Mariæ Virginis Ecclesiam turbarent, graviaque scandala excitarent, Sixtus IV. primò prohibuerit sub pæna excommunicationis, ut jam adnotavimus, ne quis crimen hæreseos impingeret asserentibus immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem. Deinde Pius V. prohibuit sub pœna suspensionis, ne publicè, ubi promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet, sententia negans immaculatam Conceptionem propugnaretur: id tamen permisit in publicis Academiæ disputationibus, ubi nulla subest scandali occasio. Idipsum posteà præscripsit Paulus V. Sed cùm ex ejusmodi disputationibus pax turbaretur, tandem Gregorius XV. prohibuit sub iisdem pœnis, ne in Scholis & privatis colloquiis quisquam auderet asserere beatam Virginem in peccato fuisse conceptam, *nisi*, inquit, *aliquibus fuerit specialiter indultum.* Cavent autem omnes illi Pontifices, ne quis ex prædictis Bullis & Constitutionibus colligat contrariam sententiam ab iis esse damnatam, aut improbatam. His prænotatis, sit cum omnibus ferè Catholicis Theologis & Academiis

CONCLUSIO

106 B. Virgo Dei genitrix María non contraxit peccatum originale, sed ab eo per gratiam sanctificantem, ejus animæ primò suæ existentiæ instanti infusam, præservata fuit per merita Christi.

Prob. 1mo ex S. Scriptura Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem... Ipsa conteret caput tuum.* Ubi per *mulierem* ex communi interpretatiône intelligitur B. Virgo, inter quam & dæmonem perpetuum fore bellum, & quam dæmonis potestati nunquam fore subjectam testatur Deus. Sed si B. Virgo peccatô originali vel uno instanti inquinata fuit, aliquando potestati dæmonis subjecta fuit, & dæmonis serva. Ergo. Luc. 1. *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quæ verba ex communi Doctorum sensu significant B. Virginem a Deo accepisse omnia privilegia & gratiæ dona, quæ Dei Matrem decebant. At certè immunitas à peccato originali Dei matrem maximè decebat; & alioqui substantia, ex qua filii Dei corpus formatum est, fuisset aliquando peccatô inquinata; Decebar, inquam, cùm B. Virgo sit tabernaculum, ex quo tanquam sponsus egressus est Christus: *Sanctificavit autem tabernaculum suum Altissimus*, Psal. 45. v. 5. Cùm sit domus, quam sapientia sibi ædificavit: *Domum autem tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum*, Psal. 92. Cùm sit arca de lignis Setim imputribilibus, Exod. 25. Et Porta, quæ nunquam aperta est ad peccatum, Ezech. 44. Cùm denique Regina sit, de qua dictum est, Esther 15. *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Et Cant. 4. *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Quis enim non piè sentiat, Deum eam contulisse sanctitatem suo Templo atque Tabernaculo, quod non tantùm divinam Majestatem erat contenturum, sed & ex quo corpus & humanam naturam se accepturum decreverat? Quamobrem passus non videtur Deus vel levissimâ maculâ tale Tabernaculum violari: & proinde Virginem sanctissimam ab originali peccato præservavit.

Prob. 2do. Ex Patribus. Origenes Hom. 1. de variis, ubi pluries B. Virginem 107

ginem vocat immaculatam. S. Ambrosius, Serm. 22. in Psal. 118. ubi de B. Virgine dicit, quòd sit *Virgo per gratiam ab omni labe peccati integra.* S. Hieronymus in hæc verba Psal. 77. *Deduxit eos in nube diei*, dicit nubem illam esse B. Virginem, addens: *pulchrè dixit, diei, quia nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* S. Sophronius, Ep. ad Sergium (*m*) ait, *B. Virginem Sanctam fuisse, & ab omni contagione liberatam & corporis & animæ.* Certè ista Patrum verba sunt generalia, & excludunt à B. Virgine omne peccatum, ideoque etiam originale; & quamvis fortè de peccato actuali intelligi possent, ex iis tamen eruitur immunitas à peccato originali; cùm tùm ex Scriptura, tùm ex Patribus constet, neminem ex iis, qui concepti sunt in iniquitatibus, esse sine peccato actuali. Nec desunt ex Antiquis, qui B. Virginem expressè eximant à labe originali. Sedulius 5tô Sæculô hæc lib. 3. Paschalis operis de ea cecinit:

Et velut è spinis mollis rosa surgit acutis,

Nil, quod lædat, habens.

S. Joannes Damascenus Orat. 1. de natali B. Virginis sic loquitur: *Natura gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset ... ô beatos Joachimi lumbos, è quibus immaculatum semen effluxit! ô præclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis formatus fuit sanctissimus Fœtus! ô Sanctissima, quæ Principatus & Potestates fefellisti, immaculata conservata in Dei sponsam.* Ergo B. Virgo à primo suæ existentiæ puncto per gratiam sanctificata fuit.

Auctor cognomentô Idiota, qui initiô octavi Sæculi scripsit, c. 2. in contemplatione B. Mariæ, ait: B. Virginem totam pulchram esse, non in parte, sed in toto, & maculam peccati in ea non extitisse, sive mortalis, sive venialis, sive originalis.

In libro de Operibus Cardinalibus inter Opera S. Cypriani, Mater Dei dicitur à cæteris differre, *quia naturâ communicabat, non culpâ.*

S. Anselmus lib. de conceptu virginali, c. 18. sic ait: *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum ... ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris & Virginis Filius.* At si B. Virgo inquinata fuit peccatô originali, certè facilè excogitari posset major puritas eâ, quam habuisset, nempè puritas ab omni labe peccati tùm personalis seu actualis, tùm originalis.

Neque prætereundus est S. Augustinus præclarum illud Ecclesiæ lumen. Igitur Sanctus hic Doctor lib. de natura & grat. c. 36. postquam docuit ex peccato originali factum esse, ut nemo vel sanctissimus possit esse sine peccato actuali, ab hac communi sorte eximit B. Virginem his verbis: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Nec dicas, S. Augustinum agere duntaxat de peccato actuali. Namque 1mo.

(*m*) Hæc Epistola lecta est in Concilio generali VI. quod celebratum fuit an. 680.

Nullam vult habere quæstionem de B. Virgine, ubi de peccatis agitur: Hæc autem exceptio est generalis, atque tam ad originale, quàm actuale peccatum se extendit. 2do. S. Doctor B. Virginem excipit propter honorem Domini. Atqui honor Domini non minùs postulare videtur, ut Mater ejus fuerit immunis à peccato originali, quàm ab actuali etiam veniali. 3tio. In mente S. Augustini non minùs est universalis hæc precandi formula, *Dimitte nobis debita nostra*, quàm ista fidei regula, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Atqui S. Augustinus non vult asserere illam precandi formulam beatæ Virgini fuisse præscriptam. Ergo in ejus mente hæc fidei regula peccatum originale spectans patitur in eadem B. Virgine aliquam exceptionem.

Denique idem S. Doctor ex peccato originali colligit illam impotentiam moralem, quæ inest in singulis, vitandi omnia & singula peccata venialia. Ergo cùm concedat eam gratiam B. Virgini collatam, qua ex omni parte vinceret peccatum actuale, supponit similem ei negatam non fuisse, qua vitaret peccatum originale. *Propterea*, inquit lib. 5. contra Julianum c. 9. *nullus est hominum præter ipsum* (Christum) *qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu; quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccata non habuerit infantilis ætatis exortu.* In prioris comparationis membro non continetur B. Virgo, quia ipsa nullum peccatum actuale etiam grandioris ætatis accessu unquam admisit, ut fatetur S. Augustinus cit. lib. de nat. & grat. Ergo nec in posteriori, adeoque nec infantilis ætatis exortu, seu in conceptione, peccatum originale habuit.

108 Prob. 3tio. Ex Concilio Tridentino, cujus Decretum suprà retulimus pag. 47. ubi vide; & quo declarat suæ intentionis non esse in suo de peccato originali decreto comprehendere B. Virginem. Si Concilium istud Oecumenicum B. Virginem non comprehendit in decreto suo doctrinali de peccato originali, certè hoc ipso eam tacitè excipit, aut saltem meritò excipiendam judicat. Quis ergo fidelium eam in universali numero hominum peccatô originali inquinatorum comprehendat? Ergo B. Virgo meritò ab universali peccati originalis macula est excipienda.

Idem Concilium Tridentinum Indulgentias Fidelibus Festum immaculatæ Conceptionis B. Virginis celebrantibus à Sixto IV. concessas approbat, & confirmat, & approbando ac confirmando inducit Fideles ad hoc festum devotè celebrandum. At si B. Virgo inquinata fuisset peccatô originali, Concilium induceret ad cultum objecti falsi, aut saltem approbaret & confirmaret gratias, quæ ad cultum objecti falsi, inducunt, quod est moraliter ad illum inducere: quod sanè repugnat infallibilitati absolutæ Ecclesiæ in rebus ad fidem, mores, & cultum divinum pertinentibus.

His adde quòd Patres omnes Concilii Tridentini, exceptis paucissimis, iisque, præter unum aut alterum, Dominicanis, suffragium dederint, ut ederetur decretum de immaculata B. Virginis Conceptione: quod tamen vulgatum non fuit ob instantissimas preces paucorum Episcoporum, & Theologorum Dominicanorum dilationem rogantium. Hoc constat ex Actis originalibus Concilii, quæ in Castro S. Angeli Romæ asservantur. Quare Concilium hanc quæstionem non definivit, & pro hac vice contentum fuit declaratione suprà allata.

Ad-

Adjungi hîc etiam potest auctoritas Concilii Basileensis; quod licèt ut Oecumenicum ab Ecclesia nullatenùs agnoscatur, non omnia tamen, quæ sanxit ac definivit ab ipsa rejiciuntur, sed potiùs approbantur, inter quæ est præcipuè ipsius de Immaculata B. Virginis Conceptione decretum, quod nedum à Summis Pontificibus & subsequentibus Conciliis fuit reprobatum, quin solemniter confirmatum. Sic ergo Concilium istud Sess. 36. de Conceptione B. Virginis statuit, an. 1439. *Doctrinam illam differentem gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam præveniente & operante divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, sanctamque & immaculatam, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam, & amplectendam definimus, & declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare, & docere.*

109 Prob. 4to. Ex decretis Summorum Pontificum, quibus tùm à quibuscumque actibus publicis, tùm etiam à privatis colloquiis proscripta est opinio negans B. Virginis immunitatem à peccato originali, dum intereà totius Orbis Catholicis Episcopis ubique approbantibus sententia affirmans immaculatam B. Virginis Conceptionem proponitur, defenditur, & probatur voce, Scriptô, in scholis, & sacris pulpitis magno cum gaudio ac fructu totius populi Christiani, propositis indulgentiis in gratiam eorum, qui festum immaculatæ Conceptionis B. Virginis devotè celebraturi sunt. Nam 1mo. Sixtus IV. an. 1476. Constitutionē *Cùm præexcelsa*. im̄aculatā B. Virginis Conceptionē devotè celebrantibus concessit easdem Indulgentias, quas Urbanus IV. concesserat devotè celebrantibus Festum Corporis Christi. Quam Constitutionem approbavit & innovavit Concilium Tridentinum suprà laudatum. 2do. Paulus V. an. 1617. gravissimis pœnis vetuit quibuscumque personis, ne in quibuscumque actibus publicis asserent B. Virginem conceptam fuisse cum peccato originali. 3tio. Gregorius XV. hanc Pauli V. prohibitionem an. 1622. sub iisdem pœnis extendit etiam ad privata colloquia, solis Dominicanis concessa de contraria opinione privatim & inter se differendi & conferendi facultate. 4to. Alexander VII. an. 1662. Constitutione, quæ incipit *Sanè vetus*. postquam asseruit Sixti IV. Pauli V. & Gregori XV. Constitutiones editas esse in favorem sententiæ asserentis B. Virginem à peccato originali præservatam fuisse: Piam ac laudabilem esse hanc sententiam, & pium ac laudabile secundùm illam B. Virginem colere: In Romana Ecclesia olim solemniter celebratum fuisse, & etiamnum celebrari Festum Immaculatæ Conceptionis, per illam intelligendo sanctificationem B. Virginis primò instanti creationis animæ & ejus infusionis in corpus: ideoque sanctificationem B. Virginis pro primo illo suæ existentiæ instanti esse Objectum cultûs, ad quem Ecclesia Fideles omnes præceptô celebrandi Festum Conceptionis B. Virginis obligat: Quæ omnia rectè perpensa veritatem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis efficaciter probant; tandem sub gravissimis pœnis quibuscumque personis, nulla facta exceptione, prohibet, ne sub quovis prætextu, quovis excogitabili modo, directè vel indirectè, sive scriptô, sive voce, sive publicè, sive privatim sententiam de Immaculata B. Virginis Conceptione, aut Festum seu cultum secundùm hanc piam sententiam exhibitum impugnent. Atque clausulam à Paulo V. & Gregorio XV.

de non inferendo præjudicio contrariæ opinioni (directè scilicet, & vi suæ prohibitionis) prætermisit. Atqui fieri non potest, ut error ita approbetur in Ecclesia, & ut ad illum amplectendum tantis beneficiis à Summis Pontificibus invitentur Fideles omnes, consentientibus totius orbis Episcopis, atque ut veritatis oppositæ prædicatio sub gravissimis pœnis prohibeatur. Ergo &c.

110 Prob. 5to. Ex praxi & facto Ecclesiæ. Ecclesia Græca quidem jam à mille & pluribus annis; Latina verò jam à sexcentis celebrat solemne festum Conceptionis B. Virginis. Et quamvis dici possit, Festum illud fuisse institutum in gratiarum actionem, quòd Deus per hujus Virginis Conceptionem viam paret ad promissa complenda: quo sensu Conceptio Beati Joannis Baptistæ olim fuit festiva, maximè cùm Gregorius XV. in sua Constitutione caveat, ne in officio illius Festi voci *Conceptionis* quidquam addatur, quale esse posset nomen adjectivum *immaculata;* negari tamen non potest, quin Festum illud maximè faveat sententiæ affirmanti Immaculatam B. Virginis Conceptionem. QuinS. Bernardus Epist. 174. scribit, ejusmodi festivitatem esse professionem publicam, B. Virginem sine peccato fuisse conceptam, quod privilegium illi abjudicat; undè totis viribus insurgit in Canonicos Lugdunenses, qui contra antiquum morem Festum illud instituerant. At prævaluit horum Canonicorum sententia & bona causa triumphavit, atque honor Immaculatæ Conceptionis B. Virginis in totum Christianum & Catholicum orbem propagatus est, ita ut Ecclesia non solùm Fideles omnes ad cultum B. Virginis ut primô suæ existentiæ instanti sanctificatæ, & è peccato originali præservatæ Indulgentiis invitet, sed etiam cultum illum præcipiat, Festô ad hunc finem institutô & præceptô, ut patet ex Constitutione Alexandri VII. citata. Ergo cultus ille est cultus objecti veri, ideoque verum, B. Virginem primô suæ existentiæ instanti sanctificatam, & à peccato originali præservatam fuisse: Ecclesia namque non potest consulere, minùs præcipere cultum Objecti falsi, adeoque cultum falsum, vanum, & superstitiosum; quia est sancta, & infallibilis in rebus fidei & morum, ad quos pertinet virtus Religionis, & cultus Dei per preces & sacrificium, &c.

Ex hactenus adductis & probatis satis clarè, nî vehementer fallimur, patet, piam hanc sententiam de Immaculata B. Virginis Conceptione, quamvis ab Ecclesia solemni decreto aliquo, prout initiô annotavimus, tanquam de fide nondum definita sit, proximè tamen ad fidem accedere. Imò velut tacitè & intrinsecè definita jam videtur, ut quæ sit conclusio deducta ex duabus præmissis, quarum una est de fide, nempe istas Ecclesia est infallibilis in rebus Fidei & morum, nec potest consulere, & multò minùs præcipere cultum falsum & superstitiosum; altera est evidens & certa ex decretis Summorum Pontificum; quibus per Indulgentias invitant fideles ad cultum B. Virginis ut primô suæ existentiæ instanti sanctificatæ, & à peccato originali præservatæ, & hunc cultum præcipiunt, præcipiendo celebrationem Festi Conceptionis B. Virginis, intellectæ de primo instanti creationis animæ & ejus infusionis in corpus (*n*).

Sol-

(*n*) Vid. inf. ad calcem hujus Tract. Manualis Sfonderatus, &c.

Solvuntur Objectiones

111 Ob. 1mo. De fide est B. Virginem in Adamo peccasse, & per Christum fuisse redemptam: At enim Apostolus, Rom. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* Et c. 5. v. 12. *In quo* (Adamo) *omnes peccaverunt.* Et v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Item 1. Cor. 15. *In Adam omnes moriuntur.* Et 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Ergo falsa est sententia, quæ negat eam non contraxisse peccatum originale, utpote ex qua sequatur eam nec à Christo redemptam fuisse.

Resp. Huic objectioni nos jam satisfecisse supra Not. 1. à num. 105. ubi explicavimus, qua ratione B. Virgo in Adamo peccaverit, atque à Christo Domino redempta fuerit, ubi vide. Igitur B. Virgo peccavit in Adamo quatenus erat in lumbis Adæ secundùm rationem seminalem, quando transgressus est legem, & quatenùs in prima conceptione, priusquam anima rationalis ipsius corpori infunderetur, vi generationis suæ viâ ordinariâ seminata erat, atque sic contraxit in Adamo debitum; nam voluntas ejus, sicut cæterorum hominum, continebatur in voluntate Adami, atque vi conceptionis suæ, quæ fuit per viam seminalem, contractura erat peccatum; sed per Christi merita actu & de facto non contraxit; quia in primo instanti secundæ conceptionis, seu unionis animæ ipsius cum corpore organizato, sanctificata est, & ita à peccati macula liberata, adeoque à Christo Domino verè redempta. Unde ad objectionem conc. ant. & textibus Apostoli: neg. cons.

Diximus B. Virginem contraxisse in Adamo debitum peccati originalis; non quòd habuerit in se debitum contrahendi peccatum originale: nam cùm primô suæ existentiæ instanti sanctificata fuerit, eodem illo instanti ei remissum fuit peccatum in Adamo ab ea commissum, ac proinde etiam debitum contrahendi peccati originalis. At debitum contrahendi peccati originalis habuit in Adamo, quia in Adamo peccavit sicut cæteri homines, ut jam diximus; & sic nisi à macula & reatu culpæ originalis per gratiam sanctificantem præservata fuisset, illam culpam & maculam re ipsa contraxisset, sicut cæteri contrahunt.

Ob. 2do. Heb. 7. *Talis decebat*, inquit Apostolus, *ut nobis esset Pontifex, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Ergo solus Christus caruit omni peccato. 112

Resp. ut priùs. & dist. cons. Solus Christus caruit omni peccato, ita ut nec peccatum nec debitum peccati, in quod incurrisset, nisi ab eo præservatus fuisset, habuerit, conc. Solus Christus caruit omni peccato actuali & originali, neg. cons. Nam etsi B. Virgo contraxerit debitum peccati originalis; tamen peccatum ipsum non contraxit, sed ab eo præservata fuit per merita Christi. Christus non solùm vi unionis hypostaticæ, sed etiam vi generationis suæ supernaturalis, & quidem solus caruit peccatô originali & ejus debitô; quia solus non per viam ordinariam, sed per supernaturalem Spiritûs Sancti operationem conceptus est, sicque solus in Adamo non peccavit, nec proindè contraxit debitum contrahendi peccati originalis. At B. Virgo peccatô originali non caruit vi generationis suæ, utpotè naturalis: undè verè peccavit in Adamo, habuitque debitum contrahendi culpam originalem, à qua immunis non fuit,

 nisi

nisi ex meritis Christi, & ex speciali privilegio.

113 Ob. 3tio. Si B. Virgo caruit peccatô originali, tunc nunquam fuit sub captivitate peccati. Ergo nec à Christo redempta.

Resp. trans. ant. neg. conf. Nam B. Virgo per merita Christi redempta fuit à captivitate, in quam ex debito lapsura erat, nisi ab ea præservata fuisset per gratiam Christi Redemptoris, quamvis à captivitate, in quam re ipsa inciderit, redempta non fuerit; nam re ipsa in nullam incidit.

114 Inst. 1mo. Ad veram redemptionem requiritur captivitatis actualis liberatio. Atqui ex dictis in nullam actualem captivitatem incidit B. Virgo. Ergo nec redempta est, &c.

Resp. neg. maj. Duplex quippe redemptionis genus est, unum per modum liberationis, quo nempe quis liberatur à captivitate, in quam incidit: alterum verò per modum præservationis, quo nempe quis eximitur à captivitate, in quam necessariò lapsurus erat, nisi ab ea præservaretur. Hoc redemptionis genus est vera redemptio, & altero perfectius. Sic si Princeps Christianus magnam auri vim Turcarum Imperatori præberet, ut Christianos aliquos à captivitate, in quam certò lapsuri erant, eximeret, quamvis in eam nondum inciderint; an non illi Christiani à tali Principe verè redimerentur, & quidem perfectiùs, quàm si redempti fuissent, postquam jam in captivitatem incidissent? Hoc autem perfectiore redemptionis modo redempta est B. Virgo.

115 Inst. 2do. Zosimus Papa apud S. Augustinum Epist. 157. sic ait: *Nullus nisi qui peccati servus est, liber efficitur: nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit antè captivus.* Ergo &c.

Resp. neg. conf. Sensus adducti ex Zosimo textûs est, nullum redemptum dici posse, nisi qui verè per peccatum anteà captivus fuerit vel re ipsa, vel debito certo. Nam qui debet esse, & certò futurus fuisset captivus, nisi liberatoris beneficiô à captivitate exemptus fuisset, is verè ac propriè redemptus dici potest, ut rectè docet S. Augustinus in Psal. 85. ad hæc verba: *Eruisti animam meam de inferno inferiori.* suprà relatus Not. 1. pag. 47.

Ob. 4to S. Ambrosius lib. 2. Comment. in Lucam ait: *Solus per omnia ex natis de fœmina Sanctus Dominus Jesus est, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partûs novitate non senserit, & cœlesti majestate depulerit.* Ergo &c. 116

Resp. neg. conf. S. Ambrosius solùm vult unum Christum vi generationis suæ, quæ supernaturalis fuit, caruisse peccatô originali: cæteros verò omnes vi naturalis suæ generationis, qua ab Adamo descendunt, illud contrahere, vel, si quis non contrahat, vi generationis suæ contrahere debere, nec, nisi per gratiam, ab eo præservari posse.

Sic etiam intelligi debet Eusebius Emissenus, vel Gallicanus, cùm hom. 2. de natali Domini dicit: *A peccati veteris nexu per se non est immunis, nec ipsa genitrix Redemptoris.* Nam B. Virgo per se, & vi generationis suæ, utpotè naturalis, non est immunis à macula culpæ originalis, sed per merum gratiæ beneficium. Vel illi & aliqui alii Patres, cùm asserunt omnes, præter Christum, fuisse obnoxios peccato originali, loquuntur de peccato originali spectato etiam quoad debitum; vel intendunt omnes ei obnoxios fuisse vi generationis suæ, ita ut nullus ab eo eximatur, nisi ex speciali privilegio per gratiam Christi ab eo præservatus fuerit.

Ob.

117 Ob. 5to. Aliqui Patres agnoscunt in Dei Matre purgationem, liberationem, solutionem à peccato factam per Dei gratiam. Ergo etiam in ea agnoscunt peccatum originale.

Resp. neg. cons. Patres illi hoc intelligunt de purgatione, liberatione, & solutione à peccato originali quoad debitum, nôn quoad ipsum peccatum originale re ipsa contractum, sive à peccato in Adamo commisso, quod in se contrahere debebat, & à quo liberata fuit in se, seu præservata per gratiam sanctificantem. Nam hoc unum Patres intendunt, scilicet omnes eguisse gratiâ Christi, sine qua omnes peccatò sunt inquinati.

118 Ob. 6to. S. Augustinus lib. 5. contra Julianum c. 15. ait: *Si sine dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati; quid restat, ut intelligamus, nisi eâ exceptâ, omnem reliquam humanam carnem esse peccati?* Et lib. de perfectione justitiæ sub finem: *Quisquis fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno Mediatore Dei & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinæ Scripturæ.* Ergo &c.

Resp. neg. cons. Ad 1mum textum S. Augustini: Caro B. Virginis fuit caro peccati, non quia peccatô originali inquinata fuit, sed quia viâ naturali concepta fuit, sicque peccati debitum contraxit, & peccatum ipsum sine gratia præservante contraxisset. Ad 2dum. Peccati remissio verè necessaria fuit B. Virgini, quippè quæ in Adamo peccaverit: unde hujus peccati maculâ fuisset polluta, nisi primò existentiæ suæ punctô illud ex meritis Christi per gratiam sanctificantem remissum fuisset.

119 Ob. 7mo. S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum, c. 26. ait: *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci.* Ergo &c.

Resp. neg. cons. Hoc, quòd dicit S. Fulgentius, intelligi debet, seclusò aliquò gratiæ beneficiô. Et sensus est, omnes homines, qui ab Adamo per generationem naturalem descendunt, vi suæ generationis peccatum originale contrahere, & cum illo nasci, seclusò scilicet speciali privilegiô, quo per gratiam sanctificantem ab illo præserventur, vel liberentur, antequam nascantur. Nam certum est aliquam exceptionem in illo textu subintelligendam esse, cùm constet Joannem Baptistam in utero materno sanctificatum fuisse, ideoque sine peccato natum fuisse; Quidni dicatur B. Virgo sine peccato non modò nata, sed etiam concepta fuisse.

Ob. 8vo. S. Bernardus, qui Epist. 174. contra Canonicos Lugdunenses, qui ut ibidem innuit, novitate aliqua & contra morem antiquum Conceptionis B. Virginis celebritatem invexerant, tuetur eandem B. Virginem non esse immaculatè conceptam. Item S. Thomas, qui pluribus locis docet B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse. 120

Respondent nonnulli quantùm ad S. Bernardum, piissimum hunc Patrem voluisse duntaxat B. Virginis conceptionem in suis primordiis, & ante infusionem animæ rationalis fuisse vitiatam: non verò in ipso termino, hoc est, in ipsa infusione animæ rationalis. Verùm nec verba nec scopus epistolæ pati videntur benignam ejusmodi interpretationem. Sanctus quippe Bernardus probare intendit contra Canonicos Lugdunenses Conceptionem B. Virginis non esse veneratione, aut ullo cultu dignam, ex eo, quòd non sit sancta, *Quo pacto*, inquit,

quit, *Sanctus assereretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non est, ne dicam, de peccato est? aut festus habebitur, qui minimè sanctus est?* Atqui ejusmodi ratio nullius esset ponderis in hypothesi, quòd anima non fuerit infusa sine gratia sanctificante; in promptu enim fuisset Canonicorum excusatio, se non celebrare immundam seminationem, in qua nondum erat B. Virgo, sed sanctificationem, à qua cœpit existere.

Pari ratione S. Thomæ textus illos, qui Immaculatæ Conceptioni B. Virginis contrarii esse videntur, interpretantur nonnulli, atque demonstrare conantur, adductos ex eo textus eâdem ac S. Bernardi Epistolam esse intelligendos. Imò sunt, qui variis ex eodem S. Doctore congestis momentis evincere allaborant, eum pro sententia Immaculatæ Conceptionis B. Virginis stetisse; inter quos facilè præcipuus videtur Cardinalis Sfonderati Benedictinus Sangallensis, in præstanti ac præcellenti opere suo, cui titulum fecit *Innocentia Vindicata, &c.* à nobis jam ante triginta & ampliùs annos in compendium contracto, quod in piorum B. Virginis Immaculatè conceptæ Clientum gratiam ad hujus Tractatus calcem subjicimus.

Verùm quidquid tùm de S. Bernardi, tùm S. Thomæ, tùm aliorum, qui ipsorum ætate florebant, Ecclesiæ Doctorum, & Scholæ Principum, ut Ruperti, S. Anselmi (quem tamen pro nostra sententia superiùs adduximus) item Alberti Magni, Alexandri Alensis, & S. Bonaventuræ, &c. hac in re opinione sit; certissimum tamen esse debet, eos, si hoc tempore, quo Ecclesia doctrinam Immaculatæ Conceptionis B. Virginis non modò recipit, sed & solemni ritu celebrat, illam ultrò suscepturos atque culturos.

Profectò S. Bernardus non impugnat nostram sententiam tanquam perniciosam, & periculosam in fide, sed sobriè, &, ut ita dicam, subdubitanter contra eam scribit: sic enim Epistolam suam concludit: *Quæ autem dixi, absque præjudicio sanè dicta sint saniùs sapientis: Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati & examini totum hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt, universa reservo; ipsius si quid aliter sapiat, paratus judicio emendare.* Quæ certissimam fidem faciunt, eum, quidquid priùs sensisset, si modò viveret, Ecclesiæ Festum istud tanta solemnitate celebranti ultrò assensurum esse.

S. Thomas verò 3. part. q. 27. a. 1. *Sed contrà est*, inquit, *quòd Ecclesia celebrat nativitatem B. Virginis. Non autem celebratur Festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta. Fuit ergo in utero sanctificata.* Unde si nunc viveret, & videret Immaculatam B. Virginis Conceptionem ab Ecclesia celebrari, eodem modo pro ea dissereret, scilicet: Ecclesia celebrat Conceptionem B. Virginis: non autem celebratur Festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua Conceptione fuit Sancta. Ergo primô suæ Conceptionis punctô sanctificata fuit.

Ob. 9no. Mors est pœna peccati originalis, dicente Apostolo Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Atqui B. Virgo mortem subiit. Ergo B. Virgo incurrit pœnam peccati. Atqui omnis pœna necessariò supponit peccatum. Ergo B. Virgo contraxit peccatum originale. 121

Resp. Dist. maj. Mors est pœna peccati originalis, vel actu, vel quoad debitum contracti, conc. Actu, & de facto contracti, neg. maj. Porrò ex dictis B. Virgo contraxit debitum peccati originalis.

Inst.

Inst. Sublatâ causâ tollitur effectus. Atqui peccatum originale est causa mortis. Ergo sublatô peccatô originali tollitur moriendi necessitas, ut quæ sit effectus peccati originalis.

Resp. Dist. min. Causa mortis est peccatum originale, vel in actu, vel in debito conc. In actu, neg. min. Quanquam illud axioma non est universaliter verum; sunt enim effectus, qui cùm non indigeant continuo causæ influxu, permanent etiam sublatâ causâ; Domus enim stat defunctô Artifice: qui percussus & mutilatus est à latrone, ipsô morte mulctato, manet mutilus. Undè absurdum non est, quòd & parvulus, deletô per Baptismum peccatô originali, sit in natalibus vulneratus, & B. Virgo, licèt in Conceptione immaculata, sit morti obnoxia propter debitum peccati, quod in Adamo contraxerat.

CAPUT V.

122 *De pœnis peccati originalis.*

Pœnæ seu effectus peccati originalis alii spectant corpus, alii animam, alii mortalem hanc vitam, alii futuram. Primò de pœnis peccati originalis, quæ tùm corpus tùm animam in hac vita spectant, agemus. Posteà eas expendemus, quæ alterius vitæ sunt.

§. I.

De pœnis peccati originalis in hac vita &c.

Effectus seu pœnæ peccati originalis in hac vita aliæ, ut primùm dictum, corpus, aliæ animam seu mentem afficiunt. Circa pœnas corporis sit

CONCLUSIO I.

Morbi, labores, & cæteræ calamitates, imò & ipsa mors sunt pœnæ corporis in hac vita ob peccatum originale hominibus à Deo inflictæ.

Prob. 1mo. ex S. Scriptura. Genes. 3. à Protoparentibus nostris infracta & violata Dei, de non edendo fructu vetito, lege, sic Deus Evam alloquitur, v. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries, &c.* Ad Adam verò ait, v. 17. *Quia audisti vocem uxoris tuæ .... maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.... In sudore vultûs tui vesceris pane &c.* Indè Adam morti factus est obnoxius, v. 19. *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sap. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, invidiâ autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Item Eccli. 40. *Jugum grave super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ.* Per jugum autem intelliguntur omnes ærumnæ, ut morbi, aëris intemperies, sterilitas terræ, &c.

Prob. 2do. ex Patribus. Pro omnibus 123
sint Tertullianus, qui lib. de anima, c. 52. sic habet *Qui autem primordia hominis novimus, audenter determinamus mortem non ex natura secutam hominem, sed ex culpa, ne ipsa quidem naturali* (o). Et S. Augustinus, qui lib. 1. de peccat. merit. c. 2. sic ait: *Si non peccasset Adam,* non

(o) Ait hic Tertullianus mortem non ex natura secutam fuisse hominem, non quòd homini mors connaturalis esset, sed quia Deus hominem innocentem & in justitia originali creatum ita supra naturalem statum suum evexerat, ut immortalitate eum donasset, nisi peccasset: sed ob ipso culpâ admissâ, eum ad connaturalem statum suum depressit.

non erat expoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate & incorruptione. Et lib. 4. contra Julianum, c. ult. *Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus, restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quòd grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium, non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.*

124 Prob. 3tio. Ex Conciliis, Diospolitanô, Carthaginensi, Milevitanô & Romanô, necnon Arausicanô II. Quæ Pelagium & Cælestium negantes mortem esse pœnam peccati originalis, atque Adamum, etsi in statu innocentiæ permansisset, tamen morti obnoxium fuisse asserentes, damnârunt. Denique ex Concilio Tridentino, quod Sess. 5. sic definit: *Si quis non confitetur primum hominem.... incurrisse... per offensam prævaricationis mortem... quam anteà illi comminatus fuerat Deus.... anathema sit.*

Equidem, ut benè docet S. Augustinus, lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 5. Si ex illa, in qua creatus fuerat, innocentiæ felicitate non decidisset homo, mortalis quidem fuisset, sed non moriturus. Aliud est enim mori, & aliud posse mori; sicut aliud est vulnerari, aliud posse vulnerari: non enim ideò vulneribus subjiciuntur, qui sunt vulneribus obnoxii. Poterat quidem anima hominis à corpore sejungi; sed nunquam hæc sejunctio contigisset, nisi pro hominis arbitrio: donatus enim fuerat alimentô ad restaurandas vires idoneô, nempe arboris vitæ fructu. Ubi autem in peccatum lapsus est, pœnam illam expertus est.

CONCLUSIO II.

Effectus seu pœnæ peccati originalis, quibus subjacet anima hominis in hac vita, sunt privatio donorum supernaturalium & gratuitorum, & vulneratio ejusdem in naturalibus. 125

Igitur homo per peccatum originale spoliatus est supernaturalibus & gratuitis donis, quæ complectebatur justitia originalis, qua privatus est, ut sunt gratia sanctificans, & omnes virtutes infusæ, scientia, sapientia, fides, prudentia, charitas, quibus perficiebatur ejus intellectus & voluntas, obedientia partis inferioris ad superiorem, & membrorum corporis ad nutum voluntatis: his, inquam, omnibus donis supernaturalibus & gratuitis homo per peccatum originale spoliatus fuit; prout ex hactenus dictis constat, omnesque Catholici ultrò concedunt & fatentur.

Deinde homo per peccatum originale vulneratus fuit in naturalibus; hujusmodi autem vulnera naturæ hominis inflicta, atque naturæ ipsius depravationem consequentia, quatuor à S. Thoma 1. 2. q. 85. a. 3. recensentur: scilicet recedente lumine *ignorantia* subit intellectum. Item rectitudine subversa in voluntate, *iniquitas* seu *malitia* oritur. Partis quoque inferioris erga superiorem subjectione seu ordinatione destructa, exurgit *in appetitu sensitivo defectio*, seu *concupiscentia*. Tandem anima robore sibi concesso destituta, seu innocentiæ dotibus privata, infirmatur, & in calamitates incidit.

Prob. hæc 2da pars Conclusionis secundæ contra quosdam, qui adversùs communem Theologorum doctrinam, negant hominem per peccatum originale vulneratum fuisse in naturalibus, atque contendunt eum nasci in eo statu, 126

in

in quo natus esset, si conditus fuisset in puris naturalibus. Ex S. Augustino, lib. de nat. & grat. c. 19. ubi, *Videte quæso*, inquit, *quomodo nesciens* (Pelagius) *nitatur evertere medicinalium eloquiorum voces saluberrimas; ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum?* Et lib. 22. de Civit. Dei c. 22. *Omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot & tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum, atque noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mærores? Quis ignorat, cumquanta ignorantia veritatis, quæ etiam in infantibus manifesta est, & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ incipit in pueris apparere, homo veniat in hanc vitam; ita ut si dimittatur vivere, ut velit, & facere, quidquid velit, in hæc facinora & flagitia, quæ commemoravi, vel cuncta, vel multa perveniat? Quid est, quòd cum labore discimus, sine labore nescimus, cum labore meminimus, sine labore obliviscimur, cum labore strenui, sine labore inertes sumus? Nonne hic apparet in quid velut pondere suo proclivis & prona sit vitiosa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat?*

Solvuntur Objectiones.

127 Ob. 1mo. Contra 1mam Conclusionem. Si peccatum originale esset mortis causa; sanè illo sublato in baptizatis, in illis etiam tolleretur mortis necessitas: sublatâ enim causâ, tollitur effectus. Atqui in Baptizatis minimè tollitur mortis necessitas. Ergo &c.

Resp. huic objectioni jam suprà Cap. præcedenti in Resp. ad Ob. 9. num. 121. quodammodò satisfecimus, ubi diximus & ostendimus, axioma istud, *sublatâ causâ tollitur effectus* universaliter verum non esse. Resp. adhuc neg. sequel. maj. Nam condonata etiamnum originali labe, mortis tamen necessitas à Deo misericorde variis de causis non tollitur; cùm præsertim ex S. Augustino lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 31. tùm ad fidei exercitationem, tùm ad removenda mala plurima, v. g. hypocrisim, conducat. Plures enim ad fidem accederent, aut pœnitentiam lapsi amplecterentur declinandæ mortis expectatione potiùs, quàm vitæ æternæ desideriô. *Quid enim*, inquit, *magnum erat, videndo non mori eos, qui crederent, credere se non moriturum? Quantò est majus, quantò fortius, quantò laudabilius ità credere, ut se speret moriturus sine fine victurum?* Item non sublata est moriendi necessitas, ne scilicet scelus fieret immortale, atque peccatum nunquam intermoreretur, vel destrueretur, sicque homo in æternum Deo exosus esset; verbô ut vehementi mortis timore concutiamur, meliorisque vitæ desideriô teneamur.

Inst. Si morbi & aliæ calamitates essent pœnæ peccati originalis, omnibus æquè reis infligerentur, & æquales remanerent post Baptismum. Atqui hoc falsum est. Ergo. 128

Resp. neg. sequel. maj. Pœnæ ejusmodi variis de causis sunt inæquales, tùm ob temperamenti diversitatem; tùm ob insigniorem sanitatis neglectum; tùm ob privatorum peccata in variis graviora, & longè plura; tùm denique ad uberiorem exercitationem, & ut ampliori & majori merito sit locus.

129 Ob. 2do. Mors & morbi naturæ mortalis sunt conditiones : ideò enim mortalis est homo, & morbis obnoxius, quia ex qualitatibus contrariis componitur. Ergo non sunt pœnæ peccati originalis.

Resp. neg. ant. Homo quidem, ut suprà Conclusione 1ma sub finem num. 124. ex S. Augustino retulimus, ex natura sua mortalis fuisset, non verò fuisset moriturus, licèt ex elementis sibi invicem oppositis constaret. Ea enim erat virtus animæ integræ, ut corpus ab interitu, & à morbis servare posset, & usu arboris vitæ statûs sui perennitatem adversùs varias elementorum commotiones tueri.

130 Ob. 3tio. Genes. 2. dicitur, Deum posuisse hominem in paradiso, ut operaretur. Ergo homo terram coluisset, etiamsi peccatum non præcessisset. Ergo &c.

Resp. Dist. cons. Coluisset honesta animi voluptate, & in oblectationem, conc. Coluisset cum labore, & cum sudore, ac ex necessitate vitæ sustentandæ, neg. cons.

131 Ob. 4to. Contra 2dam Conclusionem. Peccatum originale est privatio & defectus. Atqui privatio non potest producere effectum positivum, quale est vulnus. Ergo &c.

Resp. Dist. min. Privatio non potest producere effectum positivum positivè influendo, conc. Negativè, & quatenus est subtractio boni necessarii, quam sequitur naturæ corruptio, quemadmodùm subtractio alimentorum solvit laudabilem corporis habitudinem, & inducit mortem, neg. min. Hæc solutio est S. Augustini, lib. de Nat. & Grat. c. 2.

Inst. 1mo. Atqui illud vitium naturæ 132
est ipsamet spoliatio justitiæ originalis, & donorum supernaturalium. Ergo nulla solutio. Prob. anteced. Quia sicut tenebræ nihil aliud sunt, quam privatio lucis; ita nec ignorantia aut mentis cœcitas aliud concipitur, quàm subtractio sapientiæ & intelligentiæ, quæ ex superiùs dictis sunt dona supernaturalia, quæ justitia originalis complectebatur. Ergo.

Resp. neg. ant. subsumpti. Ad ejus prob. dist. ant. Ignorantia & mentis cœcitas nihil aliud sunt, quàm subtractio luminis sapientiæ, & intelligentiæ statui hominis consentaneæ, & necessariæ in ordine ad ultimum finem, ad quem institutus est, conc. Minimè consentaneæ, nec pertinentis ad ejus statum, neg. ant. Nam ignorantia & cœcitas non est, sed mera nescientia, non cognoscere ea, quæ ad statum nostrum non pertinent (*p*). Porro per peccatum originale homo non solùm spoliatus est donis supernaturalibus, ut rerum supernaturalium sapientiâ

tiâ

(*p*) Dona supernaturalia & gratuita, quibus homo per peccatum originale spoliatus est, ad ipsius statum naturalem non pertinent, nec necessarii sunt in ordine ad suum ultimum finem naturalem, ad quem institutus est; unde pro illo naturali statu subtractio illorum donorum supernaturalium, qualia sunt sapientia & intelligentia rerum supernaturalium, &c. non potest dici ignorantia & mentis cœcitas, sed mera nescientia; proindè dici non potest, eum quoad ea vulneratum fuisse in sua natura. Benè autem vulneratus est in bonis & virtutibus naturalibus, scientiâ scilicet & sapientiâ naturali, quas inter naturales intellectûs humani virtutes in Logicæ nostræ proœmio §. 3. recensuimus. Alia igitur est scientia & sapientia rerum supernaturalium, qua homo spoliatus est per peccatum originale, alia verò scientia & sapientia rerum naturalium, in qua vulneratus est duntaxat per peccatum originale, ut diximus in contextu. Vide etiam infra in Resp. ad Inst. 3.

tiâ & intelligentiâ, sed etiam damnum passus est in naturalibus suis dotibus, quales sunt rerum naturalium & statui suo consentanearum, & ad ultimum suum finem naturalem assequendum necessariarum sapientiâ & intelligentiâ; prout suprà ex Augustino ostendimus.

133 Inst. 2do. Fingi non potest animam rationalem vulnerari sive in sua substantia, sive in suis potentiis naturalibus; nisi quatenùs intelligeretur deperdere aliquid pertinens ad suam integritatem, quemadmodùm vulneratur tibia, si os frangatur; vel recipere qualitatem pravam positivè eam ad malum inclinantem, qualis potest esse habitus erroris, & vitii; vel denique amittere aliquam perfectionem extrinsecùs ei superadditam. Atqui anima rationalis primô modô vulnerari nequit; est enim substantia spiritalis, simplex, nec composita ex partibus integrantibus, nec potentiæ ipsi congenitæ suscipiunt majus aut minus: Unde auctor de divinis nominibus c. 4. scribit, naturalia in Dæmonibus manere integra. Neque etiam secundô modô anima rationalis vulnerari nequit; quis enim esset auctor illius pravæ qualitatis, nisi Deus, qui intentator malorum est, Jacob. c. 1. Restat ergo ut dicamus, animam vulneratam esse tertiô modô, quatenus nempe nudata est donis gratuitis.

Resp. neg. totum argumentum, & dicimus animam rationalem vulneratam fuisse in bonis naturalibus, in quantùm scilicet naturalis ipsius ad virtutem inclinatio imminuta est. Notandum igitur cum S. Thoma 1. 2. q. 85. a. 1. duplex esse bonum naturæ: primum sunt principia naturalia, ex quibus natura ipsa constituitur; & proprietates à principiis fluentes, nempe naturales animæ potentiæ. Secundum est inclinatio ad virtutem, quæ dici potest bonum naturæ rationalis; quia naturaliter inclinat natura humana ad vivendum secundùm rationem, ac proindè secundùm virtutem; agere enim ex ratione idem plane est ac agere ex virtute. Porro bonum prioris generis nec tollitur nec minuitur per peccatum; undè & manet integrum in Dæmonibus. Bonum verò posterioris generis, nempè naturalis ad virtutem inclinatio, minuitur per peccatum, quatenùs Deus in pœnam illius finit causas secundas sævire in filios iræ, solvere debitam appetitus sensitivi temperiem, ex quo contingit nonnullos nasci cum indole adeò prava, ut ad bonum vix flecti queant.

Inst. 3tio. Homo sine peccato conditus in puris naturalibus, hoc ipso, quo careret omnibus donis gratuitis, pateretur tenebras ignorantiæ, & inordinatos motus concupiscentiæ, gereretque corpus mortale, & doloribus obnoxium, nec propterea dicendus esset vulneratus in naturalibus bonis, cùm haberet, quidquid ad naturæ humanæ constitutionem pertineret. Ergo à pari neque propterea dicendus est homo per peccatum in his naturalibus vulnerari. 134

Resp. neg. ant. Nam homo sine peccato in puris naturalibus conditus, non haberet quidem notitiam rerum supernaturalium, ut qui ad eas non esset ordinatus; sed eam intelligentiam haberet, unde se ipsum posset excolere, in virtute proficere, & ultimum finem adipisci; repugnat enim sapientiæ divinæ, negare creaturæ innocenti media, sine quibus finem, ad quem illam ordinavit, consequi non posset. Deus igitur sicut Angelos instruxit speciebus, sine quibus nequidem objecta naturalia cognoscerent; ita provideret homini in statu naturæ puræ constituto, nec effrenis &

& impotens concupiscentia mentem obnubilaret & sensum perverteret, ut contingit in statu naturæ corruptæ, *in quo quidam tantæ sunt fatuitatis*, inquit S. Augustinus, Ep. 166. aliàs 28. *ut non multum à pecoribus differant.* Cæterùm dolores, &c. item mors, quibus homo, in puris naturalibus conditus, esset obnoxius, essent ipsi connaturales, & meræ pœnalitates: At in statu naturæ corruptæ & lapsæ sunt veræ pœnæ ob peccatum originale inflictæ, quia nempe Deus statuerat, hominem ab iis, quamvis ei essent connaturales, contra naturæ exigentiam, servare immunem, si non peccasset. Vid. dicta Tom. 2. Theol. nost. Tract. 4. de gratia, cap. 3. §. 2. in Resp. ad Inst. 2. & 3. Ob. 1.

135 Ob. 5to. Ignorantia est conditio purè naturalis; & proindè in primi hominis peccatum non est referenda: non enim exigit infantilis ætas organa ad cognitionem humanam idonea, sed quæ decursu temporis apta fiant. Nihil quippe aliud à Deo naturalis ordinatio postulat, quàm ut infundendo animam Creator illam in corpore collocet quandoque futuro idoneo, ubi videlicet adoleverit, & organa debitam perfectionem fuerint assecuta.

Resp. Hanc differentiæ rationem ex hominis statu præsenti, non verò ex prima ordinatione repeti: Nam homo rectus creatus, in perfectione sibi concessa perseverans, ratione sua fuisset usus, suisque naturalibus facultatibus; nullamque nec in discendo, nec in retinendo molestiam passus fuisset, quamvis infans; etsi ætate perfecta in lucem non prodiisset. Sed luce deserta sibi derelictus cœcutiat necesse est. Calamitosus igitur hominis status in unicam hominis defectionem referri debet, qui sibi ipsi tam felicis status commoda & dignitatem volens eripuit.

§. II.

De pœnis peccati originalis in altera vita seu post mortem. 136

Quæstio hîc volvitur de parvulorum, qui sine Baptismo ex hac vita decedunt, statu post mortem; an videlicet, & quibusnam pœnis afficiantur.

Porro circa hunc parvulorum sine Baptismo decedentium in altera vita statum quinque à Theologis recenseri solent opiniones. Prima promittit illis regnum cœlorum, contra expressum Christi testimonium Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ita olim sensit quidam nomine Vincentius, quem refellit S. Augustinus lib. 1. de anima & ejus origine, c. 9. & lib. 3. c. 13. Hanc opinionem tenet Zvvinglius ut probabilem de filiis infidelium, & ut certam de fidelium parvulis, quod secundum amplectuntur Calvinus, Bucerus, & alii Sectarii.

Secunda excludit quidem parvulos si- 137
ne Baptismo mortuos à regno cœlorum, atque à vita beata Sanctis promissa, sed eis tribuit vitam æternam, & naturalem beatitudinem, absque ullo dolore vel molestia, procul à regno cœlorum & damnatorum carcere. Ita sensisse Pelagianos scribit S. Augustinus lib. de hæres. c. 88. ubi de illis ita loquitur: *Nam etiamsi non baptizentur* (infantes) *promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam & beatam quandam vitam suam.* Per hanc autem æternam & beatam vitam, non intelligebant Pelagiani supernaturalem, quæ in intuitiva Dei visione consistit, sed naturalem beatitudinem: non enim parvulis illis promittebant vitam æternam simpliciter, sed solùm *quandam suam vitam æternam.* Hanc tamen opinionem S. Augusti-

gustinus Pelagianam hæresim appellat, lib. 1. de anima & ejus orig. c. 9. Ad hanc Pelagianorum opinionem accedunt Catharinus & Pighius, quibus se adjunxisse videtur noster Cardinalis Sfonderatus in suo Nodo prædestinationis &c. contendentes parvulos illos post judicium extremum & generale habitaturos super faciem terræ, tanquam in Paradiso terrestri, plenos sapientiâ & virtutibus moralibus, itidemque fruituros consortiô Angelorum, &c.

138 Tertia sententia docet parvulos sine Baptismo decedentes, æterna morte plecti in inferis, sed ita puniri pœnâ damni, quæ in privatione visionis beaticæ consistit (*q*), ut nullum sive internum sive externum dolorem patiantur. Ita docet S. Thomas q. 5. de malo, a. 2. & 3. & cum eo aliquot alii.

139 Quarta docet infantes sine Baptismo decedentes non solùm puniendos esse pœnâ damni, sed etiam internum animi dolorem ex privatione beatitudinis æternæ percepturos, immunes tamen fore à pœna sensûs, quæ in cruciatu ignis & vermis posita est. Ita Magister Sententiarum lib. 2. sent. Dist. 33. & cum eo alii non pauci.

140 Quinta denique sententia parvulos raptos ante Baptismum docet in inferis propter peccatum originale utrâque pœnâ, damni scilicet & sensûs, in æternum cruciandos. Hanc esse S. Augustini & aliorum Patrum sententiam probat Gregorius Ariminensis, in 2. sent. dist. 33. q. 3. & cum eo alii Scholastici Doctores, quos recenset Cardinalis Norisius, in Vindiciis Augustinianis, c. 3. §. 5. In hac sententia re ipsa fuisse videntur Patres Latini post exortam hæresim Pelagianam, ut infrà exponemus. Quid nos circa has sententias & opiniones sentiamus, modò aperiendum. Sit igitur

CONCLUSIO I.

Parvuli, qui moriuntur sine Baptismo, post hanc vitam in altera neque supernaturali neque naturali beatitudine fruentur. 141

Prob. 1ma pars ex S. Scriptura Joan. 3. v. 5. *Nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* Ergo infantes, qui non renati ex aqua & Spiritu Sancto, seu non baptizati ex hac vita decedunt, non poterunt introire in Regnum Dei, adeoque frui beatitudine supernaturali, utpotè quæ est in Regno Dei seu cœlorum.

(*r*) Prob. 2da. pars. 1mo. Ex S. Scriptura Ephes. c. 2. *Eramus naturâ filii iræ sicut & cæteri.* Ergo infantes omnes etiam Fidelium ab origine sua sunt propter peccatum originale filii iræ, hoc est, obnoxii Dei odio & vindictæ, quam evadere non possunt nisi per hujus peccati remissionem. Sed qui sunt obnoxii pœnis

(*q*) Privatio visionis Dei intuitivæ simpliciter à Theologis vocatur pœna damni; quia est privatio summi boni: sicut enim Deus dicitur simpliciter ipsum bonum, non verò hoc aut illud bonum sed quidquid concipi potest nomine boni: sic privatio Dei non est quoddam peculiare damnum, quemadmodùm pœna sensûs, sed est ipsum damnum virtualiter complectens quidquid significatur nomine damni. Tale quippè est damnum cum proportione, quale est bonum, quo privamur. Majus est v. g. damnum, graviorque pœna privari oculis, quàm digitô; quia oculi sunt quid digitô præstantius. Atqui Deus est omne bonum, seu bonum ipsum. Ergo privatio Dei est virtualiter omne malum, & damnum ipsum.

(*r*) Sequentes probationes etiam valent pro prima parte Conclusionis. Si enim parvuli decedentes sine Baptismo nulla naturali beatitudine fruuntur, multò minùs supernaturali gaudere poterunt.

nis privantur omni beatitudine. Ergo. Item Apocalyp. 20. *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Ergo infantes sine Baptismo mortui, qui proindè non sunt scripti in libro vitæ, detinentur in stagno ignis: & consequenter nullatenus sunt beati.

142 Prob. 2do. Ex Concilio Carthaginensi apud S. Augustinum Ep. 90. ubi sic definit: *Quicumque negat parvulos per Baptismum Christi à perditione liberari; & salutem percipere sempiternam, anathema sit.* Item ex Concilio Florentino in Decreto Fidei, ubi declarat, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Sed animæ, quæ sunt in perditione, & quæ in inferno puniuntur pœnis, carent sanè beatitudine non solùm supernaturali, sed etiam naturali: nam beatitudo generatim sumpta, & prout præscindit à supernaturali & naturali, excludit omne malum. Ergo &c.

143 Prob. 3tio. Ex SS. Patribus; pro omnibus sit S. Augustinus, cæteri videri possunt apud Bellarminum lib. 6. de statu peccati. Igitur hic S. Doctor lib. 1. de anima & ejus origine, c. 9. *Non baptizatis*, inquit, *parvulis nemo promittat, inter damnationem regnumque cælorum, quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum: hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit.*

Conclusio II.

144 Probabilius videtur parvulos, qui sine Baptismo decedunt, passuros esse internum animi dolorem propter privationem cœlestis beatitudinis.

Prob. 1mo ex S. Scriptura Rom. 5. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Certè condemnatio significat pœnæ inflictionem, quæ sine dolore esse non potest. Item ex Apocalyp. 20. *Qui non sunt scripti in libro vitæ, missi sunt in stagnum ignis.* Nemo autem potest detineri in igne tartareo, quin indè dolorem saltem internum percipiat.

Prob. 2do. ex S. Augustino, qui lib. 145
1. de anima & ejus orig. c. 9. primùm citatô docet, parvulos sine Baptismo decedentes nullum habere locum cujuslibet quietis: At si nullum dolorem, ne internum quidem, paterentur, magna quiete in æternum fruerentur. Et lib. 6. contra Julianum c. 10. de parvulis illis hæc ait: *Si hoc eis non erit malum* (quòd scilicet in æternum excludantur à regno cœlesti) *non ergo amabunt Regnum Dei tot innocentes imagines Dei? Si autem amabunt, & tantùm amabunt, quantùm innocentes amare debent Regnum ejus, à quo ad ipsius imaginem creantur, nihil ne mali de hac ipsa separatione patientur?* Infantes illos vocat innocentes, vel quia carent omni peccatô personali, vel quia Julianum sugillare vult, atque ex ejus doctrina loquitur, atque ejus verba assumit.

Adducuntur adhuc ab aliquibus alii Patres; ut S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum c. 3. ubi dicit infantes sine Baptismo mortuos interminabilia ignis æterni sustinere supplicia. S. Gregorius Magnus lib. 9. Moral. c. 12. ubi ait eos perpetua tormenta percipere. Sed hæc & similia non solum animi dolorem, sed pœnam sensûs etiam innuunt.

Prob. 3tio. Ratione. Quia dolor in- 146
ternus per se ac naturaliter sequitur ex beatitudinis privatione, & ex detentione perpetua in carcere infernali.

Absurdum proinde est, Deum miraculosè impediturum, atque suum concursum

ſum denegaturum, ne parvuli ex hac damnatione internum animi dolorem ac triſtitiam percipiant; ſi enim permittit parvulos ob ſolum peccatum originale cruciatus corporis in hac vita ſuſtinere, à fortiori credendum eſt, eos in altera vita dolere ob amiſſam beatitudinem.

Multò minùs veriſimile eſt, parvulos ſine baptiſmo defunctos ignorare ſe propter peccatum excludi ab æterna felicitate; nam ratio naturalis dictat, eum, qui punitur, conſcium eſſe debere peccati, propter quod pœnam meretur, alioquin videretur ipſi injuſta. Hinc parvuli ſtatim à morte ſubeunt Dei judicium, interim reſervati ad univerſale, in quo ſupremus Judex ſententiam publicè proferet in omnes peccatores, puſillos & magnos, quemadmodùm docet S. Auguſtinus Ep. 166. cap. 8. & Serm. 294. aliàs. 14. de verbis Apoſtoli.

CONCLUSIO III.

147 Infantes ſine Baptiſmo decedentes, immunes ſunt à pœna ſenſûs ſeu à cruciatu ignis ſenſibilis. Ita Theologi communiter à Sæculo XIII (ſ).

Prob. 1mo. ex S. Scriptura. Quia ex Apoc. c. 18. v. 7. illicitæ delectationi perceptæ reſpondere videtur pœna ſenſûs; *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum & luctum.* Atqui infantes illi nullam experti ſunt voluptatem. Ergo pœnis illis non videntur obnoxii. Item Iſaiæ ult. & Marci 9. v. 45. ignis, quo damnati torquentur, conjungitur cum verme, ſeu cum conſcientiæ morſu: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Atqui nullo conſcientiæ ſtimulo torqueri poſſunt infantes illi. Ergo.

Prob. 2do. ex SS. Patribus & Docto- 148
ribus. S. Gregorius Nazianzenus orat. 40. de infantibus ſine Baptiſmo decedentibus ait: *futurum exiſtimo, ut poſtremi nec cœleſti gloriâ, nec ſuppliciis à juſto Judice afficiantur, utpotè licèt Baptiſmô conſignati non fuerint, improbitate tamen* (perſonali) *carent.* Ibi tamen nonnegat eos plecti pœnâ damni; ſed potiùs id agnoſcit, cùm ait eos cœleſti gloriâ privari, quam privationem per ſe & naturaliter ſequitur dolor internus animi.

S. Gregorius Niſſenus, Orat. de iis, qui præmaturè abripiuntur, in fine ait: *Immatura mors infantium, neque in doloribus ac mæſtitia eſſe eum, qui ſic vivere deſiit, intelligendum eſſe nobis ſuggerit.* Ibi non excludit mœſtitiam ac dolorem internum, qui per ſe & naturaliter ex beatitudinis privatione ſequitur, ſed dolores à Deo inflictos per cruciatum ignis, & mœſtitiam indè ortam.

S. Thomas, q. 5. de malo, a. 2. *In peccato originali*, inquit, *non eſt converſio* (ad creaturam) *ſed ſola averſio* (à Deo) *vel aliquid averſioni reſpondens, ſcilicet deſtitutio animæ à juſtitia originali; & ideò peccato originali non debetur pœna ſenſus, ſed ſolùm pœna damni, ſcilicet carentia viſionis beatificæ.*

S. Bonaventura, in 2. Diſt. 33. a. 3. q. 1. ubi expoſitâ oppoſitâ ſententiâ, quam paucorum eſſe dicit, ſic loquitur: *Sed cùm valdè durum illud dicere videatur, quòd Deus tam durè & tam aſperè agat cum parvulis ſic decedentibus, qui omninò non potuerunt vitare nec mortem culpæ, nec mortē naturæ: præſertim cùm videamus Deum cum impiiſſimis & ſceleratiſſimis peccatoribus*

(ſ) Gaſpar Juenin Inſtit. Theolog. Tom. 6. Diſſert. 7. de peccato originali q. 5. c. 2. contrarium tuetur.

ribus in multis misericorditer agere; *ideò est alia positio mitior*, *quæ magis concordat pietati fidei*, & *judicio rationis*, *quòd quia parvuli decedentes cum originali*, *carent justitiâ*, & *Spiritûs sancti gratiâ*, *quæ est pignus hæreditatis æternæ*, *privantur in æternum Dei visione*; *quia verò in carne fuit fœditas*, *ideò ponentur in loco vili*, *utpotè infernali*: *sed quia non habuerunt in se actualem delectationem peccati nec in spiritu*, *nec in carne*, *ideò non sentiunt pœnæ ignis acerbitatem. Hunc modum dicendi magis approbant Magistri communiter.* Eandem sententiam amplectitur Scotus in 2. Et in Scholis communis evasit.

149 Prob. 3tio. Ex Cap. *Majores* de Baptismo. ubi Innocentius III. Pontifex doctissimus sic ait: *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei*, *actualis verò peccati est* (insuper) *gehennæ perpetuæ cruciatus.* Ubi discrimen statuit inter species pœnarum peccati originalis, & actualis seu personalis; & dicit, pœnam peccati originalis esse carentiam visionis Dei, & consequenter dolorem, qui per se ex ea naturaliter sequitur: pœnam verò peccati personalis esse insuper cruciatum ignis.

150 Prob. 4to. Ex Concilio Florentino, in litteris unionis definiente, *illorum animas*, *qui in actuali mortali peccato*, *vel solo originali decedunt*, *mox in infernum descendere*, *pœnis tamen disparibus puniendas.* Quibus verbis satis significat utriusque peccati pœnas esse specie, & non tantùm intensione, diversas; dicit enim *pœnis disparibus*, non *æqualibus*.

Denique hanc doctrinam videtur supponere disciplina Ecclesiæ, quæ nullam in baptizandis adultis satisfactionem exigit. Si enim peccatum originale pœnis sensûs subditum fuisset; certè pœnarum immunitatem omnibus baptizatis non indulsisset Ecclesia, nec eos alia lege excepisset ac suscepisset, quàm illos suscipiat, qui post Baptismum lapsi sunt.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1mo. Contra Conclusionem 1mam. 151
S. Augustinus, lib. 3. de lib. arb. c. 23. sic scribit: *Quis novit*, *quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus*? Ergo S. Augustinus agnovit possibilem esse medium locum inter regnum cœlorum & damnationem.

Resp. neg. conf. Eo loci S. Augustinus contra Manichæos disputat, qui duo rerum principia statuebant, unum bonum, malum alterum: ex pœnis autem, quas patiuntur parvuli, & ex præmatura eorum morte inferebant existentiam mali principii. Sanctus verò Augustinus hac ratione eorum argumentationem diluit, nempè Deum optimum maximum propter ejusmodi pœnas temporales & transitorias remunerare posse parvulos in altera vita, ac proinde providentiam ejus in hac parte esse laudandam, nedum vituperandam. Sed nullatenùs attingit quæstionem de peccato originali, quia nondum nata erat illa controversia. Ita se ipsum explicat Ep. 166. olim 28. ad S. Hieronymum. *Nam & de Baptismo parvulorum*, inquit, *in eodem libro non quidem sufficienter*, *sed quantùm illi operi satis esse videbatur*, *utcunque respondi .... non tamen de damnatione eorum parvulorum*, *qui sine illo* (Baptismo) *ex hac vita migrant*, *tunc aliquid dicendum putavi*: *quia non*, *quod nunc agitur*, *agebatur.* Cumque Semipelagiani eundem ipsum librum contra S. Augustinum posteà urgerent, S. Doctor lib. de dono persev. c. 12. sic respondet: *Frustrà itaque mihi de illius libri mei vetustate præscribitur .... Si enim quando libros de libero arbitrio Laicus cæpi*, *Presbyter explicavi*, *adhuc de damna-*

natione infantium non renascentium liberatione dubitarem, nemo, ut opinor, esset tam injustus, atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret.

152 Ob. 2do. Contra Conclusionem 2dam. Parvuli sine Baptismo decedentes non patientur pœnam sensûs juxta nos. Ergo nec dolorem internum, seu tristitiam.

Resp. neg. cons. & parit. Disparitas est, quia nulla post hanc vitam esse poterit sensûs pœna, nisi à Deo directè infligatur. Arbitramur autem non convenire justitiæ & bonitati divinæ, ut directè infligatur pœna ei, qui non peccavit voluntate physicè propria, sed tantùm voluntate aliena, quæ independenter ab eo fuit ei moraliter propria, nec ullam habuit voluptatem, juxta illud Apoc. 18. *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* At dolor animi ex beatitudinis privatione ortus, non propriè ac directè infligitur, sed per se & naturaliter ex ea sequitur.

153 Ob. 3tio. Infantes sine Baptismo decedentes nec aptitudinem, nec jus habent ad Dei visionem beatificam, ut patet. Ergo de illius privatione dolere non possunt.

Resp. Dist. ant. non habent aptitudinem proximam &c. trans. saltem remotam, neg. ant. Esto parvuli illi non habuerint aptitudinem proximam ad visionem &c, quia non fuerunt Baptismi gratiam assecuti: attamen habuerunt semper remotam. Dei enim gratiâ donari potuerunt, cùm Deus eis gratias præparavit: imò & in eis erat jus ad illam visionem, saltem in primo homine adhuc innocente.

154 Ob. 4to. Parvulis Visio Dei intuitiva, utpotè donum singulare naturaliter ignotum, nota non erit. Ergo nec de ejus privatione dolere poterunt: sicut enim nulla movet ignoti libido; ita nec molestiam infert boni non cogniti natura.

Resp. neg. ant. Equidem divinâ tantùm gratiâ in visionis divinæ cognitionem venimus; illo tamen dono in primi parentis pœnam orbari se intelligunt infantes sine Baptismo mortui ex judicio divino. Ut enim habet S. Augustinus lib. 3. contra Julian. c. 12. Exigit justitiæ ordo, ut qui judicium subit, judicis audiat sententiam, & sententiæ æquitatem, & proindè quæ pœna sit sustinenda, & quam ob causam; prout jam suprà Conclus. 2. prob. 3. circa finem annotavimus.

Inst. Si parvuli illi post hanc vitam intellecturi sint justa Dei ordinatione & judicio se privari beatitudine cœlesti, tunc vel hoc ipso non dolebunt; vel si doluerint, perversæ erunt voluntatis, & de divinis judiciis murmurabunt. Atqui perversæ non erunt voluntatis, nec de divinis judiciis murmurabunt. Ergo nec dolebunt. 155

Resp. neg. sequel. maj. quoad utrumque membrum. Nam necesse non est, ut qui justum Dei judicium in sua afflictione cognoscunt, aut non doleant, aut de eo obmurmurent: potest enim fieri, ut verè patiantur, sed patienter, & sine querimonia. Enimverò etiam animæ in Purgatorio cognoscunt se justô Dei judiciô pœnas acerbissimas, quas sentiunt, luere; nec tamen inordinatè agunt patiendo dolorem ex retardatione beatitudinis, nec de Deo conqueruntur.

Ob. 5to. Infantium pœna post hanc vitam erit mitissima, ut docet S. Augustinus lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 16. ubi, *Potest*, inquit, *rectè dici parvulos sine Baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros.* 156

Idem docet Enchirid. c. 93. Atqui talis non esset infantium pœna ob privationem visionis intuitivæ Dei; nam ex illius privatione profectus dolor summus non esse nequit, Ergo.

Resp. Dist. maj. Pœna infantium erit mitissima comparatè ad pœnam adultorum, qui peccato originali peccata personalia seu actualia addiderunt, conc. Absolutè & secundùm se, neg. maj. Equidem inter dolores, qui in infernis sustinentur, gravissimus est ille, qui ex Dei visionis privatione oritur: *Perire à Regno Dei*, inquit laudatus S.August. Enchirid. c. 112. *exulare à civitate Dei, alienari à vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, perficit autem sperantibus in se, tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta, quæ novimus comparari.* Infantium tamen cum originali peccatô decedentium pœna ab eodem S. Augustino dicitur omnium levissima; quia nemo, præter illos, in inferis est, qui pœnæ adeò mitissimæ subjiciatur. Pœna autem hæc parvulorum comparatè duntaxat ad pœnam adultorum mitissima erit; idque triplici de causa: 1mo. Quia adulti reprobi punientur pœnâ tùm damni tùm sensûs; infantes autem pœnâ solius damni. 2do. Adulti pœnæ damni annexum habebunt vermem conscientiæ, quo parvuli carebunt. 3tio. Adulti dolorem ex jactura beatitudinis gravissimum percipient, infantes verò respectu illorum levissimum. Tantò enim dolor de re amissa gravior est aut levior, quantò quis majorem aut minorem ad eam rem consequendam dispositionem seu potestatem habuit. Nulli autem damnatorum minorem potestatem ad cœlestem beatitudinem habuerunt, quàm ii, qui ante usum rationis de vita migrârunt.

157 Ob. 6to. S. Augustinus lib. 3. de lib. arb. c. 23. *Non enim metuendum est*, inquit, *ne vita esse potuerit media quædam inter rectè factum & peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium.* Ergo.

Resp. neg. conf. Huic objectioni jam satisfecimus hìc in responf. ad Ob. 1. S. Doctor ibi solùm vult possibilem esse hypothesim, in qua parvuli, antequam mereri & demereri possint, ex hac vita decedentes, nec præmiô nec suppliciô afficiantur. Tunc autem de pœnis infantium tractare noluit, quia hoc necessarium non erat ad refellendum errorem Manichæorum de duarum naturarum contrariarum permixtione, ut ipsemet testatur, lib. de dono perseverantiæ, c. 12. his verbis: *Cùm verò rectiùs possit intelligi, non me propterea de hac re dubitasse credi oportere, quia, contra quos mea dirigebatur intentio, sic mibi visi sunt refellendi, ut sive pœna esset peccati originalis in parvulis, quod veritas habet; sive non esset, quod nonnulli errantes opinantur; nullo modo tamen, quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet & mali, permixtio crederetur.* Vide dicta in Resp. ad Ob. 1.

Solvuntur Objectiones

Contra Conclusionem tertiam.

Ob. 1mo. Matth. 3. de Christo dicitur: *Permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in borreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Atqui parvuli sine Baptismo morientes, non sunt triticum in horreum inferendum. Ergo sunt paleæ ignis æterni pabulum futuræ. 158

Resp. neg. supposit. Nam hic textus non spectat infantes non baptizatos; quia nomine areæ intelligitur Ecclesia Catholica, in qua sunt boni malis admixti, ut grana paleis, & in qua nunquam fuerunt infantes non baptizati.

Ob.

159 Ob. 2do. Matth. 13. dicitur : *Sic erit in consummatione Sæculi* ; *exibunt Angeli*, *& separabunt malos de medio justorum*, *& mittent eos in caminum ignis*, *ibi erit fletus & stridor dentium.* Atqui parvuli non baptizati erunt de numero malorum. Ergo separabuntur de medio justorum, ut mittantur in caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium.

Resp. iterum neg. suppos. Nam hic locus non spectat infantes sine Baptismo mortuos : sed ibi Scriptura loquitur de judicio extremo, prout spectabit eos, qui fuerint in Ecclesia. Nam verba citata sunt conclusio parabolæ sagenæ missæ in mare bonos & malos pisces congregante ; quæ sagena non mundum universum, sed solùm Ecclesiam significat, in qua sunt boni & mali, & in qua nusquam fuerunt infantes sine Baptismo mortui.

160 Ob. 3tio. Matth. 25. Dicturus est Dominus in sinistra collocatis : *Discedite à me maledicti in ignem æternum &c. . . Ibunt in supplicium æternum.* Et Apocal. 20. *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus*, *missus est in stagnum ignis.* Atqui parvuli non renati in sinistra sunt futuri, nec sunt scripti in libro vitæ. Ergo cum cæteris in ignem æternum detrudentur, atque in stagnum ignis mittentur.

Respondent aliqui, laudata Scripturæ verba non de infantibus sine baptismo decedentibus, sed de solis adultis esse intelligenda : hæc quippè sola damnationis causa profertur Matth. 25. *Esurivi enim*, *& non dedistis mihi manducare*, *&c.* Ejuscemodi verò criminis conscii nequeunt esse infantes. Et Apocalypsis 20. inquit textus : *Judicati sunt mortui ex his*, *quæ scripta erant in libris secundùm opera eorum . . . judicatum est de singulis secundùm opera ipsorum . . . . qui non inventus est in libro vitæ scriptus &c.* Nam parvuli non habent opera propriâ voluntate facta, secundùm quæ judicentur ; hîc autem sermo est de operibus propria voluntate perpetratis.

Respondent alii, & fortè melius, parvulos non baptizatos mittendos quidem esse in stagnum ignis, in ignem æternum, non ut ibi comburantur, sicut adulti reprobi, sed ut captivi detineantur in æternum.

Ob. 4to. Pelagiani docebant infantes sine Baptismo mortuos excludi à Regno cœlesti, & per vitam æternam, quam eis tribuebant, intelligebant solam immunitatem ab omni pœna sensibili. Ergo nostra doctrina est Pelagiana. 161

Resp. neg. ultimum membrum anteced. Nam Pelagiani per vitam illam æternam, quam infantibus illis tribuebant, intelligebant naturalem quandam beatitudinem, quæ sanè non potest consistere in sola immunitate ab omni pœna sensibili, nec stare cum interno animi dolore orto ex privatione beatitudinis cœlestis, & ex detentione in tenebricoso inferni carcere, quo dolore dicimus infantes illos in æternum cruciatum iri in vindictam peccati originalis.

Ob. 5to. Infantes sine Baptismo mortui habebunt corpora passibilia, non gloriosa. Ergo in Inferno ignis actionem patientur. 162

Resp. neg. cons. Quia licèt damnatorum omnium corpora futura sint passibilia, tamen non patientur, nisi secundùm ordinationem divinæ justitiæ, & supernaturaliter. Nam cùm post judicium extremum cessabit ortus & interitus rerum naturalium, tolletur à corporibus vis agendi in alia corpora : undè si agent, agent tantùm ut divinæ justitiæ instrumenta. Quare cùm divinæ justitiæ ratio non exigat, ut infantium corpora ignem pa-

patiantur, immunia erunt à cruciatu ignis, quamvis alioqui non gloriosa, sed cæterorum damnatorum corporibus similia sint futura.

163 Ob. 6to. Infantes in hac vita puniuntur pœna sensûs propter originalem culpam: nam ideò sunt obnoxii fami, siti, morbis, aliisque miseriis. Ergo in altera vita sic punientur.

Resp. neg. ant. Nam molestiæ quæ renatis infantibus in hac vita obveniunt, non tam pœnæ locum habent, seu Judicis imaginem referunt, quàm paternam Dei benignitatem commendent, utpotè quæ prosint parvulis. Nam castigationibus illis parentes, si piè senserint, monentur, qua sollicitudine infantibus sit consulendum, ut à peccatis, quæ tot calamitates invehunt, perpetrandis serventur, & quantô studiô saluti propriæ studere debeant. Vel negari etiam potest conf. Quia quamvis in tempore multis pœnis sensibilibus justè puniantur, tamen divinam bonitatem, æquitatem, ac benignitatem non decet eos in æternum punire cruciatibus à Deo ipso directè inflictis. Adde, quòd dolor, quem ex detentione in igneo & tenebricoso inferni carcere patientur, sit æquivalenter quædam pœna sensûs.

164 Ob. 7mo. Infantes baptizati fruuntur non solùm possessione Dei, sed etiam bonis corporis, quæ Beatorum dotes vocantur. Ergo à contrario infantes non baptizati non solùm privatione Dei, sed etiam pœnis sensibilibus corporis cruciabuntur.

Resp. neg. conf. Disparitas est, quia infans per gratiam sanctificantem in Baptismo acceptam constituitur filius Dei adoptivus, hæres Regni cœlestis, & Cohæres Christi: unde jus habet non solùm ad possessionem fruitivam Dei, sed etiam ad dotes omnes corporum Beatorum, quæ connaturaliter illis debentur. At infans non baptizatus, propter peccatum originale sufficienter punitur privatione possessionis Dei, & detentione in igne tartareo, nec insuper ei debetur cruciatus sensibilis ignis æterni.

Objiciuntur denique 8vo. Patres latini, qui magno consensu partem affirmativam, nempè infantes sine Baptismo mortuos non solùm pœnâ damni, sed etiam pœnâ sensûs & ignis æternùm cruciandos fore, post exortam Pelagianorum hæresim, tenuêre. Ut 1mo. S. Augustinus variis in locis præsertim Serm. 14. de Verbis Apost. c. 3. ubi, *Venturus est Dominus, & judicaturus de vivis & mortuis..... Sinistris dicturus: Ite in ignem æternum, qui paratus &c. Dextris dicturus: Venite benedicti .... Nullus est relictus medius locus, ubi ponere queas infantes; de vivis & mortuis judicabitur. Alii erunt ad dextram, alii ad sinistram; non novi aliud.... Si ergo dextra erit & sinistra, & nullum medium locum in Evangelio novimus.... Quid erit in sinistra? Ite in ignem æternum..... Certè habere non potest vitam æternam, qui non baptizatur; non erit in dextra, id est, in regno non erit.... Extrema autem sententia, ut doceret, quid sit regnum, & quid sit ignis æternus, tunc, inquit, abibunt isti in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Ecce exposui tibi, quid sit Regnum, & quid ignis æternus, ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in ignem æternum.* Ergo ex S. Augustino infantes sine baptismo mortui ibunt in combustionem æternam. 165

2do. S. Hieronymus in tertio contra Pelagianos dialogo, sub nomine Critobuli hanc Pelagianorum contra Catholicos refert querimoniam: *Non possum ultrà differre. Omnis vincitur patientia vestrorum iniquitate verborum. Oro te quid infantuli peccavêre? ... Peccare*

non

non possunt, & possunt perire. Genua labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua non videtur, & æternæ miseriæ cruciatus miseris præparantur. Ad hanc autem querelam respondens Hieronymus, non negat hanc esse suam & aliorum Catholicorum sententiam, quòd parvulos non baptizatos in altera vita maneant æternæ miseriæ cruciatus, seu æternum ignis supplicium; nam nihil aliud per æternæ miseriæ cruciatus videtur intelligere. Sed totus est in probando, *omnes homines, aut antiqui propagatoris Adam, aut suo nomine teneri peccatô obnoxios.* Quod non videtur facere, nisi ut ostendat parvulos non baptizatos æternæ miseriæ cruciatibus, seu æternô ignis suppliciô dignos esse.

3tio. Auctor Hypognostici apud S. Augustinum lib. 5. contra Julian. inter cœlestem beatitudinem, & ignis æterni gehennam nullum fore medium asserit & inculcat. *Primum locum*, inquit, *fides Catholicorum divina auctoritate regnum credit esse cœlorum, unde, ut dixi, non baptizatus excipitur: Secundum gehennam, ubi omnis Apostata, vel à Christi fide alienus, æterna supplicia experietur: tertium penitus ignoramus, imò nec esse, in Scripturis sanctis inveniemus. Finge, Pelagiane, locum ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni à Christi gratia, vitam requiei & gloriæ possidere parvuli possint. Dextera est justi sedentis Judicis, & sinistra; regnum est & gehenna, vita est & mors, justi sunt & iniqui. In dextera igitur justi sunt constituti, in sinistra operarii iniquitatis. In regno requies baptizatorum, in gehenna pœna incredulorum. Vita ad lætitiam gloriæ, mors ad fletum & stridorem dentium. Justi in regno Patris cum Christo, iniqui in igne æterno, parato diabolo & Angelis ejus. Sed hæc dicens, non divisiones multorum locorum dedi, nisi duorum tantùm: quoniam ad duo, regnum videlicet & gehennam, hæc omnia referuntur, etiamsi plura dicantur.*

4to. S. Avitus Viennensis in carmine ad sororem Fuscinam sic de parvulo sine Baptismo moriente ait:

Quique genitricis cùm cessat filius esse,
Perditionis erit: tristes tunc edita nolunt,
Quæ flammis tantùm genuerunt, membra parentes.

Ecce apertè dicit parvulos non baptizatos, esse filios perditionis, & flammis urendos in inferno.

5to. S. Fulgentius, lib. de Fide ad Petrum c. 27. sic ait: *Firmissimè tene & nullatenùs dubites .... parvulos, qui.... sine Sacramento sancti Baptismatis moriuntur, ignis æterni sempiternô suppliciô cruciandos: quia etsi peccatum propriæ actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt.*

6to. Quindecim Episcopi Africani, in Sardinia exules, & quorum unus erat ipse Fulgentius, non minùs apertè loquuntur in lib. de Incarn. & Grat. apud eundem Fulgentium c. 30. asseruntque parvulos *sine Baptismo mortuos æternis cruciatibus damnari, eosque interminabili deputatos incendio.*

7mo. S. Gregorius Magnus lib. 9. moral. c. 12. ait parvulos, *quos à culpa originis sacramenta salutis non liberant, & qui hîc ex proprio nihil egerunt, illuc* (in altera vita scilicet) *ad tormenta pervenire.... perpetua quippe tormenta* (nempè ignis æterni cruciatus) *percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.*

8vo. S. Isidorus Hispalensis lib. 1. differ. Spir. num. 26. hæc habet: *Illud tamen tenendum est, parvulorum animas nexu*

nexu peccati originalis esse astrictas, quæ nisi percipiant Baptismatis Sacramentum, regni cœlestis participes esse non possunt; sed cum carne & commune habebunt peccatum, & pari judiciô damnabuntur in ignem æternum, id est, ad cruciatum ignis æterni.

9no. S. Anselmus, lib. de conceptu Virginis & peccato originali c. 22. sic loquitur: *Sed cùm nemo dubitet, quia par pæna non sequatur imparia peccata, in hoc tamen similis est & personalis & originalis peccati damnatio, quia nullus admittitur ad regnum Dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi, sine qua non redditur, quod pro Adæ peccato debetur, quamvis non omnes pariter in inferno torqueri* (id est igne cruciari) *mereantur. Nam post diem judicii nullus erit Angelus aut homo, nisi aut in regno Dei aut in inferno.*

10mo. S. Ælredus Abbas in Anglia, qui floruit Sæculò XII. lib. 1. Speculi charitatis, c. 15. ubi agit de justa parvulorum non baptizatorum punitione per ignem inferni, sic loquitur: *Quid enim? injustum æstimas, ut lignum inutile & infructuosum ignis depascat? Cogita quæso, totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsa radice vitiatum, utpotè venenô antiqui serpentis inficiatum, justissimè addictum flammis, igni destinatum, adjudicatum damnationi.*

Respondent plerique (*t*) adductis locis, tùm S. Augustinum, tùm cæteros Patres, qui illius sententiam amplexi esse videntur, solùm intendere, infantes sine Baptismo mortuos igne æterno cruciatum iri sive per detentionem, sive etiam per combustionem, quod non definiunt. Atque re vera tormenta passuros esse, tùm ex privatione cœlestis beatitudinis, tùm ex sua in igne æterno detentione cum dæmonibus & aliis reprobis.

Verùm nimis aperta videntur esse eorum adducta testimonia, quàm ut hanc interpretationem suscipere facilè possint. Undè dici posse arbitramur, quòd, quia hîc non de re, quæ ad fidem pertineat & dogma Catholicum, utpotè ab Ecclesia nondum definita, sed velut de privato aliorum sensu agitur, & cùm sententia nostra auctoritate Ecclesiæ Patrum S. Augustinô antiquiorum fulta sit, prout ostendimus; necnon brevi post Sæculum XII. sic invaluerit, ut eam omnes, aut ferè omnes Doctores Scholastici sint amplexi, meritò deferi possint S. Augustinus, & qui illius amplexi sunt opinionem Patres reliqui; neque in hoc aliud præstamus, nisi quod ipse Augustinus præstitit, & præstandum significavit, cum de privato aliorum sensu, non de dogmate Catholico ageretur: *Alios*, inquit Ep. 19. *ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quod ipsi ita senserunt.* Et Epist. 111. *Talis ego sum in Scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meorum.*

Certè videtur S. Augustinus, aliàs mansuetissimi ingenii pater, non omninò sua sponte in hanc paulò duriorem sententiam descendisse; sed ea duntaxat ratione, ne videlicet indè quid detri-

(*t*) Post S. Bonaventuram in 2. dist. 33. art. 3. q. 1. ubi, *Dicendum*, inquit, *quòd Augustinus in verbis illis* quæ nos adduximus *non intendit dicere, quòd parvuli sensibiliter crucientur: sed intendit eorum pœnam manifestare quantùm ad carentiam visionis Dei, & quantùm etiam ad vilitatem loci. Et hoc valde abundanter exprimit, plus dicens, & minus volens intelligi.* Et S. Thomas q. 5. de malo a. 2. ad 1. *Dicendum*, ait, *quòd nomen tormenti, supplicii, gehennæ, & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum inveniatur, est large accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere.*

trimenti res Catholica pateretur; & ne Pelagiani ad arripiendum quidquid partibus suis favere utcumque videretur, industrii & paratissimi, exindè vel conficere possent, infantes non renatos quadam felicitate frui; quòd nimirùm nullis subjacerent pœnis. Ut igitur Juliano & cæteris Pelagianis, qui demortuos absque Baptismo infantes à vita æterna non removebant, subterfugium omne præcluderet, & medium quietis & salutis locum, quem propugnabant, uberiùs confutaret; aut pœnam æternam infligi, aut æternam vitam concedi ait. Non alia ergo de causa hanc sententiam amplexus est S. Augustinus, nisi ut Pelagianis omnem cavillandi locum præriperet, simulque conficeret, infantes ob peccatum originale sub Dæmonis potestate jacere, vitâque æternâ, quemadmodùm & regnô cœlorum privari. Non sine causa (inquit S. Bonaventura in 2. dist. 33. a. 3. q. 1. *loquitur sic* (S. Augustinus) *hoc enim facit ad extirpandam illam hæresim* (Pelagianorum) *quæ dicebat parvulos nullâ pœnâ puniri. Undè sicut in moribus documentum est, quòd, qui vult ab uno extremorum pervenire ad medium, quasi debet declinare ad aliud extremum: sic etiam Beatus Augustinus, ut illam hæresim extirparet, quæ dicebat parvulos ab omni pœna immunes, & ad medium reduceret, videlicet ad pœnam carentiæ visionis Dei, simpliciter asseruit eos cum aliis peccatoribus æternaliter damnari. Istum autem suum intellectum explanavit in Enchiridio, ubi dixit pœnam eorum esse mitissimam.* Et S. Thomas quæst. de malo 5. a. 2. ad 1. *Ideò autem Sancti* (Patres illi qui infantes non renatos gehennæ & cruciatibus æternis deputare visi sunt) *tali modô loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum esse peccatum, nec eis aliquam pœnam deberi.*

Et quidem hanc suam opinionem eo fidentiùs tuebantur, quòd ad eam stabiliendam in S. Scriptura invenire positiva argumenta viderentur; cùm tamen nostra ex eadem S. Scriptura nonnisi negativum fundamentum cruat; quatenùs nullus in ea locus reperitur, qui cogat ad dicendum parvulos non baptizatos, pœnâ sensûs in æternum puniendos esse.

Absit porrò à nobis, ut hanc sententiam nostram velut fidei dogma propugnare intendamus, ut quam solùm opinionem Scholæ esse ultrò fateamur, quamque ea solummodo ratione cum communi Scholasticorum amplexi sumus, quia videlicet experientiâ constat, fideles ægrè admodum audire, parvulos sine Baptismate decedentes, mitti in ignem æternum cruciandos, & propter hujusmodi sermones scandala interdum oriri in Ecclesia.

Poterunt tamen animarum curatores data occasione prudenter uti severiori opinione contra matres, quæ ex negligentia, vel alio quovis modo fœtus in utero suffocant, aut præmaturè effundunt: benigniore verò lenient dolorem earum, quæ acerbiùs lugent filios suos sine gratia Christi decessisse.





166 # PARS SECUNDA.

De Peccato Personali ejusque subalternis, seu generalioribus Speciebus.

SUprà in proœmio nostri hujus Tractatus peccatum Hominis generatim divisimus in *Originale* & *Personale*. De Originali hactenùs egimus; modò igitur de Personali nobis tractandum venit. Istud ibidem divisimus in *Actuale* & *Habituale*. Actuale diximus esse peccatum spectatum ut actu existens, seu prout actu committitur: Habituale verò esse peccatum spectatum ut jam actu commissum, & physicè præteritum, sed permanens moraliter, seu esse maculam ex actuali peccato consequentem, & in anima remanentem. Undè nihil obstat, quominùs dicamus peccatum Originale etiam rationem habere peccati habitualis, prout jam alibi animadvertimus: nam originale peccatum spectatur quoque ut jam actu commissum, ab Adamo nempè, & physicè præteritum; sed tamen in ejus posteris moraliter permanens; seu est macula ex actuali Adæ peccato consequens, & in posterorum ejus anima remanens, donec per Baptismum deleatur. Ratio peccati habitualis igitur non modò peccatô personali, sed etiam originali convenire dignoscitur. Hìc autem illud sumimus prout ab Actuali profluit; nec ab illo distinguitur, nisi quod physicè præteritum sit, moraliter autem adhuc existat ac in anima remaneat, velut macula, qua ipsa fœdatur, &c. De peccato igitur personali hac secunda Tractatus hujus parte acturi solius actualis nomen usurpabimus; pauca admodùm de habituali differturi, ubi nempè de effectibus peccatorum generatim loquemur: scilicet mox Cap. 1. in quo ea expendemus, quæ de peccatis actualibus generatim discutere solent Theologi; deinde ad generaliores eorundem species, ordine suprà in Tractatûs nostri proœmio indicato, descensuri.

CAPUT PRIMUM.

167 ### *De iis, quæ generatim de peccatis expendere solent Theologi.*

QUatuor potissimùm generatim de peccatis actualibus expendere hìc solent Theologi, scilicet 1mo. Eorum ab invicem distinctionem. 2do. Eorum connexionem. 3tio. Eorum inæqualitatem. 4to. Denique eorum effectus. De quibus singulis Paragraphis agemus.

§. I.

§. I.

De distinctione peccatorum ab invicem.

Ex dictis in Tractatu de Actibus humanis, Actus ab invicem distingui possunt, vel numero, vel specie: Numerô quidem in quantùm sunt actus individuales: specie verò in quantùm diversis specie virtutibus opponuntur: Sic furtum differt ab alio furto tantùm numericè; sicè contra furtum specie differt ab adulterio.

Ex eodem Tractatu c. 3. plura sunt ex quibus peti potest sive numerica, sive specifica peccatorum distinctio; nempe interruptio, Objectum materiale, finis operantis, & circumstantiæ.

168 Distinctio numerica peccatorum sumitur aut ex interruptione, aut ex objecto materiali circa quod peccata versantur. Nam 1mo. quantùm ad interruptionem: Ab eo sumitur distinctio numerica peccatorum, ex quo fit, ut actus non unus sit sed multiplex. Atqui ex interruptione fit, ut actus sit multiplex: sic, qui hodie furatur, distinctum numerô peccatum admittit ab eo, quod heri admisit furando; nec mirum, actus enim, qui moraliter interruptus fuit, non censetur perdurare usque ad tempus, quo alius actus elicitus est.

Porrò illa moralis interruptio censetur accidere 1mo. Cùm prioris actus voluntas revocata fuit aut per contrariam voluntatem, aut per pœnitentiam. 2do. Cùm ea voluntas licèt habitualiter permanens, actu tamen desiit per cogitationem voluntariam de re aliqua, quæ nullam habet cum priori voluntate connexionem. 3tio. Cùm inter unum & alium actum tantùm temporis intercedit, ut, prudentum judiciô, unus actus cum alio actu non colligetur; sic qui odiô in fratrem ante somnum exarsit, & expergefactus eundem odii actum renovat, duplex peccatum admittit. Excipiendus tamen est ab ea regula vir, qui in actu, quem elicuit, virtualiter perseverat; ut patet in eo, qui manè proficiscitur, ut serotinis horis inimicum interficiat; is enim, quamvis in itinere cogitet de variis rebus, quæ ad inimici necem nulla ratione referuntur, non duplicis tamen, sed unius tantùm numericè peccati reus est.

2do. Quantùm ad Objectum materiale, seu distinctionem numericam peccatorum sumi quoque ex distinctione objectorum materialium, quæ intra eandem speciem sunt multiplicia, patet ex eo, quòd ille triplicis peccati reus sit, qui tres homines uno ictu perimit; quia actus, quo interficiuntur illi homines, versatur circa triplex Objectum materialiter & numericè distinctum.

Eandem ob causam, hoc est, propter multiplicationem objectorum materialium, impius apud Sacerdotem accusare tenetur varios tactus impudicos, aut morosas delectationes, quæ fornicationem subsecutæ sunt: non enim dicunt ordinem ad fornicationis actum priùs habitum, nec ex illo sequuntur, sed oriuntur ex mera operantis malitia: secùs de iis dicendum est, quæ brevî fornicationem præcesserunt; unum nempe actum cum illa constituunt, utpotè quæ ad eam tanquam proxima dispositio esse censeantur.

Specifica autem peccatorum distinctio petitur 1mo. ex Objectis specie diversis, circa quæ peccata versantur. 2do. Aliquando à fine operantis. 3tio. Nonnunquam etiam à circumstantiis, quæ actum peccati comitantur. 169

Ratio 1mi est 1mo. Quia ideò, qui v. g. furatur, committit peccatum specie diversum ab eo, qui mentitur, quòd furtum versetur circa Objectum specie diversum ab Objecto, circa quod mendacium versatur. 2do. Quia peccatum ab eo

eo ſumit diſtinctionem ſpecificam, à quo ſumit privationem ſpecie diſtinctam; ſcilicet peccatum poſitum eſt in privatione rectitudinis, quæ actui humano debita ſit. Atqui privatio ſpecie diſtincta ſumitur ab Objecto ſpecie diverſo: objecta enim ſpecie diverſa, ſi mala ſint, privationem includunt ſpecie diverſam, ſcilicet privationem rectitudinum, quæ in virtutibus, quibus illa objecta opponuntur, includuntur: ſic perjurium eſt ſpecie diverſum à furto, quòd perjurium dicat privationem ſpecificæ rectitudinis, quæ continetur in virtute Religionis, per quam perjurium prohibetur.

Ratio 2di eſt; Quia ſpecifica diſtinctio peccatorum ſumitur ab eo, quod in peccato principem obtinet locum. Atqui finis operantis ſpecie diverſus ab Objecto peccati, nonnunquam in actu peccati principem tenet locum: cùm nimirùm actus peccati ſumitur non quidem prout elicitus, ſed prout ex volitione finis ſpecie diverſi imperatur. Undè qui furatur, ut poſtea ſe commaculet adulteriô, potiùs adulter, quàm fur appellatur.

Ratio 3tii denique eſt; Quia ab eo petitur ſpecifica diſtinctio peccatorum, per quod actus peccati privatur honeſtate ſpecie diverſa ab ea, qua, ratione actûs peccaminoſi, privatur. Atqui actus peccati ratione circumſtantiarum aliquando privatur honeſtate ſpecie diverſa ab honeſtate, qua privatur ratione ſui: idque patet in furto, quod quis in Templo committit: in eo nimirùm furto non ſolùm eſt privatio honeſtatis, quam juſtitiæ virtus præſcribit, ſed etiam eſt privatio honeſtatis, quam virtus Religionis imperat. Verùm de his jam fusè actum in Tractatu de Actibus humanis cit. c. 3. ubi vide.

§. II.

De Connexione peccatorum.

Quæſtio hîc eſt; an peccata ſint ita inter ſe connexa, ut qui unius eſt reus, eo ipſo neceſſariò ſit reus aliorum. Sit

Conclusio.

Peccata non ſunt inter ſe connexa; 170
Undè qui unius reus eſt, neceſſariò reus non eſt aliorum.

Prob. 1mo. Ex Scriptura S. qua docemur homines juſtos reos eſſe plurium peccatorum venialium; quamvis tamen immunes ſint à quolibet peccato mortali. 2do. Objecta peccatorum non ſunt inter ſe connexa. Ergo nec ipſa peccata. 3tio. Peccata ſpeciem ſumunt à privatione honeſtatis, quæ eſt in virtutibus, quibus opponuntur. Atqui ejuſmodi privatio non eſt connexa cum aliis privationibus: ſiquidem privatio illius honeſtatis, quæ eſt in miſericordia, nullam habet connexionem neceſſariam cum privatione illius honeſtatis, quæ in juſtitia reperitur.

Dices 1mo. Virtutes omnes, ſaltem in ſtatu perfecto ſumptæ, inter ſe invicem connexæ ſunt. Ergo peccata pariter ſunt inter ſe connexa.

Reſp. conc. ant. neg. conſ. Ratio diſparitatis eſt, quia, ut obſervat S. Thomas, virtutes omnes in uno tertio conveniunt, in charitate ſcilicet, quæ quidem totum operantis affectum colligit: Peccata verò, cùm ſint creaturarum amor, tantùm abeſt, ut in unum colligant totum operantis affectum, quin è contrà ad multa, & quidem oppoſita, Objecta ſenſibilia, diſtrahunt.

Dices 2do. Si peccata non eſſent inter ſe connexa, fieri poſſet, ut qui unum admiſiſſet, non eſſet aliorum omnium

nium reus. Atqui id falsum est; siquidem contrarium docet Apostolus Jacobus Epist. Can. c. 2. cùm ait: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Ergo &c.

Resp. ad 1. neg. min. ad ejus prob. dist. ant. seu textum: Factus est omnium reus, hoc est, non servat totam legem, conc. Factus est omnium reus, hoc est, infringit omnia & singula præcepta legis, neg. ant. Ratio est 1mo. Quia ipse Jacobus expressè asserit loqui se de homine, qui aliqua legis præcepta servaverit: *Quod si*, inquit, *non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Ratio est 2do. Quia Jacobus eo loci probare vult, eum, qui reus est vitii acceptionis personarum, de quo paulò antè locutus fuerat, esse verè transgressorem legis; ac proindè incurrere maledictionem, quam Lex vel unius ex suis præceptis transgressoribus minatur, ut post Moysen hisce verbis testatur Paulus Galat. 3. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* At ut Jacobus probaret eum, qui reus est vitii acceptionis personarum, in illud Legis maledictum incurrere, necesse non fuit, ut doceret, eum reum esse aliorum omnium legis mandatorum, sed è contrà satis fuit, ut ostenderet, hominem illum verè esse transgressorem Legis; ac proindè subjici maledictioni, quam Lex minatur ei, qui eam etiam collectivè, hoc est, secundùm omnia & singula præcepta, quæ continet, non servaverit. Vide Augustinum Ep. 29. ad Hieronymum veteris editionis.

§. III.

De peccatorum æqualitate.

Stoicis olim visum est, peccata omnia esse inter se æqualia; ità ut non minùs reus sit, qui leve, quàm qui grave peccatum committit. Sit

CONCLUSIO 171

Omnia peccata non sunt inter se æqualia.

Prob. 1mo. ex Scriptura S. quæ expressè asserit, aliqua peccata esse aliis graviora; Thren. 4. *Major est iniquitas filiæ populi mei peccatò Sodomorum.* Joan. 19. Idem dicitur de peccato Judæ proditoris respectu peccati, quod à Pilato in damnatione Christi admissum est: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Prætereà iisdem Scripturis docemur, peccata quædam esse, quæ graviùs castigantur, quàm alia: nam Genes. 4. Lamech graviùs castigatur, quàm Cain; Matth. 11. Tyriis & Sidoniis remissius erit in die judicii, quàm Judæis. Matth. 5. Quidam in peccato gradus constituuntur, quibus homo fit reus judicii, concilii, aut gehennæ, Ergo &c.

Prob. 2do. Ratione. Peccatum est recessus ab ordine, quem recta ratio præscribit, quemque Lex æterna conservari jubet, perturbari vetat. Atqui recessus ab illo ordine non est æqualis: nimirùm recessus ille oritur ex inordinata conversione ad creaturam: illa verò conversio non est in omnibus peccantibus æqualis, è contrà modò est major, modò minor, eò quòd inter eos, qui creaturam inordinatè diligunt, nonnulli sint, qui tenaciùs & intensiùs, quàm alii, eam amant. Prætereà ut mox ostendemus, peccatum aliud est mortale, aliud veniale; illudque est gravius, istud verò levius. Ergo &c.

Dices. Peccatum positum videtur formaliter in privatione debitæ rectitudinis. Atqui privatio debitæ rectitudinis est æqualis in omnibus peccatis: non enim datur privatio quæ sit aliâ major, vel minor, cùm & ratione & ex-

Resp. 1mo. macula illa non est posita in sola obligatione ad pœnam: siquidem obligatio ad pœnam præsupponit maculam peccati: scilicet ideò quis obligatur ad pœnam, quia peccati maculam contraxit. Præterea etiamsi Deus statuisset nullam peccatori pœnam infligere; peccator tamen peccati maculam contraxisset. 2do. Macula peccati non est posita simpliciter in *peccasse*; nempe ipsum *peccasse* manet in homine etiam postquam per Sacramentum pœnitentiæ delevit contractam ex peccato maculam. 3tio. Non est quoque in sola inordinatione voluntatis, hoc est, in habituali prædominante creaturarum amore: siquidem per actum imperfectæ contritionis tollitur prædominans creaturarum amor; & tamen, nisi pœnitentiæ Sacramentum actu fuerit receptum, contracta per peccatum macula non tollitur. 4to. Dicendum igitur, maculam peccati non aliud esse, quàm ipsam Dei offensam, quæ licèt actu transierit, nondum tamen per Sacramentorum virtutem est remissa. Ratio est, quia cretura rationalis ratione offensæ nondum remissæ odio habetur à Deo, exosa est illi, & gratia sanctificante destituta. Et hanc maculam peccatum habituale vocamus; quippe qua creatura est habitualiter seu permanenter inimica ac odiosa Deo; in quo propriè ratio peccati habitualis consistit.

Secundò. Reatus pœnæ, hoc est, debitum seu obligatio ad pœnam (*u*), est etiam effectus peccati. Nam illud est effectus peccati, quod per peccatum contrahitur. Atqui per peccatum contrahitur debitum, seu obligatio ad pœnam: quemadmodùm enim per actum virtutis homo justus meretur præmium; ita per actum peccati creatura rationalis contrahit obligationem ad pœnam. Quænam autem pœna peccato debeatur, dicemus infrà, ubi de peccato mortali & veniali agemus.

Tertio denique, Quædam sunt, quæ simul sunt peccata, & peccatorum pœna. Id probat S. Augustinus lib. 5. contra Julianum c. 3. multiplici argumentô. Ac 1mo. laudat hæc Apostoli verba Rom. 1. v. 23. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrū, & quadrupedum, & serpentium: propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Ad quæ sic ait: *Et hîc utique vides causam, propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratam. Dixit quippè quid mali antè fecissent, & adjunxit: propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Proinde præcedentis est hæc pœna peccati, & tamen etiam ipsa peccatum, quod verbis consequentibus explicat.* 2do. adducit plura alia tùm Veteris tùm Novi Testamenti testimonia: ut illud ubi dicitur, *Dominus miscuit illis spiritum erroris, & seduxerunt Ægyptum in omnibus operibus suis &c.* Item illud Prophetæ: *Quid errare fecisti nos Domine à via tua?* Et illud: *Non audivit Amasias* (Regem Israel benè monentem, ne procederet ad bellum) *quoniam à Deo erat, ut traderetur in manus, quoniam quæsierunt Deum Edom.*

Post hæc & alias, quæ adducit ex Scriptura sententias, hisce concludit: *Et multa alia commemorare possumus, in quibus liquidò apparet, occultô Dei judiciô fieri perversitatem cordis, ut non audiatur quod verum dicitur, & nunc peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis*

(*u*) Pœna propriè dicta, est malum seu incommodum aliquod, naturæ vel voluntati contrarium, quod eo fine infligitur, ut culpa aliqua vindicetur.

dentis etiam pœna peccati : Nam credere mendacio, & non credere veritati, utique peccatum est. Venit tamen ab ea cæcitate cordis, quæ occultò judiciò Dei, sed tamen justò, etiam pœna peccati monstratur. Quale est etiam illud, quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus ; Pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, & ideò mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio. Ecce pœna peccati peccatum est. Utrumque claret, breviter dictum est, apertè dictum est, ab eo dictum est, cujus alia verba in tuam sententiam(Julianum alloquitur) *frustrà detorquere conatus es.* Hæc S. Augustinus.

Porro peccatum, sumptum pro reatu culpæ, non est ex parte Dei pœna, quæ præcedentibus peccatis infligatur: scilicet culpa à Deo efficienter esse non potest, ut tamen esse deberet, si ex parte Dei esset pœna peccatori inflicta: è contrà peccatum sumptum pro eo, quod ipsum non impedit, est ex parte Dei pœna præcedentis peccati : hoc est, Deus peccata præcedentia castigat aliis peccatis, in quantùm eum, à quo desertus est, deserit, non quidem impertiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam. *Cùm ergo* (inquit idem S. Doctor loc. cit.) *dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis atque consentit ; vincitur, capitur, trahitur, possidetur : à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est : & fit ei peccatum consequens præcedentis pœna peccati*

CAPUT II.

De peccato commissionis & omissionis, præcipuè autem de peccato Mortali, & Veniali.

174 IN procemio hujusce Tractatus nostri primô locô peccatum actual subdivisimus in peccatum *commissionis*, & peccatum *omissionis.* Prius diximus esse illud, quo præceptum negativum violatur, atque consistere in actu aliquo prohibito : Alterum esse id, quo præceptum affirmativum violatur, atque consistere in omissione culpabili alicujus actus præcepti. Circa peccatum *commissionis* nulla occurrit difficultas. At circa peccatum *omissionis* præcipuè quæri solet, num aliquem actum includat?

Verùm Respondemus, quòd licèt peccatum illud in se nullum actum includere videatur, ut vi nominis ipsius fit apertum ; tamen actum aliquem semper supponere videatur, qui sit causa vel occasio illius omissionis ; tùm quia fieri non potest, ut v. g. qui die Dominica Sacro non interest, cùm per illum stat, haud ita sit affectus, ut nec velit, nec nolit audire Sacrum, aut nihil exoptet, undè præcepti omissio proficiscatur ; aliàs illa omissio voluntaria non esset, nec proindè peccatum : tùm quia peccatum omissionis est officii erga legem aut statutum prætermissio ex inordinato creaturarum amore orta, prout benè ab aliquibus definitur: quamobrem qui officio deest, cuidam semper obsequitur affectui, quo Deus creaturæ postponitur ; nec ex justitia decidit, nisi mutatô voluntatis studiô. Hinc, ut fusiùs S. Basilius exponit Hom. de Judicio ; & lib. 2. de Bapt. q. 6. æqualiter infringitur Divina Lex præcepti prætermissione, ac præcepti cujusdam infractione. Ideoque maledicto, & igni æterno traduntur, qui pauperibuss auxilio non fuerunt, juxta illud Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum : esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Item de servo, qui talentum terræ mandavit, constituitur: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Ex quo etiam habetur, quid ad inutilem & jejunam quæstionem, quam movent aliqui ; an videlicet dari pos-

possit aliqua præcepti omissio pura, id est, omni voluntatis actu carens, quæ tamen libera sit? respondendum sit, scilicet eam esse impossibilem; quod si tamen per impossibile daretur, eam tamen fore culpabilem; quoniam ex Tract. de Act. hum. c. 1. §. 3. post conclus. 3tiam num. 55. in fin. talis omissio pura esset virtuale & interpretativum libertatis exercitium, adeoque interpretativè voluntaria. Nam si positis omnibus ad agendum requisitis voluntas abstinet ab omni actu, tunc liberè non vult, liberè non agit, ac perindè se habet, ac si positivè nollet, & positivè vellet non agere, &. ideoque peccaret.

Verùm operosior est quæstio, quæ de peccatis mortali & veniali movetur; de qua proindè distinctis Paragraphis agere animus est; atque primò de peccato mortali.

§. I.

Utrum detur peccatum mortale, & per quid constituatur?

Peccatum mortale dicitur illud, quod mortem animæ affert, privando illam vitâ supernaturali, atque pœnam æternam per se meretur.

CONCLUSIO I.

175 Est de fide extare peccatum mortale. Prob. 1mo. ex S. Scriptura, qua docemur multa esse peccata, quæ à regno Dei excludunt: *Qui talia agunt*, ait Apostolus Galat. 5. *Regnum Dei non consequentur*. Docemur, multa esse peccata, in quæ Deus per æternam pœnam animadvertet; *Ite maledicti in ignem æternum*, Matth. 25. inquit Christus, *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Et Apocal. 21. *Homicidis & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus*, hoc est, fraudatoribus, *pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.* Docemur denique, nonnulla esse, quæ præsentem mortem animæ inferunt: Sap. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Et c. 8. *Si secundùm carnem vixeritis moriemini.* Item, *Qui non diligit*, inquit Joannes Epist. 1. c. 3. *manet in morte.* Peccata illa, quorum effectus modò enumeravimus, in Traditione vocantur *Scelera, Flagitia, Crimina.* Ergo Scriptura apertè definit extare peccatum mortale: ac proindè fide Catholica certum est dari tale peccatum.

CONCLUSIO II.

Peccatum mortale tale est ex eo potissimùm, quòd sit gravis offensa Dei, & ejus contemptus saltem virtualis & interpretativus. 176

Prob. Nam peccatum mortale tale est ex eo potissimùm, quia tùm privationem gratiæ sanctificantis, quæ est supernaturalis vita animæ, tùm pœnam æternam meretur. Atqui hoc utrumque per se non meretur præcisè, quia naturam rationalem dedecet graviter; sed potissimùm, quia est gravis offensa Dei, & quidam divinæ majestatis contemptus, saltem virtualis & interpretativus. Ergo.

Verùm eo ipso, quòd peccatum mortale dignoscatur rationem naturalem graviter dedecere, eique omninò repugnare, cujus auctor & vindex est Deus; necnon rectæ rationis dictamen sit intrinsecum & essentiale complementum legis divinæ naturalis; impossibile est, ut dictet aliquid naturæ rationali graviter repugnare, quin simul & indivisibiliter dictet saltem confusè, illud esse à supremo Legislatore graviter prohibitum; adeoque esse gravem Dei offensam.

fensam. Undè Conclusio potiùs rei concipiendæ modum, quàm rem ipsam spectat; vultque tantùm in peccato mortali priùs concipi debere gravem Dei offensam, quàm naturæ rationalis repugnantiam; quamvis re ipsa illud, quod naturæ rationali graviter repugnat, eamque offendit, eo ipso etiam Majestatem divinam graviter offendat, ejusque contemptum connotet, ac proindè gravis sit illius offensa.

§. II.

Utrum peccatum mortale non condonatum puniatur suppliciis æternis: sive, utrum pœnæ damnatorum sint in æternum duraturæ?

177 Omittimus tractare hîc gravem illam, si Superis placet, controversiam, quæ Thomistas plerosque inter & Scotistas viget: num scilicet peccatum mortale in ratione offensæ Dei habeat malitiam seu gravitatem simpliciter, an verò secundùm quid tantùm infinitam? Primum plerique Thomistæ tuentur; Secundum Scotistæ mordicitùs propugnant. Id nos duntaxat scire profitemur, scilicet, quòd, cùm juxta illud morale effatum: *injuria est in injuriato, & honor in honorante*, id est, mensura injuriæ gravis personalis est ipsa persona offensa, sicut mensura honoris est potissimùm dignitas personæ honorantis, necnon Deus, qui est dignitatis infinitæ, per peccatum mortale graviter offendatur, manifestum fit, illud etiam in ratione gravis offensæ habere malitiam & gravitatem infinitam; parùm solliciti, num ea malitia & gravitas dici debeat infinita simpliciter, an verò secundùm quid duntaxat.

178 Hîc ergo in id duntaxat inquirimus, an peccato mortali non condonato, cùm sit infinitæ malitiæ, etiam debeatur infinita pœna, id est, in æternum duratura.

Origenes, ut testatur S. Augustinus lib. de hæres. hæresi 43. docuit, pœnas damnatorum non fore æternas, sed dæmones, & homines reprobos post aliquod tempus ab iis liberatum iri. Quem errorem amplexi sunt Sociniani.

Nota, Quodlibet peccatum mortale duplici pœnâ præcipuâ mulctari, nempè pœnâ damni, & pœnâ sensûs: pœna damni, ut alibi jam annotavimus, consistit in privatione beatitudinis, nempè fruitionis Dei summi boni: pœna verò sensûs in dolore, quem efficit ignis infernalis. Utraque pœna exprimitur, Matth. c. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Hanc utriusque pœnæ rationem affert S. Thomas 1. 2. q. 87. a. 4. Quia peccatum mortale est aversio à Deo, & conversio ad creaturam. Æquum est autem, ut qui se avertit à Deo, ejus fruitione privetur; & qui se convertit ad creaturam cum gravi Creatoris injuria, supplicium patiatur à creatura. Modò sit

CONCLUSIO.

Damnatorum pœnæ sunt æternæ. 179
Est de Fide.

Prob. 1mo. Ex Scriptura Isai. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et c. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Matth. 3. *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Et c. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum... Et ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam.* Marci 9. *Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: ubi vermis*

vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 2. Thess. 1. *Pœnas dabunt in interitu æternas.* Apoc. 14. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Et c. 20. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Nec juvat Adversarios, quòd dicant æternitatem in Scripturis sæpè sumi tantùm pro longissima aliqua duratione: nam sumitur etiam pro duratione finem nunquam habitura; & in hoc sensu sumi, cùm de pœnæ damnatorum duratione agitur, non solùm docet Traditio & perpetuus Ecclesiæ sensus, sed etiam ipsa Scriptura, cùm dicit, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Paleas comburet igni inextinguibili. Ibunt hi in supplicium æternum.* Ubi voces *æternum*, *æternam* sumuntur sane in eodem sensu. Item cùm dicit, *fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Et *cruciabuntur in sæcula sæculorum.*

180 Prob. 2do. Ex Conciliis generalibus. Nam 1mo. Concilium V. ut scribit Nicephorus Callisti lib. 17. c. 27. & 28. damnavit Origenem, quòd doceret, *omnium impiorum hominum, ipsorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura.* 2do. Concilium Lateranense IV. cap. *Firmiter* docet *reprobos cum diabolo pœnam perpetuam recepturos esse.* 3tio. Concilium denique Tridentinum Sess. 6. Can. 25. damnatorum pœnas vocat *æternas.* Et Sess. 14. Can. 5. dicit per peccatum contrahi *amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum.* Concilia autem hæc æternitatem pro longissima tantùm duratione accipere, & ita vocem illam in significatione tantùm impropria sumere, dici non potest sine pervicacia.

181 Prob. 3tio. ex unanimi Patrum consensu. Pro omnibus hîc sufficiant, S. Justinus Martyr, Apol. 2. *Injustos in perpetuo sensu unà cùm malis geniis in ignem mittet sempiternum.* S. Irenæus, lib. 4. c. 47. *Pœna eorum, qui non credunt verbo Dei, & contemnunt ejus adventum, & convertuntur retrorsùm, adampliata est, non solùm temporalis, sed & æterna facta.* Tertullianus Apologet. c. 45. *Nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentiæ occurrimus .... & pro magnitudine cruciatûs non diuturni, verùm sempiterni eum* (Deum) *timentes.* Lanctantius, lib. 7. c. 26. *Eodem tempore fiet secunda illa, & publica omnium resurrectio, in qua excitabuntur injusti ad cruciatus sempiternos.* S. Chrysostomus, Hom. 9. in 1. ad Cor. *Non est hæc parva, quæ proponitur quæstio .... an finem habeat ignis gehennæ? Nam quòd non habeat, Christus pronuntiavit, dicens: Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non desinet... Et Paulus quoque id dicit, ostendens immortale supplicium, & quòd peccatores dabunt pœnas exitiosas & æternas.* S. Augustinus lib. 24. de Civ. c. 9. *Quod de sempiterno supplicio damnatorum per suum Prophetam Deus dixit, fiet omninò, & vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et c. 17. dicit, ab Ecclesia meritò reprobatam fuisse oppositam Origenis sententiam. S. Leo Magnus Serm. 4. de Collectis, c. 3. *Quis istam sortem æternorum cruciatuum non pavescat? quis mala nunquam finienda non timeat?* Et S. Fulgentius lib. 2. de remissione peccat. c. 13. *Permanebit cruciamentorum perennis sensus in mortuis, ubi miseris mori non conceditur in pœnis. . . . Per hoc semper cum corpore morietur anima, cum quo sine fine cogetur æterna communicare tormenta.* Certum est autem hos Sanctos Patres per æternitatem intelligere durationem nunquam finem habituram, ut intelligitur secundùm communem usum in Ecclesia receptum.

182 Prob. 4to. Ex sensu & perpetua Traditione tùm scriptâ, quam produnt adducta tùm Conciliorum tùm Patrum testimonia, tùm orali Ecclesiæ; quæ de manu ad manum, & de ore ad os hunc suum sensum ad nos usque pertulit.

183 Prob. 5to. Ratione. Quia peccatum mortale habet malitiam infinitam, prout suprà annotavimus. Ergo meretur pœnam acerbissimam, & infinitam saltem in duratione.

Solvuntur Objectiones.

184 Objiciuntur 1mo. Multi textus Scripturæ. 1mo. Illud Psal. 102. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.*

Resp. Hic textus spectat præsentem vitam, in qua Deus præcipuè misericordiam exercet, & peccatoribus pœnitentiam agentibus condonat peccata.

2do. Illud Isai. 24. *Congregabuntur... in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur.*

Resp. Hæc ultima verba significant impios in æternum puniendos: nam hæc vox *visitare* sæpè in Scripturis sumitur in malam partem, nempe pro *punire* & *percutere*, ut patet ex eodem Propheta c. 26. ubi ait: *Visitasti & contrivisti eos.* Eodem autem sensu hîc accipitur, ac perindè est, ac si diceretur: *In æternum punientur.*

3tio. Illud Marci, c. 12. ubi de Scribis seu Pharisæis dicitur: *accipient prolixius judicium.* Quo significari videtur pœnas damnatorum æqualiter non duraturas, nec in æternum, sed alias aliis prolixiores, id est, longiùs duraturas fore duntaxat.

Resp. Hoc locô dici Scribas seu Pharisæos accepturos esse judicium prolixius, non quantùm ad durationem, cùm pœnæ impiorum in inferno sint æquales in duratione; sed quantùm ad acerbitatem.

4to. Illud Jacob. c. 2. *Superexaltat autem misericordia judicium.*

Resp. Equidem Deus in hac vita magis misericordiam, quàm justitiam exercet. In inferno autem suam justitiam præcipuè, non tamen in toto rigore, exercet, infligendo quidem pœnam æternam, * sed minùs acerbam, quàm in rigore mereatur peccatum.

5to. Illud Apoc. c. 20. *Beatus & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.* Atqui hæc secunda mors non potest esse, nisi impiorum annihilatio. Ergo tandem annihilabuntur, ac proinde in æternum non cruciabuntur.

Resp. Per secundam mortem intelligitur mors æterna, quæ in suppliciis inferni æternis consistit. Porrò nomen mortis in Scriptura identidem pro tormentis & cruciatibus usurpatur.

Ob. 2do. S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, *Quæ digna sunt*, inquit, *ut coram Deo appareant* (animæ) *non moriuntur amplius; illæ autem* (nempè impiorum animæ) *excruciantur, quoad eas & esse, & excruciari vult Deus.* Idem loquitur S. Irenæus lib. 2. adv. hær. c. 64. ubi *Omnia*, ait, *quæ facta sunt, initium quidem facturæ suæ habent, perseverant autem, quoad usque ea Deus & esse, & perseverare voluerit.* Quibus verbis insinuant, animas impiorum non esse immortales, sed aliquando annihilandas. 185

Resp. Hi Patres locis illis neque negant, neque affirmant immortalitatem animarum impiorum; at illam locis in probatione allatis expressè agnoscunt, cùm in damnatis admittunt pœnarum æternitatem, quæ sine animarum immortalitate esse nequit.

Dices:

186 Dices: S. Irenæus eodem cap. 64. ait: *Qui servaverit datum vitæ, & gratias egerit ei, qui præstitit, accipiet & in sæculum sæculi longitudinem dierum. Qui autem . . . . ingratus extiterit factori.... & non cognoverit eum qui præstat, ipse se privat in sæculum sæculi perseverantiâ.* Id est, annihilabitur, nec in æternum vivet, aut durabit.

Resp. Solùm vult, malos & erga Deum ingratos privare se bona æternitate, seu, ut communiter loquimur, vitâ æternâ, & mortem secundam, quæ in tormentis & cruciatibus inferni consistit, meritò ob scelera sua incurrere.

187 Ob. 3tio. S. Gregorius Nyssenus pluribus locis negat pœnarum æternitatem, ut lib. de anima & resurrectione paulò ante medium. *Vitiositate*, inquit, *longis sæculorum anfractibus & circuitionibus aliquando abolita atque extincta, nihil præter bonum relinquetur. Sed etiam dæmones concorditer & consentienter dominationem Christi confitebuntur.* Et Orat. Catechetica c. 26. *Cùm per longum*, inquit, *temporis ambitum ablatum fuerit naturæ malum, quod nunc est eis immistum & coalitum, & eorum, qui nunc jacent in malis, in antiquum statum facta fuerit restitutio, una voce agentur gratiæ ab universa creatura, & ab iis, qui castigati fuerint in purgatione, & ab iis, qui ne omninò quidem opus habuerunt, ut purgarentur.* His & aliis similibus locis clarè videtur docere dæmones & impios homines, post longissimum aliquod à resurrectione corporum tempus, tormentis expurgatos, tandem salvatum iri. Ergo &c.

Respondent aliqui, Gregorium Nyssenum hac in parte implicatum fuisse erroribus Origenis. Sed videtur potiùs dicendum cum S. Germano Patriarcha Constantinopolitano apud Photium in Bibliotheca, S. Gregorii Nysseni Opera hac in parte ab Origenistis fuisse corrupta. Et sane S. Germani & Photii virorum Græcorum suffragium prævalere debet suffragio aliquorum recentiorum hominum Latinorum; qui verba à nobis relata ipsi Gregorio ideò duntaxat attribuunt, quòd stylum ipsius & dicendi characterem referant; quasi verò hæretici non potuerint ad amussim imitari stylum & dicendi characterem Scriptoris Catholici; aut quasi de stylo & dicendi charactere saniùs Latini, quàm Græci judicare potuerint.

Ob. 4to. S. Basilius, in c. 4. Isai. ait: *Qui post acceptam Dei notitiam, consultò ac studio se ipsos reddunt obnoxios sanguini, utique tales opus est purgari per ignem.* Ergo &c. 188

Resp. S. Basilium hîc loqui metaphoricè, nec aliud velle, quàm tales graviùs puniendos fore per ignem, quia graviùs peccaverunt. Et verò Hom. in Psal. 33. asserit, *reprobos passuros esse probrum & verecundiam sempiternam.*

Ob. 5to. S. Gregorius Nazianzenus orat. 39. in *sancta lumina*; negat pœnarum æternitatem. Ergo &c. 189

Resp. Ibi eum loqui de purgatorii igne, quem vocat postremum Baptismum.

Ob. 6to. Idem tueri videtur S. Ambrosius in Psal. 118. Serm. 20. num. 22. 190

Resp. Ibi quidem obscurè loquitur, sed alibi pœnarum æternitatem clarè docet, scilicet lib. de lapsu Virginis consecratæ c. 8. ubi ait: *Ego tamen, qui scio graviora facinorosis servari tormenta, & sine fine impias animas cruciatus manere, non temporales utique, sed æternos, aliis te volo cruciatibus affici, profuturis utique, non animam perdituris.*

Ob. 7mo. S. Hieronymus in primo Dialogo contra Pelagianos sub persona 191

Attici sic loquitur : *Illud verò, quod in sequenti ponis capitulo, in die judicii iniquis & peccatoribus non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos, ferre quis potest, & interdicere te misericordiam Dei, & ante diem judicii judicare?.... Denique Esaias, de quo ponis testimonium (comburentur peccatores & iniqui simul) non addidit : In æternum, &c.... Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos, qui & diabolum & satellites ejus, omnesque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuò, & Christianos si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas.* Quibus verbis videtur S. Hieronymus docuisse solos infideles cum diabolo & Angelis ejus æternis ignibus exurendos in inferno; Christianos verò omnes, etiam eos, qui post gravia peccata commissa, & ante actam pœnitentiam morte præventi fuerint, post pœnam ignis, diù pro qualitate & numero criminum toleratam, tandem à cruciatibus liberandos & salvandos esse.

Alludere ad S. Hieronymum videtur aliquibus S. Augustinus, cùm in Enchiridio c. 67. ait: *Creduntur à quibusdam etiam ii, qui nomen Christi non relinquunt, & ejus lavacrô in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad hujus vitæ ultimum diem pertinacissimè perseverent, salvi futuri per ignem, licèt pro magnitudine facinorum flagitiorumque, diuturno, non tamen æterno, igne puniri; sed qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur : nam Scriptura divina aliud consulta respondet, &c.*

192 Resp. igitur 1mo. Tempore SS. Hieronymi & Augustini, ut ex his postremis S. Augustini verbis liquet, hanc de duratione pœnarum Christianorum in peccato mortali defunctorum quæstionem, adhuc velut inter Adiaphora repositam fuisse, atque, quòd omnes omninò, qui in statu peccati mortalis decedunt, igne æterno exurendi sint in inferno, non fuisse rem ita certam & exploratam in Ecclesia, ut contrarium defendi non posset sine nota hæresis, & caruerit omni omninò verisimilitudine. Bona igitur fide & licitè hanc opinionem tueri potuit, licèt re ipsa esset erronea, Hieronymus.

Resp. 2do. Etsi S. Hieronymus in hunc errorem ex infirmitate humana impegisset, prout fatentur aliqui Catholici, hæc ejus opinio nihil Catholicæ veritati officere potest. Nam quamvis unanimis Patrum consensus, utpotè totius Ecclesiæ consensus, sit infallibilis, tamen singuli Patres seorsim sumpti errare possunt, & non pauci aliquando errârunt.

Resp. 3tio. Multi Doctores Catholici, imò plerique, S. Hieronymum ab hoc errore jure meritô vindicant. Itaque S. Doctor verbis objectis solùm intendit non omnes iniquos & peccatores æternis ignibus exurendos, per iniquos & peccatores intelligendo cujuscumque peccati reos; quia non omnia peccata sunt mortalia, nec omnia damnationem æternam inducunt, ut docebat Pelagius, quem ibi refellit, & arguit, quòd diceret generaliter *in die judicii iniquis & peccatoribus* (hoc est, cujuscumque iniquitatis & peccati reis) *non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos.* Quod rectè colligitur ex his verbis ejusdem loci : *Si peccatores & iniqui æternis ignibus exuruntur, non times sententiam tuam, qui iniquum & peccatorem te esse dicis? Et argumentaris hominem non esse sine peccato, sed esse posse. Ergo solus ille salvetur, qui nunquam*

quam fuit, nec est, sed futurus est, aut forsitan nec futurus, & pereant omnes, quos retrò fuisse legimus .... Si justus es, & humilitate simulas peccatorem, mirabimur, atque gaudebimus habere te solum & possidere cum sociis, quod nec Patriarcharum, nec Apostolorum quispiam habuit. Si autem Origenes &c. ut suprà in textu objecto. Per justum autem Pelagium intellexisse eum solum, qui omni omninò peccatô immunis esset, facilè colligitur ex mox adductis S. Hieronymi verbis, vel saltem quòd hic S. Doctor crediderit, aut vehementer suspicatus fuerit, cum in ea sententia fuisse.

Igitur hæc est S. Hieronymi contra Pelagium argumentatio: Si generaliter verum est, iniquos & peccatores, id est, cujuscumque peccati reos, æternis ignibus exurendos, omnes homines, qui hactenùs extiterunt, ne Patriarchis quidem & Apostolis exceptis, æternis suppliciis cruciari necesse est; nam nullus hominum omni omninò peccatô etiam personali hactenùs caruit, præter B. Virginem. Unde satis patet, S. Doctorem reprehendere Pelagium, non quòd omnes omninò etiam fideles in gravi seu mortali peccato decedentes æternis suppliciis addiceret, sed quia indefinite, ideoque generaliter æternis ignibus exurendos diceret quoscumque peccatores, ideoque etiam solorũ veniali ũ reos.

193 Confirmatur hæc nostra responsio, quia S. Hieronymus expressè docet, omnes peccatores gravium scilicet peccatorum reos, cum diabolo & angelis ejus æterno igne cruciatum iri. Nam in cap. 3. Jonæ, ubi Origenis errorem confutat, sic ait: *Hoc quia Scriptura sancta non dicit, & evertit penitùs timorem Dei; dum facilè homines labuntur in vitia, putantes etiam diabolum, qui author malorum est, & omnium peccatorum fons, actâ pœnitentiâ posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus; & sciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum, qui præparatus sit diabolo & Angelis ejus, & de his dici: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et infrà. *Si .... longo post circuitu, atque infinitis sæculis omnium rerum restitutio fiet, & una dignitas militantium; quæ distantia erit inter Virginem & prostibulum .... finge quodlibet, annos & tempora duplica, & infinitas ætates congere cruciatibus: si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est, quia non quærimus, quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus.*

Inst. 1mo. S. Hieronymus locô citatô videtur textus Scripturæ, quibus peccatores dicuntur æternô suppliciô plectendi, restringere ad solos impios, hoc nomine intelligendo eos tantùm, qui nunquam crediderunt, vel à fide defecerunt. 194

Resp. Solùm vult, loca à Pelagio allegata, aut perperam citari ad probandum ignem æternum, aut generaliter intelligenda non esse de omnibus peccatoribus, seu de cujusvis peccati reis.

Inst. 2do. S. Hieronymus ibid. ait: *Aliud est gloriam perdere resurgendi, aliud perire perpetuò.* 195

Resp. Ibi per gloriam resurgendi intelligit specialem ac eximiam gloriam, quacum resurgent homines eximia sanctitate prædití; & sensus est: aliud est perdere eximiam gloriam viris eximiè sanctis destinatam, quam re vera perdunt homines multorum venialium rei, & aliud perire in perpetuum. Nam ibi per peccatores non intelligit graves peccatores quos potiùs significat nomine impiorum & adversariorum Dei, sicut per justos intelligit viros eximia sanctitate ornatos. Hoc patet ex toto loco Objectionis, ubi

ubi ait: *Scriptum est, multa flagella peccatoris; & non interitus sempiternus, & per omnia flagella & cruciatus emendatur Israel. Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Aliud est cædere magistri & parentis affectu, aliud contra adversarios crudeli animô desævire. Quam ob causam in primo Psalmo canitur: quoniam non resurgent impii in judicio; jam in perditionem sunt præjudicati; neque peccatores in concilio Justorum: aliud enim est gloriam perdere resurgendi, aliud perire perpetuò.* Ubi per peccatores, quos dicit non resurgere in concilio Justorum, id est, cum gloria eximia Sanctorum propria, non intelligit gravium peccatorum reos, quos potiùs intelligit nomine impiorum & adversariorum Dei, atque jam in perditionem præjudicatos asserit; sed homines multorum venialium reos, quos dicit non resurgere cum eadem gloria, quacum resurgunt homines eximiè sancti, quos nomine justorum intelligit; atque de hujusmodi peccatoribus multorum venialium reis intelligit hæc verba: *Quem enim diligit Dominus corripit. Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Aliud est cædere, &c.* Igitur nomine peccatoris & iniqui non intelligebat S. Hieronymus, sicut nos intelligimus, eum, qui mortalis peccati reus est; sed propriè intelligebat eum omnem, qui alicujus peccati reus, & propterea aliqua Dei indignatione ac pœna dignus erat. Unde peccatores in duas classes dividebat; in prima constituebat eos, qui gravium peccatorum rei essent, quales sunt infideles omnes: in secunda verò eos, qui venialiter tantùm peccarant, & sic solis pœnis temporalibus digni erant, quales sunt multi & soli fideles.

196 Inst. 3tio. S. Hieronymus locô objectô dicit, *Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas.*

Resp. Loquitur de solis Christianis, qui cum solis peccatis venialibus moriuntur. Nam Christianos, de quibus loquitur, distinguit à prævaricatoribus, id est, gravium peccatorum reis, quos asserit perire perpetuò. Pelagium autē reprehendit, quòd Fideles cum Infidelibus confunderet; quia non omnes Fideles in peccato mortali moriuntur, sicut omnes Infideles: nam multi ex Fidelibus cum solis culpis venialibus decedunt, ideoque non mulctandi suppliciis æternis, sicut Infideles omnes.

Porro illud, quod suprà ex Enchiridio S. Augustini retulimus, ubi ait: Quosdam esse Catholicos qui velint eos, qui cùm peccatis mortalibus ex hac vita decesserint, æternis suppliciis non puniri, non pertinet ad S. Hieronymum, sed ad eos, de quibus ipse S. Hieronymus loquitur in Commentario ad ultimum Isaiæ versiculum, cùm ait: *Qui volunt supplicia aliquando finiri, & licèt post multa tempora tamen terminum habere tormenta, his utuntur testimoniis . . . quæ omnia replicant, asseverare cupientes post cruciatus atque tormenta futura refrigeria.* Quam sententiam refert non ut suam, sed ut alienam, ut patet ex ipsius verbis. Cùm autem hæc subjicit: *Sicut diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorū opera in igne probanda sunt, moderatam arbitramur & mixtam clementiæ sententiam Judicis.* Vel loqui videtur de Christianis, quos supponit pœnitentiam ante mortem egisse, ideoque in Purgatorii igne pœnas luere: vel solùm vult Christianos impios in inferno infra condignum puniendos, quia in fide Christiana usque ad mortem perseverârunt.

Et hæc sunt momenta, quæ ad vindicandum circa hanc de duratione sup-

supplicicorum infernalium quæstionem ab errore S. Hieronymum adducunt Theologi illi; quanquam, ut quod sentimus, candidè fateamur; non omne dubium omninò tollere nobis videantur.

197 Ob. 8vo. S. Augustinus in Enchiridio cap. 110. docet fidelium preces, Missas, eleemosynas & alia pietatis opera prodesse damnatis. Ergo.

Resp. neg. ant. Imò expressè dicit eas nulla esse adjumenta reproborum. Cùm autem addit per eas tolerabiliorem fieri damnationem, loquitur non absolutè, sed ex hypothesi, quòd iis prosint. Itaque ibi docet sacrificia & pietatis opera non posse reprobos à pœnis omninò liberare: quòd si tamen iis prosint, non prodesse nisi ut levamenti aliquid iis afferant. Nam ibi sic ait: *Cùm ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt, pro non valdè malis propitiationes sunt; pro valdè malis etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.*

198 Ob. 9no. Ecclesia sic orat in Missa pro defunctis: *Libera Domine animas omnium Fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus.* Ergo.

Resp. His verbis Ecclesia solùm intendit petere à Deo, ut animæ Fidelium in gratia defunctorum à pœnis Purgatorii liberentur. Et verò Ecclesia in Officio Defunctorum dicit: *In inferno nulla est redemptio.*

199 Ob. 1mo. Pœna æterna repugnat infinitæ Dei bonitati & clementiæ. Ergo.

Resp. neg. ant. Nam divina justitia pœnam æternam ut mortali peccato debitam exigit: Divina autem attributa minimè inter se pugnant. Porrò solius justitiæ Divinæ est pœnas in Deum illatis debitas infligere.

§ III.

Utrum detur peccatum ex natura sua veniale.

Circa peccatum veniale varii fuerunt errores hæreticorum. Jovinianus docuit omnia peccata esse paria, & suppliciô æternô digna. Ita testatur S. Hieronymus, lib. 2. contra Jovinian. Pelagius, prout §. præcedenti ex eodem S. Hieronymo vidimus, idem docere visus est, atque proindè quolibet peccato gratiam sanctificantem amitti asseruit: undè contendebat hominem in hac vita absque omni peccato esse posse, & re ipsa esse quemlibet justum, quamdiu justus est. Joannes Wicleffus docebat omnia peccata esse mortalia, si per mortale intelligatur illud, quod mortem æternam inducere potest; si verò per mortale intelligatur id, quod re ipsa mortem inducit, omnia reproborum peccata esse mortalia, electorum verò venialia. Lutherus docuit omnia peccata ex natura sua mortalia esse, venialia verò ex sola Dei misericordia, ea credentibus non imputantis, imputantis verò non credentibus ad damnationem æternam: putavit enim homines sola fide justificari posse. Luthero consensit Calvinus, cùm hoc tamen discrimine, quòd voluerit nulla peccata imputari electis, reprobis verò imputari omnia; in quo Wicleffo assensus est. 200

Inter Catholicos Doctores Joannes Gerson celebris ille Academiæ Parisiensis Cancellarius Sæculò decimô quintô contra communem Theologorum sententiam lib. de vita spirituali, lect. 1. cum Wicleffo docuit peccata venialia ex na-

tura sua mereri damnationem æternam, adeoque esse mortalia, tribuendumque misericordiæ Dei, quòd non ita severè puniantur.

Michael Bajus Lovaniensis Theologus Sæculò 16tò plures edidit propositiones, inter quas hæc fuit vigesima cum cæteris damnata à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. *Nullum est peccatum naturâ suâ veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

201 Porro per peccatum veniale, prout jam in procœmio hujus Tractatus annotavimus, intelligimus illud, propter quod Deus homini indignatur leviter tantùm, & quod solummodò inducit reatum pœnæ temporalis in hac, vel altera vita exolvendæ. Atque ideò *Veniale* dicitur, quia non dissolvit amicitiam hominis cum Deo, nec affert mortem animæ; non enim est incompossibile cum charitate, sed solùm fervorem ejus minuit; neque excludit à cœlesti beatitudine, sed solùm retardat illius assecutionem. Sit modò

CONCLUSIO.

202 De fide est dari peccata, quæ ex natura sua sunt venialia.

Prob. 1mo. ex S. Scriptura. Quæ variis in locis docet, dari peccata, quæ cum justitia consistere possunt, ita ut idem homo & justus sit, & peccator, vitâ æternâ dignus, & quibusdam pœnis obnoxius; quæque ideò venialia nuncupantur. Nam Ecclis. 7. v. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Prov. 24. v. 16. *Septies in die cadet justus.* 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Jacob. 3. v. 2. *Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam .... detrimentum patietur: ipse autem salvus erit.* Matth. 5. *Qui irascitur fratri suo*, inquit Christus, *reus erit judiciò; qui dixerit fratri suo, Raca, reus erit conciliò; qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quibus verbis tres iracundiæ gradus recenset. Primus ita levis est, ut in nullam vocem erumpat. Secundus paulò quidem gravior est, at non erumpit in apertum convitium. Tertius gravissimus est, & parit manifestum convitium. Atqui ex his tribus iracundiæ gradibus tertium tantùm manifestè significat mereri pœnam æternam, ac proindè tantùm esse mortale peccatum. Ergo manifestè significat duos priores iracundiæ gradus esse peccata per se venialia. Ergo dantur peccata ex natura sua & per se venialia. Iterum Luc. 6. *Quid vides*, inquit, *festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Ubi peccatum mortale comparans cum trabe, quæ non solùm oculum destruit, sed etiam totum corpus opprimit; veniale verò cum festuca, quæ oculum non destruit, sed leviter tantùm lædit, nec corpus opprimit, sed leviter portatur; clarè ostendit, se loqui de discrimine, quod inter mortale peccatum & veniale ex natura rei intercedit, & quidem cum proportione aliqua tantùm, quantùm est ex natura rei inter trabem & festucam. Item Jacobi Epist. Can. cap. 1. sic dicitur: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Concupiscentia verò, cùm conceperit, parit peccatum. Peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Ubi Apostolus tres concupiscentiæ motus distinguit; unum scilicet planè involuntarium, quo quis absque ullo suo consensu ad peccandum provocatur: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Et hunc motum non esse peccatum ait Apostolus, sed causam peccati, quod postea

ctè, accedente consensu, sequitur. Secundum voluntarium, sed imperfectè tantùm: *Concupiscentia verò, cùm conceperit, parit peccatum.* Hunc autem motum vult Apostolus esse peccatum, sed veniale tantùm; cùm illum vocet peccatum, & distinguat à peccato consummato, quod mortem generat. Tertium denique perfectè voluntarium, quod proindè generat mortem, sicque mortale peccatum est: *Peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Quòd autem Apostolus per peccatum consummatum intelligat motum concupiscentiæ perfectè voluntarium, dubium esse non potest: non enim dici potest per peccatum consummatum intelligere peccatum opere perpetratum: alioqui desideria graviter illicita, nisi opere complerentur, non essent peccata mortem generantia, quantumvis perfectè voluntaria essent; quod est falsum, & ab ipsomet Christo damnatum Matth. cap. 5. ubi ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Idem Apostolus cap. 3. ait: *In multis offendimus omnes.* Ergo concludendum, esse & dari peccata, quæ per se non privant gratia sanctificante, nec proindè sunt æternis suppliciis digna. Ergo dantur peccata per se venialia.

203 Prob. 2do. Auctoritate summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. qui, ut jam suprà adnotavimus, hanc 20mam. Baji propositionem damnârunt: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

204 Prob. 3tio. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Augustinus, lib. de nat. & grat. c. 38. ubi, *Quia sæpè*, inquit, *in levissimis & aliquandò incautis obrepit peccatum, & justi fuerunt, & sine peccato non fuerunt.* Hìc admittit peccata levissima, quæ justis imputantur, ac proindè quæ non sunt venialia eò quòd non imputentur; prout ineptè contendit Lutherus. Et Enchirid. c. 71. *De quotidianis*, inquit, *brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere, Pater noster, qui es in Cœlis, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. Delet omninò hæc oratio minima & quotidiana peccata.* Et in Psal. 5. *Duo sunt omninò genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est; cùm aut jocamur, aut, ut prosimus, mentimur.* Item lib. 19. de Civit. c. 27. ait, *Justos facilè peccare, si non facili operatione, certè labili locutione, aut volatili cogitatione.* Sunt igitur in ipsis justis peccata ex se levia, quæ Dei amicitiam non dirimunt, & quæ regni æterni jacturam, aut exhæreditationem non inferunt.

Prob. 4to. Ratione. Nam lumine na- 205
turali satis patet, aliqua peccata esse ex natura sua gravem Dei offensam, ut odium Dei, homicidium: & aliqua per se duntaxat esse levem Dei offensam, ut verbum otiosum. Enimverò quis Sapiens dicat, verbum otiosum, vel mendacium merè officiosum ex natura sua mereri dissolutionem amicitiæ divinæ, & pœnam æternam? Certè levis offensa non potest per se ullius personæ sapientis amicitiam dissolvere, multò minus Dei infinitè sapientis & boni.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1mo. Scriptura Sacra docet om- 206
nia indiscriminatim peccata esse ex natura sua mortalia, atque quibuslibet tribuit inimicitiam Dei, maledictionem, mortem, &c. ut 1mo. Deut. 27. *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus*, cujus tamen sermones seu

præcepta non omnia erant gravia. 2do. Ezechielis 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Sive dein leviter, sive graviter peccaverit, nam hîc nullum discrimen ponitur. 3tio. Matth. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis,* inquit Christus, *minimus vocabitur in regno cælorum*, id est, nullus, prout interpretatur S. Thomas. Ergo omnia peccata sunt mortalia. 4to. Joan. 13. ità S. Petro comminatur Christus: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, id est, æternum à meo consortio excluderis, seu æternum damnaberis: nec tamen, nisi leviter peccasse S. Petrum palam fit ex his subsequentibus Christi verbis, v. 10. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Ergo quodlibet peccatum, licet videatur levissimum, mortale tamen dicendum est. 5to. Rom. 6. *Stipendia peccati mors;* hîc iterum nullum peccatum excipitur. Ergo, &c. 6to. Jacobi c. 2. *Quicumque*, ait Apostolus, *totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ad textus Resp. & quidem ad 1mum. Per sermones Legis intelliguntur præcepta in illo capite tradita, quæ ex genere suo gravia sunt: ac proindè eorum violatio ex genere suo est peccatum mortale: nam ibi vetantur idololatria, homicidium, adulterium, & alia similia peccata, quæ ex se sunt gravia, utpotè contra Religionem, charitatem & justitiam.

Ad 2dum. Hîc loquitur Propheta de peccatis idololatriæ, homicidii, &c. quæ absolutè & ex natura sua sunt gravia.

Ad 3tium. Eo loci Christus non dicit simpliciter, *Qui solverit*, sed addit, *Et docuerit sic homines*: grave autem peccatum est verbum Dei adulterare, & corrumpere etiam in minimis. Neque etiam hîc loquitur de minimis ex sua natura peccatis, sed comparatè ad graviora Dialogi præcepta, & ad mentem Scribarum, apud quos grave quidem erat adulterium, amicorum odium: leve verò concupiscentia uxoris alienæ, odium inimicorum, ira interna, &c. quamvis hæc habeant materiam secundùm se gravem, atque re vera sint peccata mortalia.

Ad 4tum. Eo nihil aliud significatur, nisi S. Petri obsistentiam, aliundè ex humili & æquissima demissione profectam, laudabilem non esse, sed venialem culpam. Nostrûm enim est simplici animô, quæ divinitùs nobis injunguntur, exequi, nec quæ divina sunt nostro sensu metiri. Ideò autem tantam pœnam S. Petro interminatus est Christus Dominus, quia, nisi morem gessisset, pertinaci obsistentiâ suâ gravissimè peccasset.

Ad 5tum. Apostolus hîc non loquitur de quibuslibet peccatis, sed de gravibus, putà adulterio, fornicatione, & aliis ejusmodi, de quibus erubescebant Ethnici recens ad fidem conversi.

Ad 6tum. Apostolus ibi loquitur de peccatis ex natura sua gravibus, qualia sunt homicidium, adulterium, &c. ut patet ex verbis immediatè sequentibus: *Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Nec enim alia ratione solius homicidii reus universæ legis infractor haberi potest, nisi quia homicidiô infringitur Charitas, quæ universam legem complectitur, quemadmodùm docet Christus Matth. 22. v. 40.

Ob. 2do. S. Basilius in Regulis bre- 207
vioribus docet, nulla peccata existimanda esse minuta, nec differentiam minorum & majorum peccatorum reperiri in Evangelio. Ergo.

Resp. 1mo. Dubium est quibusdam, an opus illud sit S. Basilii. 2do. Auctor, sive

ſive ſit S. Baſilius, ſive quivis alius, vult duntaxat peccatum veniale non eſſe contemnendum, tanquam aliquid leve; probatque ex Scriptura, quæ indiſcriminatim deterret à quolibet peccato tanquam à malo præ cæteris temporalibus fugiendo. In novo quoque teſtamento ſic fides peccatorum levium & venialium ſtabilitur, ut ſimul ab iis committendis lectores vehementer deterreantur. *De verbo otioſo*, inquit Chriſtus Matth. 12. *rationem reddent in die judicii. Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Matth. 5. *Væ vobis qui ridetis.* Luc. 6. *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem.* Matth. 6. *Habeo adversùs te pauca... pœnitentiam age: ſi quominùs, veniam tibi citò.* Apoc. 2. Hunc ſcribendi modum de peccatis venialibus ſic tenuerunt SS. Patres in Scriptis ſuis, ut ex iis lectores reddantur timidiores ad iſta committenda, quod inprimis obſervare debent Theologi morales, ubi definiunt peccatum aliquod eſſe leve & veniale. Enimverò non ſine magno animarum periculo hæc legerentur: peccata levia in quolibet numero non excludunt ab amicitia Dei, nec à Regno Cœlorum, facilè eorum obtinetur remiſſio, non neceſſariò in confeſſione Sacramentali ſunt declaranda, abſolutè non reddunt ſacrilegam Sacramentorum perceptionem, aut adminiſtrationem, charitatem non extingunt, ſed fervorem & devotionem duntaxat impediunt: levia autem peccata ſunt ſuperbia, ambitio, vanitas, avaritia, voluptas, modò in iis finis ultimus non conſtituatur. Hæc quidem veriſſima ſunt; ſed deſtruunt potiùs, quàm ædificant, niſi ulteriùs progrediatur libri auctor, ſparſimque doceat exemplô SS. Patrum, imò & ipſiusmet Chriſti Domini, quàm grave ſit malum, quàmque timendum, Deum etiam in minutiſſimis offendere; quàm horrendæ pœnæ maneant eos, qui iſta leviora negligunt, & in quanto periculo verſetur eorum ſalus. Hoc quippè ſcribendi modô mens lectoris illuſtratur, & voluntas ad proficiendum accenditur.

Ob. 3tio. S. Auguſtinus videtur variis locis docere homines damnari ob 208
minuta & levia peccata. Ut 1mo. lib. 9. Confeſſ. c. 34. *Væ etiam*, inquit ibi, *laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam.* 2do. Ep. 29. *Cùm Rex juſtus ſederit in throno, quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis gloriabitur, mundum ſe eſſe à peccato? Quæ igitur ſpes eſt, niſi ſuperexaltet miſericordia judicium?* 3tio. In Pſal. 142. in quo ita Dominum precatur Propheta: *Et non intres in judicium cum ſervo tuo; quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens;* ſic loquitur: *Migraret absque ſpe ſalutis æternæ adipiſcendæ, niſi accederet miſericordia Dei.* Similia habet lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 3. ubi *Quis*, inquit, *cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ de hac vita migraret, manente illa ſententia, quòd quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, niſi poſt paululum ſequeretur.... Superexaltat autem miſericordia judicium.* 4to. Tract. 1. in Epiſt. Joan. *Iſta levia*, inquit, *quæ dicimus, noli contemnere: ſi contemnis, quando appendis; expaveſce, quando numeras. Levia multa faciunt unum grande. Multæ guttæ implent flumen.*

Reſp. 1mo. eodem modo, quo priùs ad auctoritatem S. Baſilii, ſeu cujuscumque auctoris illius, qui librum regularum breviorum ſcripſit; ſcilicet hæc ita ſcripſit S. Auguſtinus, ut à peccatis venialibus lectores ſuos deterreret &c.

Reſp. 2do. Ad ſingulos textus: & quidem ad 1mum. Ibi loquitur de pœna Purgatorii, quæ acerbiſſima eſt; & ſolùm

vult vix ullum hominem ita sanctum esse, ut pœnam illam sine magna Dei misericordia vitare possit. Quod patet, quia his verbis: *Væ etiam laudabili vitæ, &c.* rationem reddit, cur oraturus sit pro matre sua, quam ibi plurimùm laudat. Igitur S. Doctor significare vult solùm, homines etiam sanctos non carere peccatis venialibus, ob quæ, nisi ea illis misericorditer condonentur, gravissimas pœnas in Purgatorio persoluturi sunt.

Ad 2dum. Eadem est Responsio. Nam ibi loquitur de judicio cuisque hominis, & dicit neminem posse gloriari se purum esse ab omni labe & reatu culpæ venialis, & sine magna Dei misericordia nullam esse spem beatitudine statim post mortem fruendi.

Ad 3tium. Sensus utriusque textus est, neminem cum spe beatitudinis assequendæ mori posse, nisi sciret Deum esse maximè misericordem, & ab eo peccatorum veniam speraret, quia ad damnationem æternam sufficit unum grave peccatum, & nemo certò scit se nullum unquam tale admisisse, aut si admiserit, illud sibi à Deo condonatum esse.

Ad 4tum. Sensus est, quòd multa venialia, si negligantur, nec emendentur, sensim ad mortale admittendum disponant. Undè multa levia non faciunt formaliter, sed tantùm dispositivè unum grave peccatum.

209 Ob. 4to. Grave peccatum est non diligere Deum ex toto corde. Atqui omnis peccans, etiam mendaciò officiosò, non diligit Deum ex toto corde: *Quæ enim vitiosa cogitatio obrepet in hominis animo*, inquit Calvinus, *si totus Dei amore occupetur.* Ergo nullus leviter peccare potest. Ergo non datur peccatum veniale.

Resp. cum S. August. Dist. maj. Grave est peccatū non diligere Deum ex toto corde, præponendo, aut æquando ipsi aliud quidpiam, conc. Non diligere actu continuo & intensissimo, neg. maj. Primus modus diligendi Deum ex toto corde est proprius justorum in terris peregrinantium: Secundus Beatorum in Cœlo regnantium; hic excludit omne peccatum etiam veniale; sed est impossibilis in hoc vitæ statu, & ideò non præcipitur: proponitur tamen tanquam finis & scopus, ad quem peregrinantes tendere debent quotidie proficiendo, & quotidianos defectus minuendo: charitas enim nascitur ut crescat; crescit, donec perficiatur.

Ob. 5to. Peccatum veniale infinitam Dei majestatem offendit. Ergo est malitiæ infinitæ, ac proindè æternâ pœnâ dignum. 210

Resp. Dist. ant. Offendit secundùm quid, & in re levissima, conc. Offendit simpliciter, & in re gravi, neg. ant. Neque enim necesse est quamlibet offensam tantam habere malitiam, quanta est dignitas in persona, quæ læditur, ut videre est in Aulico, qui propter leve aliquod dictum vel factum Regi minùs acceptum, non dicitur reus læsæ majestàtis.

Ob. 6to. Non licet ullum peccatum committere propter ullum bonum etiam infinitum: non nisi, quia omne peccatum habet malitiam infinitam, sicque meretur pœnam æternam. Ergo. 211

Resp. neg. causalem ant. Itaque nullum peccatum vel levissimum unquam licitum esse potest etiam ob bonum infinitum; quia omne peccatum, ut peccatum, est essentialiter illicitum, ideoque nunquam ob ullum bonum potest esse licitum: nam essentiæ rerum mutari absolutè non possunt.

Ob. 7mo. Peccatum quodlibet est majus malum, quàm sit pœna æterna. Ergo hac puniri potest, & eam meretur.

Resp. neg. conf. Quamvis enim culpa vel levissima sit majus malum, magisque vitandum, quàm quælibet pœna vel gravissima non ideò culpæ levissimæ debetur pœna maxima: sed solùm malo culpæ debetur malum pœnæ ei proportionatum, ità ut gravi culpæ gravis pœna, graviori gravior; è contra minùs gravi 212

mi-

minùs gravis, levi levis pœna respondeat; idque exiguunt justitiæ leges.

213 Ob. 8vo. Quamdiu peccatum veniale non est remissum, tamdiu puniri potest. Atqui sine gratia remitti non potest. Ergo quòd non semper puniatur, misericordiæ divinæ est tribuendum.

Resp. Dist. maj. Quamdiu peccatum veniale non est remissum, tamdiu puniri potest pœna temporali, conc. Pœnâ æternâ, neg. maj. & conc. min. Dist. cons. Misericordiæ divinæ est tribuendum, quòd gratiam justo concedat ad satisfaciendum pro venialibus, conc. Quòd justum in æternum non puniat, neg. cons. Neque enim Aulico Regi acceptissimo debetur pœna perpetua propter leviorem offensam, ex eo, quòd veniam sperare non possit, nisi ex indulgentia Principis.

214 Ob. 9no. Minima opera bona justi merentur vitam æternam. Ergo & minima peccata supplicium æternum.

Resp. Dist. ant. Minima opera justi merentur vitam æternam ex gratuita Dei promissione, & propter motivum & imperium charitatis, ex qua proficiscuntur, conc. Per se & ex natura sua, neg. ant. & cons. Deus ultra condignum remunerare potest, utpotè infinitè misericors, punire verò non potest, cùm justitiæ ejus repugnet; proindè levia peccata non merentur per se & ex natura sua pœnam æternam.

215 Ob. 1mo. Omne peccatum est contra Legem Dei. Ergo per se est mortale.

Resp. Dist. Ant. Omne peccatū est contra Legem Dei graviter vel leviter aliquid præcipientem vel vetantem, conc. Contra Legem Dei graviter præcipientem, &c. neg. ant. Non omne peccatum est contra Legem Dei graviter præcipientem vel vetantem; sunt enim peccata contra legem aliquam leviter præcipientem aut vetantem, ut leve furtum. Imò non omne peccatum contra legem graviter præcipientem aut vetantem est plenè voluntarium, nec proindè imputabile ad gravem culpam & pœnam.

Ob. 11mo. Peccatum veniale nunquam remittitur in reprobis cum eo morientibus. Ergo æternâ pœnâ punitur. 216

Resp. Dist. ant. Peccatum veniale &c. & hoc fit per accidens, conc. Per se, neg. Peccatum veniale per accidens nunquam remittitur in reprobis cum eo morientibus, quia non possunt elicere actum, quo deleatur peccatum veniale: non ideò tamen ob peccatum veniale pœnam æternam subeunt; quia etsi pro eo satisfacere nequeant, tamen satis pati possunt.

§ IV.

De regulis, quibus peccatum veniale potest à mortali discerni.

Ex hactenùs dictis constat non omnia 217
peccata esse mortalia, sed præter peccatum mortale, dari etiam peccatum veniale, quod à mortali in eo discrepet, 1mo. quòd mortale sit amor creaturæ usque ad contemptum Dei; veniale autem sit quidem amor rei creatæ paulò tenacior, quàm par est, non ita tamen, ut destruatur cum Deo conjunctio: ut enim alibi diximus, veniali peccatô imminuitur quidem charitas, sed non perimitur. 2do. Quòd peccatô mortali reatus æternæ pœnæ contrahatur; ob veniale autem temporalis hîc & in purgatorio pœna solummodò irrogetur. 3tio. Quòd veniale possit abstergi charitatis internæ officiis, precibus aut desideriis: hinc Prov. 24. legitur, *Septies cadet justus, & resurget: impii autem corruent in malum.* Verbô, quòd mortale finem *simpliciter* ultimum, hoc est, finem omnibus animæ affectibus prædominantem in creatura constituat; proinde graviter Deum offendat & contemnat saltem virtualiter & interpretativè; Veniale è contrà

trà non constituat finem *simpliciter* ultimum in creatura, sed tantùm *secundùm quid*: scilicet quamvis venialiter solùm peccans excludat actualem sui ipsius relationem ad Deum; non tamen excludit habitualem: undè licèt habeat affectum ad peccatum veniale, non amittit tamen charitatem habitualem, quæ omnibus animæ affectibus prædominetur; proindè levis duntaxat est Dei offensa, quæ nec amicitiæ divinæ privatione, nec æternâ pœnâ sit digna; secùs verò peccatum mortale, quod ob gravitatem suam per se mortem animæ inducit, atque pœnam æternam meretur.

218 Utrum verò hoc vel illud peccatum mortale sit, difficillima videtur hæc indagatio, quod sic expressit S. Augustinus, lib. 21. de Civit. c. 8. *Difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certè usque ad hoc tempus, cùm inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui; & fortassis propiereà latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat.* Nec nisi ex Scripturis repeti posse discrimen illud ait Enchir. c. 78. & 79. *Quæ sint levia,* inquit, *quæ gravia peccata, non humanô sed divinô sunt pensanda judiciô.*

Istæ porrò hujus difficultatis rationes afferri possunt. Nam 1mo. Mens circa mortalia longè magis cœca est, quàm circa alia omnia. 2do. Voluntas per peccatum corrupta inducit intellectum ad judicandum prout est affecta: undè fit, ut sæpè non ex regula veritatis, sed ex cupiditate rem metiatur. 3tio. Non rarò fit ut peccata, quamvis multùm gravia, cùm in consuetudinem venerint, aut levia, aut nulla esse credantur: *Usque adeò*, inquit S. Augustinus, Enchirid. c. 8. *ut non solùm tunc occultanda, verùm etiam prædicanda, aut diffamanda videantur.*

219 Nihilominus ad dignoscendum quinam actus sint peccata mortalia; qui verò venialia tantùm, hæ quatuor regulæ statui solent: 1ma. Discrimen peccati venialis à mortali non ex humana ratione per peccatum corrupta, sed, prout tradit S. Augustinus suprà laudatus, ex Scriptura & Traditione, quantùm fieri potest, peti debet. 2da. Quæ in Scripturis dicuntur excludere à regno Cœlorum, aut quæ morte æterna castigantur, sunt semper peccata mortalia. 3tia. Quæ justis legibus civilibus, aut Canonicis gravi pœnâ mulctantur, non sunt venialia. 4ta. Ea, quibus grave damnum, aut operanti, aut alteri tertio ex se inferunt, non sunt delicta, seu peccata venialia; sed sunt crimina, hoc est, peccata mortalia.

§. V.

Utrum peccatum mortale nonnunquam possit fieri veniale, & vicissim.

Ex alibi dictis peccatum, sive mortale sive veniale, duobus modis considerari potest, scilicet vel in se, vel per accidens; hoc est, vel independenter à quibusdam circumstantiis extrinsecis, seu secundùm suam naturam; vel dependenter à quibusdam exterioribus circumstantiis, quæ se teneant aut ex parte levitatis materiæ, aut ex parte peccantis. 220

Certum est, peccatum mortale ex se nunquam fieri posse veniale, nec vicissim. Nam quod ex se est mortale, naturâ differt ab eo, quod ex se est tantùm veniale: porrò natura rei alicujus in naturam alterius mutari non potest; consequenter quod ex se & ex natura sua est peccatum mortale fieri non potest veniale.

Nec obstat, quòd S. Augustinus, Ep. 108. dicat: *Timenda sunt parva peccata, quæ humanæ fragilitati, quamvis*

vis parva, tamen crebra, subrepunt. Quæ collecta si contra nos fuerint, ita nos gravabunt & opprimant, sicut unum aliquod grave peccatum.

Nam, ut §. præced. in Resp. ult. ad Ob. 3. ex S. Augustino petitam jam insinuavimus; minimè significare hîc vult S. Doctor, quasi peccata venialia etiam in unum collecta, re ipsa effectivè & formaliter nos gravent & opprimant sicut grave peccatum aliquod, sed quòd disponant ad illud. Certè peccata venialia minuunt charitatis fervorem; ac proindè augent cupiditatem, juxta illud ejusdem S. Augustini, *Decrementum charitatis est incrementum cupiditatis.* Præterea Deo dant locum subtrahendi lumen uberius, & auxilium efficax, quod ad actualem præceptorum observationem in statu naturæ lapsæ requiritur: undè est illud S. Bernardi: *Argumentum superbiæ, privatio gratiæ.* Meritò ergo ait hîc S. Augustinus multa peccata venialia simul collecta gravare non secùs, ac mortale aliquod peccatum, quamvis non tantum inferant animæ damnum, quantum peccatum mortale (*x*).

221 Nihilominùs peccatum mortale potest per accidens fieri veniale; & vicissim veniale potest per accidens fieri mortale. Primum habetur 1mo. ex eo, quòd peccatum ex genere suo mortale, fieri possit absque plena ad actum ipsum deliberatione, sed tamen ex aliqua levi negligentia: at tunc est tantùm veniale, eò quòd non sit perfectè liberum; hujusmodi sunt subiti & indeliberati motus infidelitatis, iræ, impudicitiæ, &c. qui ita mentem perturbant, ut voluntas eos non statim comprimat. 2do. Idem peccatum quod ex suo genere est mortale, nonnunquam in individuo sumptum versatur circa levem, seu parvi momenti materiam: sed in eo casu fit in individuo veniale, ut patet in furto unius pomi, aut in detractione, quæ ex se non potest grave damnum inferre proximo. Excipiendi tamen sunt ab ea regula actus, in quibus reperitur integra in divinam Majestatem irreverentia: ii enim non fiunt peccata venialia ex levitate materiæ, si ex plena deliberatione fiant, ut videre est in perjurio assertorio respectu rei levis; & in Simonia, per quam res aliqua spiritualis, licèt parvi videatur esse momenti, venditur.

222 Quod autem vicissim veniale possit fieri mortale declaratur enumeratione casuum, in quibus peccatum, quod ex se est tantùm veniale, potest per accidens fieri mortale.

1mo. Id contingit ratione conscientiæ erroneæ, qua scilicet quis exercet actum, quem judicat, licèt falsò, esse peccatum mortale. Hac de re videnda sunt ea, quæ in Tract. de Act. hum. disseruimus, ubi de conscientia erronea egimus.

2do. Id quoque contingit ratione gravis scandali, & id videre est in iis, qui, ut ait Apostolus 1. Cor. 10. idolothyta coram infirmis edebant. Censetur autem dati scandali reus non tantùm is, qui expressè intendit alios ad peccatum impellere, sed is etiam, qui potest abstinere ab actu, quem prævidet aut prævidere potest esse futurum alteri homini scandalo, nec ad id agendum te-

(*x*) Respondent aliqui, S. Augustinum dicere, quòd peccata venialia, si collecta contra nos fuerint, nos gravent & opprimant, non quòd peccati venialis natura mutetur, sed quòd affectu immodico rei creatæ cum Deo conjunctio tandem evertatur; ergo nos gravant & opprimunt scilicet propter negligentiam & contemptum.

tenetur aut ratione officii, aut alicujus alterius necessitatis.

3tio. Id contingit ratione contemptûs in Legislatorem, cujus lex infringitur, non quidem interpretativi tantùm; is enim reperitur in quolibet peccato: sed formalis, ut cùm quis infringit legem, ut legislatorem injuriâ afficiat.

4to. Id quoque contingit ratione finis ultimi: cùm scilicet operans in actu suo, ex se alioquin veniali, finem simpliciter ultimum constituit; seu cùm ita in ipsum affectus est, ut paratus sit Deum potiùs deserere, quàm ab eo actu temperare: sic fuit affectus Esau, cùm Jacob fratri suo primogenita vendidit: *Esau*, inquit Augustinus Ep. 86. *non esca, sed usque ad contemptum sacramenti, quod in primatu suo habebat, concupita esca damnavit.*

5to. Id etiam contingit ratione ordinationis ad finem moraliter malum: hujusmodi verò foret verbum jocosum, quod aliquis proferret, ut mulierem aliquam ad adulterium provocaret.

6to. Id denique contingit aliquando ratione proximi periculi peccati mortalis; cùm scilicet quis tali proximo peccati mortalis periculo per peccatum, quod ex se est veniale tantùm, se se exponit: qui enim amat periculum, peribit in illo; & qui vult causam, vult efficaciter effectum, quem prævidet aut prævidere potuit ac debuit ex ea causa secuturum.

CAPUT III.

De peccatis ignorantiæ, infirmitatis, & malitiæ, &c. &c.

223 IN procemio hujusce Tractatus nostri ulteriùs peccatum actuale subdivisimus in Carnale, & Spirituale. In peccatum Cordis, Oris, & Operis. In peccatum contra Deum, & contra proximum. Sed cùm de his peccatorum generibus, utpote, quæ ad specialiora peccatorum genera seu species reducuntur, prout patet tùm ex eorum definitionibus, tùm ex aliis magis particularibus peccatorum speciebus ibidem allatis & recensitis; hinc non est, quod de iisdem hîc quidquam ultrà memoremus, prolixiùs ea parte 3tia. expensuri. Solùm igitur in hac secunda Tractatus nostri parte nobis adhuc expendenda sunt peccata ignorantiæ, infirmitatis, & malitiæ &c. &c. In has namque velut generaliores species peccatum in sæpè dicto procemio nostro etiamnum divisimus. Quatuor igitur §§. præsens Caput absolvemus; in quorum 1mo. de peccatis ignorantiæ; in 2do. de peccatis infirmitatis; in 3tio. de peccatis malitiæ; & in 4to. denique de peccatis merè internis agemus.

§. I.

De peccatis ignorantiæ.

Ex Tractatu de Actibus humanis cap. 1. §. 2. Ignorantia strictè sumpta, prout ibidem loquebamur, generali divisione dispescitur in *invincibilem*, & *vincibilem*; priorem vocavimus *inculpabilem*; alteram possumus vocare *culpabilem*; estque ea, quæ, ut ibidem diximus, sufficienti adhibitâ diligentiâ depelli potest; cùm contrà invincibilis, seu inculpabilis ea sit, quæ, sufficienti etiam adhibitâ diligentiâ nequaquam depelli aut vinci potest (y). Cùm igitur hîc nobis sermo est de peccato ignorantiæ, illud duntaxat intelligimus, quod, ut jam in procemio nostro adnotavimus, ab ignorantia vincibili & culpabili tanquam à causa per accidens procedit. Sit 224

CON-

(y) Reliquæ Ignorantiæ species ibid. enumeratæ sunt; ubi vid.

CONCLUSIO

225 Fide Catholica certum est dari quædam ignorantiæ peccata.

Prob. 1mo. ex Scriptura, qua docemur 1mo. injuncta fuisse Judæis sacrificia pro obtinenda indulgentia eorum, quæ malè fiebant ex ignorantia, & quæ proindè erant peccata. *Anima, quæ peccaverit per ignorantiam*, inquit sacer textus Levit. 5. *offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti juxta mensuram, æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quòd nesciens fecerit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum.* Et Num. 15. *Quòd si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo, & deprecabitur pro ea Sacerdos, quòd inscia peccaverit coram Domino.* Docemur 2do. Sanctos tùm in Veteri tùm in Novo Testamento pro suis ex ignorantia delictis veniam à Deo poposcisse: *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris*, inquit David Psal. 24. Et Apostolus 1. ad Tim. 1. *Blasphemus fui*, inquit, *& persecutor, & contumeliosus. Sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Docemur 3tio. Judæos, qui Christum cruci affixerunt per ignorantiam deliquisse: *Scio*, ait Petrus ad illos Act. 3. v. 17. *quia per ignorantiam fecistis.* Ergo apertè constat ex Scripturis dari ignorantiæ peccata.

226 Prob. 2do. ex Traditione 1mo. Synodus Palestina Diospoli habita, & cui unanimis accessit omnium orbis Ecclesiarum consensus, hanc Pelagii propositionem damnavit: *Ignorantia & oblivio non subjacent peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem.* 2do. S. Augustinus in suis adversùs Pelagianos operibus non semel docet, ad fidem catholicam pertinere articulum, quo docetur dari quædam ignorantiæ peccata. *An nullum est ignorantiæ malum*, inquit lib. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 36. *& ideò nec purgandum? Et quid agit illa vox, Delicta juventutis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris? Etsi enim damnabiliora peccata sunt, quæ ab scientibus committuntur; tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, hoc non legeremus, quod commemoravi: Delicta juventutis meæ, &c.* Et lib. 6. contra Julian. c. 16. *Nunquid caret* (homo baptizatus) *ignorantiæ malô, per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala?* Et Epist. 154. *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat, & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque benè fieri putat, quod malè fit.* Hæc adeò clara sunt, ut nulla expositione egeant. 3tio. S. Hieronymus, referens, lib. 1. contra Pelagianos eorum querelam adversùs Catholicos sub persona Critobuli: *Rogo*, inquit, *quæ ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & ejus rei, quam nescio, pœnas luo! Et quid plus faciam, si spontè peccavero.* Hanc autem Pelagianorum querelam refellit hoc locô S. Hieronymus, varios Scripturæ textus allegando; atque inter alia, *In Proverbiis*, inquit, *legimus: Est via, quæ videtur recta apud homines, & novissima ejus veniunt in profundum inferni. Ecce & hîc ignorantia manifestè condemnatur, cùm aliud putat homo, & sub specie veritatis ad inferna delabitur.* 4to. S. Bernardus Epist. 77. ad Hugonem à S. Victore, in qua eum, qui negare auderet, dari posse peccata ignorantiæ, impugnat his verbis: *Si peccatum ignorantiæ nullum est, non ergo peccavit Saulus, quòd persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans hæc fecit, manens in incredulitate..... Non ergo debuit dicere: Misericordiam consecutus sum, sed mercedem recepi, quippe quem ignorantia*

à peccato reddebat immunem, insuper & æmulatio remunerabilem judicabat. Si, inquam, ignorantiâ nunquam peccatur; quid ergo causamur adversùs occisores Apostolorum, quandoquidem non solùm malum esse nescierunt interficere illos, sed insuper quoque id faciendo arbitrati sunt obsequium se præstare Deo.... Nunquid non ex his satis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari posse interdùm per ignorantiam (z)?

227 Prob. 3tio. Ratione. Qui ponit deliberatè actum aliquem malum, sed cujus malitiam ignorat, propter negligentiam addiscendi ea, quæ potest, & tenetur scire, à peccato excusari non potest, etiamsi actum illum ponat absque omni dubio vel scrupulo de ejus malitia, imò etiamsi actum illum ponat cum firma persuasione de ejus bonitate, atque ita ponendo illum, ad ejus malitiam nec advertat, nec advertere possit. Atqui hoc est peccare peccatô ignorantiæ. Ergo. Minor patet. *Maj. Prob.* Nam si excusari potest à peccato taliter agens, tunc vel quia actus, quem ponit, non est actus humanus: at hoc non: nam, ut supponitur deliberatè agit: omnis autem actio deliberata est actio humana. Vel quia ignorat malitiam actûs, quem ponit. Sed nec istud: culpabilis enim ignorantia excusare non potest; alioqui melior esset conditio negligentis addiscere ea, quæ potest & tenetur scire, quàm adhibentis debitam ad ea addiscenda diligentiam: quod est absurdum. Vel quia firmam, quamvis falsam, habet persuasionem de bonitate actûs, quem ponit. At hoc non: nam hæc persuasio est error culpabilis, quia est effectus culpabilis ignorantiæ, proindeque ad excusandum valere non potest. Vel denique quia nequidem potest hîc & nunc advertere ad malitiam actûs quem ponit. Sed & nec istud: nam hæc impotentia est effectus culpabilis ignorantiæ. Unde si quis potest à peccato excusari propter hanc impotentiam, excusabitur re ipsa propter culpabilem ignorantiam. Uno verbo, hæc impotentia non est naturalis, sed voluntaria, proindeque justam excusationis causam præbere non potest. Ergo qui deliberate ponit, &c.

Cætera quæ hîc de peccatis ignorantiæ disputari & differi solent facilè intelligi possunt ex iis, quæ in Tract. de Actibus humanis cit. c. 1. & c. 4. §. 2. ubi de Conscientia erronea; ubi & præcipua, quæ hîc objici possent dissolvuntur. Pauca duntaxat hîc subjicimus, quæ fortè alibi non meminimus.

Objicitur igitur 1mo. Omnibus pec- 228
cantibus datur gratia actualis. Ergo omnibus peccantibus cognita est malitia operis, quod ab eis exercetur: scilicet gratia actualis posita est, saltem ex parte, in mentis illustratione, qua bonum aut malum opus detegatur. Ergo nulla dantur ignorantiæ peccata.

Resp. Neg. conseq. Ratio est, quia gratia actualis & sufficiens, non semper efficit, ut operans sui operis malitiam actu, & de facto advertat; sed aliquando efficit tantùm, ut eam advertere potuerit, vel ad orationem confugiendo, qua lumen necessarium impetretur, vel non consentiendo occultæ aut apertæ cupiditati, qua mens hominis per ignorantiam peccantis excœcata est.

Ob. 2do. Nihil est actu volitum, nisi 229
sit actu cognitum. Atqui in peccatis, quæ ignorantiæ peccata dicuntur, malitia ab operante non est actu cognita. Ergo

(z) His SS. Patribus addi possunt SS. Chrysostomus, & Basilius infrà adducendi.

Ergo nec actu volita: ac proinde peccatum, quod ignorantiæ dicitur, non est peccatum, saltem, ut vocant, formaliter, cum voluntarium sit essentiale peccato, prout rectè docet S. Augustinus, lib. de vera Religione, c. 4. ubi, *Usque adeò*, inquit, *peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.*

(*a*) Resp. neg. maj. Ratio est; quia ut actus sit peccatum etiam *formaliter*, satis est, ut illius malitia, saltem remotè, cognosci potuerit ac debuerit. Unde malitia, licèt actu cognita non sit, est tamen, saltem indirectè, voluntaria; quatenùs nimirùm operans vult actum, cum quo malitiam esse conjunctam scire potuit ac debuit: hoc autem ipsum est, quòd S. Augustinus, lib. .. Retract. c. 15. vocat voluntarium voluntate facti, non autem voluntate peccati: *Ita*, inquit, *nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non autem voluntate peccati.* Undè meritò à Sede Apostolica per Alexandrum VII. an. 1658 hæc propositio: *Sine libertatis usu peccatum non est; nec liberè vitatur peccatum, nisi ab eo, qui novit peccatum, quod menti proponitur.* Si enim peccans nosse debeat se peccare, ad quid clamat David Psal. 18. v. 23. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Ad quid clamat Apostolus 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum.* Nullius peccati sibi conscius erat Apostolus, quia nihil agebat, nisi ex firma persuasione, quòd licitè aut rectè ageret, attamen non idcircò putabat se immunem esse ab omni culpa: quia licèt certus esset se non habere peccata malitiæ, at certus non erat se non habere peccata ignorantiæ. Sic Apostolum interpretatur S. Chrysostomus, Hom. 1. in 1. ad Cor. c. 4. *Quamnam*, inquit, *ob causam, si sibi nihil fuit conscius, non fuit justificatus? Quoniam contingebat, ut ab ipso quædam peccata essent admissa, neque tamen sciret esse peccata.* Et S. Basilius in Const. Monast. c. 2. *Cùm in multis rebus offendamus omnes, majorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem. Idcircò Apostolus dicebat: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum. Quod idem est, ac si diceret: Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo.*

Certè jam à Sæculo quinto universali, quod vidimus, consensione reprobata fuit hæc inaudita ad illa tempora propositio: hoc enim erat subtiliter à Pelagianis excogitatum adversùs originis maculam principium; ita ut cum illis sentiret nunc, qui ab illius propositionis doctrina stare vellet.

§. II.

De peccatis infirmitatis.

Suprà in proœmio hujus Tractatus 230 diximus peccatum infirmitatis esse illud, quod procedit ex motione appetitus materialis seu sensitivi trahentis voluntatem ad consensum, non tamen libertatem tollentis. Hæc autem motio nihil aliud esse videtur, quàm *Concupiscentia*, quæ etiam *Passio* nuncupatur: enimverò in Tract. de Act. hum. c. 1. §. 2. Passionem seu Concupiscentiam definivimus, quòd sit *animæ sensitivæ, seu appetitûs sensitivi* (id est voluntatis prout versatur circa sensibilia) *prosequens bonum sensibile*

(*a*) Vide etiam ea, quæ hac de re diximus sup. in Tract. de Act. hum. c. 3. §. unicò n. 142. & seq.

bile seu sensibus externis perceptibile. Unde hîc Passio, Concupiscentia, & Infirmitas idem significare videntur.

Nemini dubium est, quin dentur infirmitatis peccata: nimirùm certum est, hominem plerumque peccare ex motu passionis seu concupiscentiæ, quam ipse ex malitia non excitaverit, sed quæ prævenerit usum rationis, & cui posteà ipse consenserit. Quæri tamen potest 1mo. Utrum passio seu infirmitas vel concupiscentia excuset à peccato: 2do. An saltem minuat illius malitiam.

231 Citatô c. 1. §. 2. Tract. de Act. hum. divisimus concupiscentiam in antecedentem, consequentem, & concomitantē. Nec non statuimus concupiscentiā quamcumque augere voluntariū (*b*), tamen minuere libertatem; quæ hîc supposita volumus.

Certum est 1mo. Inordinatos Concupiscentiæ motus, si libera voluntate excitentur, esse peccata mortalia in materia gravi, & venialia in levi: quia sunt inordinati & plenè voluntarii & liberi. Ergo nihil illis deest ad culpam materiæ commensuratam.

2do. Inordinati Concupiscentiæ motus, quamvis à Dæmone excitati, vel sua sponte necessariò exurgentes, accedente aliqua advertentia imperfecta, & imperfecto voluntatis consensu, sunt peccata venialia: quia homo non potest absque culpa ullatenùs, etiam imperfectè admittere, vel approbare quod ex se malum ac inordinatum est, & disconvenit naturæ rationali. Non sunt tamen mortalia, etiamsi sint de re graviter illicita, propter imperfectionem actûs. Accedente verò perfecta advertentia, si voluntas eos velit vel approbet, sunt peccata mortalia: quia peccatum mortale est velle perfectè & approbare quod graviter ex Objecto est inordinatum, & dedecet naturam rationalem.

3tio. Certum est; Motus indeliberatos Concupiscentiæ, rationem ac voluntatem prævenientes, licèt graviter inordinati sint, non esse peccata imputabilia, nullo accedente voluntatis consensu, etiam interpretativo. Constat 1mo. ex Trident. Sess. 5. c. 5. docente Concupiscentiam non posse nocere non consentientibus; quin imò coronatum iri, qui legitimè certaverit. 2do. Ex his Baji propositionibus damnatis à Pio V. & Gregorio XIII. 50ma. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præceptô, Non concupisces.* 51ma. *Concupiscentia sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* 3tio. Quia tales motus nullo modo sunt voluntarii ac liberi voluntate ac libertate ad demeritum personale requisita: non enim possumus illos non habere pro arbitrio voluntatis. Vide dicta suprà part. 1. de peccato originali, c. 4.

Quod de indeliberatis Concupiscentiæ motibus diximus, etiam dicendum venit de omnibus pravis cogitationibus, & aliis motibus internis graviter ex Objecto malis. Nam si actus illi sint penitùs indeliberati ac involuntarii etiam in causa, & à voluntate improbentur, nullatenùs sunt peccata, quia nullatenùs sunt voluntarii. Quòd si sint imperfectè deliberati ac voluntarii, sunt peccata venialia ob imperfectionem actus: si verò plenè deliberati sint, & approbentur à voluntate, sunt peccata mortalia in materia gravi, quia sunt ple- 232

nè

(*b*) Concupiscentia auget voluntarium ordinariè loquendo. Nam si consideretur ex parte intellectûs quem excæcat, dici potest minuere voluntarium. Vid. dicta ibid.

nè voluntarii, & graviter mali. His ita præmissis, ponitur

CONCLUSIO.

233 Obsequi passioni etiam antecedenti, hoc est, quam voluntas non excitat seu imperat, quando non tollit usum rationis, nec omnem deliberationem est peccatum. Illa tamen passio antecedens, minuit peccati malitiam. Ita docet S. Thomas. (c)

Prob. 1ma. pars 1mo. ex Scriptura. Daniel. 13. *Concupiscentia subvertit cor.* Et Rom. 7. *Passiones peccatorum operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.*

Prob. 2do. Ratione. Passio non tollit omnem rationis usum, nec omnem deliberationem, ut supponitur. Ergo non impedit, quin voluntas liberè illius motibus obsequatur; adeoque peccet liberè amplectens quid inordinatum & naturæ rationali repugnans.

Prob. 2da pars. Illud minuit malitiam peccati, quod minuit cognitionem ac deliberationem requisitam ad libertatem, ideoque libertatem ipsam. Atqui concupiscentia seu passio antecedens minuit &c. Nam facit, ut Objectum delectabile appareat magis conveniens, & ut intellectus magis consideret rationem boni delectabilis, quàm rationem illiciti, quæ voluntatem à consensu avertere posset. Ergo, &c. Verùm non ita malitiam minuit, ut ex mortali veniale faciat in motibus deliberatis; ut quando ex passione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad consensum deliberatum; quia tunc voluntas potest simpliciter non consentire, & non obsequi passioni, cùm habeat sufficientem ad id deliberationem. Ita S. Thomas, a. 8.

Diximus in Conclusione 1mo. *Quando non tollit usum rationis &c.* Nam si talis passio tollat totaliter usum rationis vel advertentiam omnem impediat, etiam peccatum impedit; quia tunc id, quod ex illa fit, non est liberum, nec voluntarium in se neque in sua causa. Si tamen motus illi fuerint voluntarii in causa, in qua prævideri potuerint, ut in ebrietate, tunc actus mali ex iis sequentes imputantur ad culpam; cùm sint indirectè & interpretativè voliti.

Diximus 2do. *Illa passio antecedens minuit peccati malitiam.* Nam si consequens sit, seu liberè excitata, vel voluntaria in prava consuetudine non retractata, non minuit, sed potiùs auget peccatum, quod ex illa fit: quia non minuit, sed auget voluntarium & intensionem affectûs. Ita S. Thomas, a. 6. ubi hæc inde infert: *Et sic verum est, quòd quantò aliquis majori libidine vel concupiscentia peccat, tantò magis peccat.*

Porrò peccatum ex infirmitate seu passione ex suo genere gravius est, quàm peccatum ex ignorantia vincibili non affectata; quia talis ignorantia minuit liberum, & voluntarium at concupiscentia seu passio antecedens minuit quidem liberum, sed auget voluntarium seu voluntatis propensionem, nam illius intensionem ac conatum auget.

§. III.

De peccatis Malitiæ.

In sæpè memorato hujus Tractatus procemio peccatum malitiæ diximus esse illud, quod fit ex pura & plena libertate, sive quod neque ex ignorantia aliqua, neque ex infirmitate seu passione 234

(c) 1. 2. q. 77. a. 6.

ne antecedente, sed ex mera voluntatis electione committitur.

Nemini dubium esse potest, quin dentur hujusmodi malitiæ peccata: scilicet ratum est, peccare quosdam de industria, atque passiones ex electione excitare, quarum motibus suum præbent consensum; juxta illud Job. 34. *Quasi de industria recesserunt à Deo, & vias ejus intelligere noluerunt.* Non quòd in homine lapso, quemadmodum infirmitatis peccata, ex libidine & concupiscentia non nascantur; sed quòd peccans ex malitia liberè excitet innatæ nobis libidinis motus, eisque deditâ operâ & absque contrarii actûs, etiam inefficaci, voluntate suum consensum præbeat: unde obsequitur ille non tantùm passioni antecedenti, quæ peccatū infirmitatis, sed etiam consequenti, quæ peccatū malitiæ inducit, utpotè quam de industria excitat; ut majori nisu pravô, quod sibi proponit, Objectô fruatur: hincque fit, ut graviora sint peccata malitiæ, quàm peccata, quæ infirmitatis sunt. *Passio consequens* inquit S. Thomas, loc. cit. *non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potiùs est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati; & sic verum est, &c* prout nos §. præcedenti indicavimus. Unde est, quòd peccatum procedens ex passione consequente seu liberè excitata etiam sit peccatum ex malitia, aut ei æquivaleat; cùm ejus prima radix sit sola prava voluntas, quæ passionem procurat, nec libertatem minuit. Idem dicendum de ignorantia affectata, propter similem rationem; necnon de peccatis ex prava consuetudine commissis; de quibus posteà. Priùs nempè solvenda venit quæstio, an videlicet peccata malitiæ simpliciter & absolutè sint irremissibilia. Id quidem nonnulli ex antiquis hæreticis sensêre; contra quos ponitur

CONCLUSIO.

Nullum datur peccatum, etiamsi à 35
malitiæ sit, irremissibile, seu cujus venia non possit obtineri.

Prob. 1mo. Ex Scriptura, quæ nos docet, nullum esse peccatum, quod sanguine Christi non abluatur: Joan. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Item 1. Joan. c. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi.* Quibus verbis nullum excipitur peccatum. 2do. In qua omnes omninò peccatores ad pœnitentiam & spem veniæ hortatur Deus. Ezech. c. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis .... vitâ vivet, & non morietur.* Et c. 33. v. 11. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat.* Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum ..., ut omnis, qui credit in eum non pereat.* Rom. 3. v. 22. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* 3tio. In qua Christus generalem, nullisque finibus præscriptam, à peccatis solvendi, potestatem in Ecclesia sua reliquit, Matth. 18. v. 18. his verbis: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Item Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.* Cùm ergo peccatoribus ad veniam via sit aperta; cùm omnes ad pœnitentiam, spe condonationis factâ, vocentur; cumque tandem credentibus omnibus & invocantibus salutis spes fuerit promissa; cùm Christus nullum peccatum à venia excipiat; certè nullo peccato ad veniam aditus intercluditur. Hinc pejor Caino fieret, qui cum illo diceret Gen. 4. v. 13. *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Denique probatur

ex

ex tam solemnis pollicitationis executione. Gravissimis etenim peccatoribus condonatum fuisse legimus tùm in Veteri Testamento, ut Manassi Regi Juda, quandoque divini cultûs hosti infensissimo; tùm in Novo, ut S. Petro, qui Christum negavit, & Saulo Christianorum persecutori acerrimo, ipsique incestoso Corinthiaco.

Prob. 2do. Auctoritate Ecclesiæ, quæ Montanistas & Novatianos, qui hanc dimittendorum quorumdam saltem peccatorum auctoritatem Ecclesiæ negabant, ut hæreticos proscripsit.

Prob. 3tio. Ratione ex adductis Scripturæ textibus deducta. Qui in malitiæ peccatum lapsus est, potest utique pœnitere; illius enim voluntatem Deus efficacissimâ suâ gratiâ emollire potest ad contritionem (quod nemo sanæ mentis negare potest) ac postea se subjicere absolutioni Sacramentali, cujus virtus se se extendit ad omnia peccata, quæ post Baptismum admissa fuerint. Ergo.

236 Porro ad peccata malitiæ reducuntur peccata commissa ex consuetudine, quam quis emendare non curat. Ita S. Thomas, 1. 2. q. 78. a. 2. ubi, *Manifestum est*, inquit, *quòd quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.* Ratio est, quia peccans ex consuetudine seu habitu peccat ex majori inclinatione, & intensione voluntatis; nam, ut ait idem S. Thomas, habitus vertitur in naturam. Nec consuetudo tollit deliberationem saltem citam seu promptam, quæ sicut ad rectè agendum, ita ad actu peccandum sufficit, licèt sit imperceptibilis ob facilitatem & promptitudinem agendi; ut patet in homine assueto ad amandum Deum, qui audito ejus nomine statim prorumpit in amorem ex cita deliberatione.

Et quamvis talis peccator ex minùs perfecta deliberatione peccaret, hoc tamen ejus peccati malitiam non minuit; quia defectus ille est ei voluntarius in causa, nempè in consuetudine efficaciter non retractata, & in negligentiâ illam tollendi. Stultè igitur aliqui conantur excusare sua peccata, eò quòd ex pravo habitu oriantur; cùm tamen indè augeantur. Unde Concilium Lateranense III. sub Alexandro Papa III. an. 1179. celebratum, c. 7. ait: *Tantò graviora sunt crimina, quantò diutiùs animam infelicem tenuerint.*

Undè consuetudine mortaliter peccandi implicatus, tenetur sub mortali peccato illam efficaciter retractare & emendare. Ita communis: quia mala consuetudo est occasio proxima & periculum morale peccandi, imò & necessitas quædam moralis, in quam homo voluntariè se conjecit: *Dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas*, inquit S. Augustinus, lib. 8. Confess. c. 5. Quippe consuetudo mala vehementer pertrahit ad similes actus malos. Atqui quisque, sub mortali, tenetur vitare, & à se removere occasionem proximam, ac morale periculum peccandi mortaliter; cùm teneatur velle efficaciter vitare peccatum: alioqui censetur velle, saltem interpretativè, peccatum. Imò talis toties actu peccat, quoties ad pravam illam consuetudinem advertens, non proponit efficaciter illam corrigere. Nam tunc voluntariè retinet in se occasionem proximam peccati, & vult, saltem interpretativè, in morali periculo peccandi immorari, adeoque vult ipsum peccatum. Adde, quòd pravus habitus, quem quis non statim curat evellere, necessitatem moralem peccandi augeat, & pariat cordis duritiam, obstinationem, desperationem, ac demum impœnitentiam finalem. 237

Hæc procedunt etiam de consuetudine circa actus quosdam malos exter- 238

nos, v. g. blasphemiam, juramentum falsum, licèt absque advertentia & animo blasphemandi, aut jurandi prolata. Nam, ex communi, gravis est obligatio etiam ejusmodi consuetudinem tollendi; quia talia verba, etiam sic prolata, habent gravem turpitudinem ac difformitatem objectivam, ob quam graviter disconveniunt naturæ rationali, & ratione cujus homo tenetur ea non velle, neque in se neque in causa: quippe exteriùs sonant blasphemiam aut juramentum, & eum sensum generant apud audientes. Igitur sicut illicitum est Deum blasphemare, vel adducere in testem falsitatis, aut cum periculo falsitatis, & usurpare verba, quæ exteriùs sonant & significant audientibus blasphemiam vel perjurium: ita illicitum est velle in causa ponere illos actus; & præcipitur destructio causæ illorum, nempè consuetudinis: quæ consuetudo voluntariè permissa est grave peccatum. Non velle autem illam efficaciter emendare, est velle indirectè, & saltem interpretativè, actus illos illicitos ex ea ortos. Adde, quòd ista grave scandalum parere apta sint.

Neque etiam alii subiti motus graviter inordinati, qui ex prava consuetudine quasi inadvertenter accidunt, à mortali excusantur, quamdiu non adhibetur diligentia & conatus, ut præcaveantur, & consuetudo corrigatur: quia si non in se, certè in causa, nempe in mala consuetudine non retractata, vel in negligentia sufficienter noti sunt & voluntarii.

Solvuntur Objectiones

Contra positam Conclusionem.

239 Ob. 1mo. Matthæi 12. v. 32. Christus asserit peccata in Spiritum sanctum nec in hoc Sæculo nec in futuro dimittenda esse. Quod idem repetitur Luc. 12. v. 10. Atqui inter peccata in Spiritum sanctum numerantur ea, quæ dicuntur peccata malitiæ. Ergo.

Resp. 1mo. cum S. Augustino lib. de corrept. & grat. c. 12. & Ep. 50. hæc Christi verba de impœnitentia finali, seu de cordis usque ad vitæ finem duritia exponi debere: *Nullum intelligatur*, inquit lib. expositionis inchoatæ in Epist. ad Rom. *nisi perseverantia in nequitia, & in malignitate cum desperatione indulgentiæ Dei.* Hac expositione omnis tollitur difficultas: enimverò extra dubium est, perseverantiam in peccato omni spe veniæ esse destitutam, utpotè de qua scriptum est: *In peccato vestro moriemini.* Non quòd peccatoribus illis condonationis spes adimatur, sed quia peccator Deum misericordem despicit.

Resp. 2do. Cum S. Thoma in 4. Sent. dist. 20. q. 1. a. 1. quæstiunc. 1. ad 1. dist. maj. Christus asserit, peccata in Spiritum sanctum esse irremissibilia, moraliter loquendo, conc. Absolutè & simpliciter loquendo, neg. maj. *Sicut aliquis morbus*, inquit laudatus Doctor Angelicus, *dicitur incurabilis secundùm naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari, putà cùm morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi, vel medicinæ, licèt Deus morbum possit curare: ita etiam peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile secundùm suam naturam, in quantum excludit ea, per quæ fit remissio peccatorum, auxilia scilicet gratiæ, quorum largitio Spiritui sancto specialiter adscribitur; per hoc tamen non præcluditur via remittendi & sanandi omnipotentiæ & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculosè sanantur.*

Ob.

240 Ob. 2do. 1. Joan. c. 5. v. 16. hæc leguntur: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.*

Resp. 1mo. cum S. Augustino suprà laudato; per peccatum ad mortem etiam hîc intelligi finalem impœnitentiam, illud scilicet peccatum, quod cum corporis morte conjungitur: ac proindè quod conjunctam habet æternam hominis mortem: undè cùm se extra viæ statum extendat, non licet pro illius remissione divinam indulgentiam deprecari.

Resp. 2do. Nullis peccatoribus, si verè conterantur, expectationem veniæ abjudicasse S. Joannem, sed vanam quorumdam peccatoribus adulantium fiduciam compressisse, qui cùm apud Deum nulla auctoritate valeant, apud peccatores nomen sibi faciunt, suarum scilicet precum virtute commendata; quasi se, Moysis instar, vel pro gravissimis peccatis coram Deo sistere possent: Imò verò tantùm abest, ut de neganda peccatoribus ullis veniæ spe cogitaverit unquam S. Joannes, ut pro juvene, qui ad latronum castra profugerat, & apud eos principatum ut scelestissimus obtinuerat, non tantùm oraverit, sed pœnitentiæ labores pro ipso amplexurum pollicitus sit.

Nec verò negamus frustraneas esse sæpiùs orationes pro induratis, qui beneficium divinum omne proculcant, & derident. Quidam etiam aliquandò frustrà orant non audiendi, ut Antiochus, lib. 2. Machab c. 9. v. 13. quia peccati odium ad preces eos non impellit, sed vitæ præsentis amor intensissimus.

241 Ob. 3tio. S. Hieronymus, Ep. 149. ad Marcellam, adversùs Novatianum contendit quidem, Christi negationem tormentorum metu extortam condonari posse; sed convenit aliud peccati genus Christi verbis Matth. 12. designatum hic nullatenùs remitti, nempè iniquitatem, qua quis Christi opera tribuit Dæmoni, seu Beelzebub, & Christum nomine Beelzebub compellare non dubitat: *Doceat* (Novatianus) *aliquem negatorem, Beelzebub vocasse Christum, & ultrò referam gradum, negatorem non posse consequi veniam post ruinam.* Paulò ante dixerat: *Manifestum est, peccatum in Spiritum sanctum ideò non posse dimitti, quòd habeat blasphemiam, ut cum videas in virtutibus Deum, Beelzebub calumniaris in factis.* Ergo &c.

Resp. 1mo. S. Hieronymo opponimus S. Augustinum suprà laudatum, qui hæc Christi verba de finali impœnitentia exponit. Opponimus S. Ambrosium & alios Patres, qui hæc Christi verba de maligno affectu tribuentium Dæmoni Beelzebub, quod Dei est opus, seu miracula illa tam splendida, quæ patrabat Christus, qui horrendum illud scelus locô laudatô carpit, exponunt. Cui tamen sceleri non omnem aufert veniæ spem; cùm ibidem calumniatoribus suis auctor sit, ut operibus operam collocent; subjungit enim v. 33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum &c.* Sed difficillimè veniam obtineri indicat; quia videlicet nullam excusationis, quæ vel ex infirmitate, vel ex ignorantia ducatur, speciem prætexere potest tam gravis sceleris reus.

Resp. 2do. Nulli peccato veniam negatam voluisse S. Hieronymum. Confutabat scilicet argumenta Novatiani, qui tùm ex Matth. 12. v. 32. tùm ex istis Heb. 6. v. 4. verbis: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste . . . . & prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœniten-*

tentiam (*d*): falsò colligebat, non posse veniam lapsis concedi, quique ejusmodi peccatores à renovationis expectatione repelli conclamabat, quòd non infirmitatis, sed puræ malitiæ essent fidei ejurationes. Quæ argumentorum genera Marcellæ molestiam facessebant; ideoque illorum solutionem à S. Hieronymo postulárat; cujus votis ipse annuens ostendit 1mo. ibi non agi de baptizatis, qui tormentorum acerbitate ad Dominum negandum impelluntur; cùm de Judæis, qui opera ipsius in Dæmonem, seu Beelzebub referebant, ageret Christus. 2do. Non posse à Novatiano probari lapsos omnes Christi opera tribuisse Dæmoni, nec proin blasphemos esse in Spiritum sanctum; quod si posset exequi, *tunc poterit*, inquit, *approbare irremissibilem esse in Spiritum sanctum blasphemiam.* In persecutione lapsi contra filium hominis delinquunt quidem, ut addit, sed non blasphemant in Spiritum sanctum. Nam undè Christus Matth. 12. opposuisset peccatum in Filium Hominis peccato in Spiritum sanctum? Seu undè duo diversa peccatorum genera ibi constituisset? Quamobrem ita concludit S. Hieronymus: *Doceat igitur, aliquem negatorem Beelzebub vocasse Christum, & ultrò referam gradum, negatorem non posse veniam consequi post ruinam.* Quam tamen illationem, videlicet, non posse remitti blasphemiam in Spiritum sanctum, non concedit ipse S. Hieronymus, licèt concedere videatur; sed Antiquorum more, qui ne cavillationibus locus daretur, in consutandis, quæ opponebantur, operam omnem collocabant. Ideò autem hanc quæstionem, an peccatum in Spiritum sanctum remitti non possit, prætermittit, quia per tempus sibi non licebat illam excutere, nec aliundè sui copiam poterat amicis negare, quemadmodùm ipse scribit sub finem ejusdem Epistolæ. Ideoque si Marcellæ in votis esset, aliquandò illius peccati naturam edoceri, se suum studium illi non esse negaturum spem fecit.

§ IV.

De peccatis merè internis, seu Cordis.

In sæpè memorato hujus Tractatus 242 procemio peccatum cordis illud esse diximus quod in corde consumatur; adeoque quod in solo actu interno, absque ullo opere aut signo externo, consistit. Hujusmodi autem actus peccaminosi interni & cordis duplicis generis esse dignoscuntur: alii enim sunt, quibus voluntas Objectum aliquod aversatur, ut odium Dei, &c. Alii, quibus Objectum aliquod prosequitur, & hi desideria vocantur; de quibus duntaxat hîc agere animus est, atque internis delectationibus.

Porro voluntas tripliei actu illicitum Objectum prosequi potest. Primus est volitio efficax Objecti, qua voluntas vult adhibere media, quæ sunt in ejus potestate, ad illud Objectum assequendum, seu opus volitum exequendum. Secundus est desiderium inefficax. Tertius est simplex delectatio, seu mera complacentia de Objecto seu opere apprehenso, absque proposito exequendi, & desiderio assequendi; quæ est simplex quidam voluntatis affectus, quo res apprehensa tan-

(*d*) Hunc textum luculenter exposuimus Tom. 1. Theol. nost. Tract. de S. Script. part. 2. c. 3. in resp. ad Ob. 6.

tanquam jucunda placet, & grata atque accepta habetur. His prænotatis, ponuntur ſequentes ſolutiones.

243 I. Quodlibet deſiderium rei vel actionis malæ, etiam inefficax, illicitum eſt, utpote prohibitum præceptô, *Non concupiſces*, juxta ſenſum Eccleſiæ; & habet malitiam mortalem vel venialem, ac eandem ſpeciem, quam habet res vel actio, in quam fertur.

Prob. 1mo. Ex Scriptura. Prov. 15. *Abominatio Domini cogitationes malæ.* Et Pſal. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam ſuam.* & Oſee 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Quod indefinitè & generaliter dictum intelligi debet de omni affectu etiam inefficaci, cùm hic etiam tendat in Objectum ſuum.

Prob. 2do. Ex conſenſu omnium Eccleſiæ Patrum, Doctorum & Theologorum, qui unanimiter idem, quod nos tuemur, docent.

Prob. 3tio. Ratione. Quia turpe ac inhoneſtum eſt velle & deſiderare quovis modo aliquid turpe ac illicitum. Item omnis affectus & deſiderium alicujus rei graviter malæ, graviter diſconvenit naturæ rationali, & legi divinæ prohibenti tale Objectum ſeu talem rem, ſumitque malitiam ac ſpeciem ab objecto malo ratione cujus opponitur rectæ rationi & legi: Objectum autem voluntatis eſt id omne, in quod ipſa fertur. Et verò ad mortale non requiritur conſenſus efficax in opus: alioqui approbans crimen alterius, ſine voluntate illud patrandi, non peccaret mortaliter, contra illud ad Rom. 1. *Digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Hinc deſiderium, licèt inefficax, occidendi, fornicandi, &c. eſt peccatum mortale injuſtitiæ, luxuriæ, &c. Deſiderium verò leviter nocendi proximo, eſt veniale duntaxat: nam omnis actus internus ſumit malitiam & ſpeciem ab actu externo tanquam ab Objecto.

II. Deſiderium conditionatum, ſeu 244
conſenſus conditionatus rei vetitæ, per ſe loquendo, non eſt mortale, ſi conditio appoſita auferat totam, vel ſaltem gravem operis malitiam. Ita communiter Theologi. Quia talis affectus non eſt graviter inordinatus, neque ſecundùm ſe, neque ex Objecto, à quo, per conditionem, gravis malitia verè excluditur. Non eſt autem per ſe peccatum deſiderare præcisè Objectum, à quo vera ſublata eſt malitia.

Si tamen, ut ſæpè fit, inducat periculum probabile conſenſûs abſoluti, erit mortale ratione talis periculi: quia mortale eſt ſe exponere periculo probabili peccandi mortaliter; nam eſt velle interpretativè mortale peccatum. Imò ſeclusô tali periculô, ejusmodi deſideria rarò vacant culpâ, ſaltem veniali, ratione inutilitatis, otioſitatis, aut alicujus inordinati affectus.

Quòd ſi conditio non aufert malitiam, tale deſiderium vel delectatio in re gravi eſt culpa mortalis, in levi venialis; quia talis affectus tendit in Objectum malum, & quidem abſolutè, cùm appoſita conditio non verè tollat malitiam ab Objecto, etiam ut repræſentato: & ſic malitia Objecti in actum voluntatis tota transfunditur: ſive tunc eſt affectus admittendi malum, vel delectatio de illo, remanente tota objecti malitia.

Conditio autem aufert malitiam mor- 245
talem Objecti, quando vel re ipſa ſubeſt, vel poſſibilis eſt, & eâ poſitâ res, ſeu actio non eſt ampliùs mala, ſaltem graviter;

viter; ut contingit 1mo. in iis, quæ solo jure positivo vetita sunt: hinc non peccat mortaliter, qui dicit, vellem comedere, seu comederem carnes die Veneris, si id Ecclesia non vetuisset; vel optarem, ne hodie prohibitus esset esus carnium, ut illis vesci possem. 2do. In prohibitis quidem jure naturali, sed tamen in aliqua circumstantia licitis, si hæc pro conditione apponatur, v. g. si essem Judex, hunc homicidam morte mulctarem, &c. Rectè tamen monent Doctores, ejusmodi desideria esse periculosa, & vitanda, atque fatuas, ut quidam eorum ajunt, & diabolicas tentationes. Et re vera sunt plerumque occasio peccati, præsertim in materia periculosa, ut ex multorum lapsu constat: ut si dicas vellem uxorem ducere si non essem Religiosus, Sacerdos, &c.

246 At malitiam conditio non tollit, quando eâ appositâ adhuc manet Objectum graviter inordinatum, ut si dicas: inimicum occiderem, si non essem Sacerdos: Undè peccas mortaliter, perindè ac si non poneretur conditio. Item quando conditio per se est impossibilis, ut si ea, quæ intrinsecè mala sunt, ponantur non esse vetita, ut si dicas: vellem furari, nisi esset peccatum, vel nisi Deus id prohiberet. Imò hoc optare est gravis culpa; nam est velle, ut id, quod est per se malum, sit licitum, nec à Deo prohibeatur; ac proindè ut ordo naturæ pervertatur, & lex æterna immutetur, necnon ut natura rationalis non sapienter à Deo regatur: quod desiderium est graviter inordinatum, & pejus est quàm semel furari; nam pejus est furtum licere, quàm semel committi.

247 III. Delectatio appetitûs sensitivi de Objecto graviter malo, etiam sub conditione, sub qua est licitum, v. g. delectatio carnalis de copula cum fœmina, si esset uxor, est mortalis; quia appetitus sensitivus semper fertur in Objectum, ut est in se, & omni conditione destitutum: nam imaginatio, ex cujus apprehensione movetur, & quam solam sequitur, nullam conditionem apponere potest, nec præscindere malitiam ab Objecto. Imò juxta varios, quævis delectatio de Objecto intrinsecè malo perindè mala est, posita quacumque conditione, ac foret illâ sublatâ; quia delectatio est affectus complacentiæ de objecto ut præsenti, qui unicè pendet ex eo, quod ut delectabile in Objecto apprehenditur. Ergo si Objectum sit malum, delectatio erit mala. Conditio autem quævis apposita nihil operatur ad delectationem, nec tollit ejus malitiam, nisi tollat rationem, quæ delectat, seu ipsam delectabilitatem.

IV. Igitur præceptô, *Non concupisces*, 248
prohibetur tùm quodvis desiderium, & complacentia Objecti seu actûs mali, & consensus pravis concupiscentiæ motibus: tùm etiam desiderium habendi quodvis bonum proximi, sive uxorem, sive servum, sive fundum, &c. juxta illud Deut. 5. *Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt.* Ita ut sit mortale, proximi bonum notabile expetere cum ejus damno, vel appetere proprium commodum aut lucrum cum gravi damno proximi: nam hoc repugnat charitati vetanti, ne alteri fieri velis, quod tibi non vis fieri. Hinc ut ait Catechismus Romanus, & nos in Tract. de Jure & Justitia adnotavimus; *Graviter peccant mercatores, qui rerum penuriam, annonæque caritatem expetunt; atquè id ægrè ferunt, ut alii præter ipsos sint, qui vendant, aut emant, quò carius vendere aut viliùs emere possint. Item qui alios egere cupiunt, ut*

ipsi

ipsi aut vendendo aut emendo lucrentur. Medici item, qui morbos desiderant. Judices, Advocati, Procuratores, Scribæ, qui causarum litiumque vim & copiam concupiscunt, &c.

249 V. Simplex etiam delectatio morosa seu deliberata, id est, deliberatè admissa, de quolibet Objecto, vel opere mortaliter malo, est peccatum mortale, etiam seclusô omni desideriô, propositô, conatu & periculo illud efficiendi; sumitque speciem & malitiam à tali Objecto. Ita communiter Doctores. Et constat 1mo. ex Prov. 2. *Qui lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, quorum via perversæ sunt, & infames gressus eorum.* Et Sap. 1. *Perversæ cogitationes separant à Deo.* 2do. Ex S. Augustino, lib. 12. de Trin. c. 12. *Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* 3tio. Naturæ rationali & legi divinæ disconvenit ac repugnat, quòd voluntas gratum & acceptum habeat id, quod naturæ rationali dissentaneum est, atque Deo displicet, & ab eo prohibetur. Ergo est peccatum grave vel leve, pro gravitate vel levitate malitiæ Objecti. 4to. Delectatio deliberata seu morosa de Objecto malo est affectus complacentiæ, & inclinatio appetitûs in illud: nemo enim delectatur de eo, quod non amat. Atqui omnis affectus in rem vel actionem mortaliter malam est mortalis: nam graviter naturæ rationali ac legi divinæ adversatur, & sumit totam Objecti malitiam, ex Osee 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Ergo. Ita S. Thomas 1. 2. q. 74. a. 8. ubi, *Nullus delectatur*, inquit, *nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus. Quòd autem aliquis ex deliberatione eligat, quòd affectus suus conformetur bis, quæ secundùm se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Undè talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale.* Idque verum est, quamvis delectatio sit propter bonum finem, quia finis, quantumvis bonus, non tollitur malitiam Objecti.

Hinc mera complacentia de actu seu Objecto mortali contra justitiam, v. g. de furto, vel homicidio à se aut ab alio patrato, est peccatum mortale contra justitiam; est tamen minùs grave, quàm ipse consensus efficax in tale opus, ut docet S. Augustinus loc. cit. Nam consensus efficax habet longè plus determinationis. Item mortale est contra castitatem, gaudere se amari amore libidinoso ab alio, quamvis non sic readamato. Delectatio verò de actu vel Objecto veniali est venialis.

Non est tamen mortale gaudere præcisè de Objecto ex se non malo, sed sola lege positiva vetito, quatenùs non est de se malum, v. g. de cogitato esu carnium die Veneris, non ut tali die posito aut ponendo. Nam neque Objectum istud de se illicitum est, neque ipse actus delectationis merè internæ est prohibitus ab Ecclesia. Hæc tamen delectatio est venialis, quia includit affectum quemdam intemperantiæ.

Not. deliberata tristitia seu displicentia de opere bono est peccatum: nam opponitur virtuti, cujus est actus; & naturæ rationali ac legi divinæ disconvenit odisse bonum, & amare malum ei oppositum; gaudere de malo, & dolere de bono ejus contrario.

VI. Est mortale gaudere de actu ex se mortali, sed à culpa excusato ratione ignorantiæ invincibilis, vel defectûs libertatis, ut de homicidio in somno patrato, 250

trato, de violatione jejunii ex ignorantia, &c. Quia est delectatio voluntaria de Objecto graviter illicito, cùm talis actus sit ex Objecto mortalis. Nec delectatio excusari potest: nam ideò actus non fuit culpabilis, quia non fuit voluntarius: sed nunc voluntas liberè eum approbat, & de eo gaudet sine ignorantia, quod graviter disconvenit naturæ rationali ac legi. Quare hæc regula, *Talis est delectatio, quale est Objectum*, intelligi debet, quando eadem causa opus excusans reperitur in delectatione.

251 VI. Ex communi Delectatio deliberata de solo artificio modò patrandi malum, qui ex se malus non est, vel de aliqua ejus circumstantia insolita, sed non mala, per se loquendo, non est mortalis. Quia 1mo. in parabola Luc. 16. *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* 2do. Ex sensu communi hominum, qui crimini non vertunt, quòd quis delectetur de modo, quo ebrius tremulè incedit, quo quis ex equo decidit, vel de industria, qua fur subtiliter crumenam emungit, &c. & aliis non malis actuum malorum circumstantiis, qui actus simul quoad substantiam displicent. 3tio. Quia Objectum talis delectationis non est malum.

Potest tamen consensus in ejusmodi delectationem esse culpa venialis, ratione otiositatis, curiositatis, aut similis inordinationis; imò & mortalis ratione scandali, vel periculi consentiendi in delectationem de ipso malo actu. Quòd si circumstantia vel modus esset malus, non liceret de eo delectari.

VII. Per se loquendo licet gaudere de effectu bono, qui ex peccato secutus est, non tamen prout à peccato est; quia Objectum talis gaudii non est malum, nec proinde ipsum gaudium. Sic Ecclesia gaudet de Redemptione per Christum ex peccato Adami secuta, *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* 252

VIII. Delectatio de sola cogitatione seu cognitione rei etiam graviter illicitæ non est peccaminosa, modò absit periculum consensus in Objectum; quia rei malæ cognitio, quæ est Objectum talis delectationis, non est secundùm se mala; & Deus ipse cognoscit omnia mala & obscœna. Imò hæc cognitio sæpè est necessaria vel utilis Confessario, aut Medico. Delectatio autem specificatur à suo Objecto directo & immediato. Quare si cognitio seu cogitatio sit vana vel inutilis, delectatio de ea erit venialis. Si verò cognitio sit utilis aut necessaria, delectatio de ea per se non erit culpa. Ita S. Thomas 1. 2. q. 74. a. 8. 253

Hinc licet gaudere de scientia rei obscœnæ ob bonum finem, putà ad fungendum officiô Confessarii, Medici. At cognitio rei obscœnæ ex affectu veniali, putà ex curiositate, etiam absente delectatione & omni periculo, est venialis; mortalis verò, si sit ex affectu graviter inordinato, vel cum periculo gravi, aut referatur ad finem graviter malum.



PARS



PARS TERTIA.

254 De reliquis peculiaribus Peccatorum Speciebus.

MOdò ad ea specialia peccatorum genera, de quibus in procemio nostro mentionem fecimus, transeundum; ac primô loco occurrunt peccata in Spiritum sanctum, tùm sequuntur peccata in cœlum clamantia. Verùm de quibusdam eorum jam alibi disseruimus, de aliis verò agemus, ubi sermo erit de vitiis seu peccatis, quæ virtutibus opposita sunt. De reliquis verò non est, quòd præter ea, quæ tùm in dicto procœmio nostro, tùm in Tractatu de doctrina Christiana Philosophiæ nostræ præfixo jam de iis dicta sunt, quidquam memoremus. Primò igitur de vitiis capitalibus loquemur, posteà de reliquis.

Caput Primum.

255 De vitiis seu peccatis Capitalibus.

PEccata capitalia, prout in sæpè dicto hujus Tractatus procemio annotavimus, ea ratione sic nuncupantur, quod cætera peccata ad ea tanquam radices referantur, atque, prout in cit. Tract. de Doctrina Christiana part. 2. c. 2. §. 8. dictum, sint fontes & capita, nec non causa impulsiva eorum. Septem, ut ibi dictum numerantur à Theologis post S. Gregorium, scilicet Superbia, Avaritia, Gula, Luxuria, Ira, Invidia, Acedia; de quibus singulis paragraphis agemus.

§. I.

256 De Superbia, & ejus Filiabus.

Superbia definitur *animi elata inflatio, se omnibus præcellere, & omnia sibi deberi censentis*; seu breviùs, *est inordinata cupiditas propriæ excellentiæ & celsitudinis*; vel prout in Tractat. de Doctrina Christ. dictum, inordinatus appetitus supra alios excellendi.

Ejus actus sunt 1mo. Inordinata sui 257 æstimatio, qua quis se ipsum æstimat supra id, quod est, & afficitur erga se ipsum tanquàm aliquid excellentius, quàm re vera sit. 2do. Finem suum ultimum in propria excellentia constituere; necnon virtutem, scientiam, & alia ad excellentiam spectantia non appetere propter Deum, saltem ultimatè, nec ad ejus gloriam referre, sed unicè & ultimatè propter suam satisfactionem ac excellentiam. 3tio. Ab aliis velle magni fieri, honorari, laudari; si id non faciant, dolere, irasci. 4to. Judicio proprio pertinaciter adhærere. 5to. Alios & aliena parvi facere, vel velle videri singulariter habere quæ possidentur. 6to. Si putes te habere bona, quæ non habes, vel majora, quàm habeas, aut in eo ponas excellentiam, ubi non est, & inde te extollas. 7mo. Si

Si bona tua æstimes, quasi ex te habeas, & non à Deo. 8vo. Si bona tua accepta quidem à Deo credas, sed ea æstimes tanquam meritis propriis debita, vel ea ad Dei gloriam non referas, atque ita te geras, & animô extollas, perindè ac si ea à Deo non haberes. 9no. Nolle se subjicere suis Superioribus, quasi id sit indignum. 10mo. Nolle etiam se Deo ejusque præceptis submittere, id æstimans tanquam contrarium dignitati suæ, & volens suo arbitratu vivere, quasi Deô non indigeat, aut ab eo nullatenus pendeat.

258 Superbia ex genere suo est peccatum mortale. Nam ad Rom. 1. *Superbi & elati* numerantur inter eos, *qui digni sunt morte.* & Prov. 8. *Deus arrogantiam & superbiam detestatur.* Ratio est, quia Superbia adversatur charitati Dei, ejus honori, majestati & excellentiæ; atque etiam est radix omnis peccati, ex Eccli. 10. *Initium omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem.* Et ex S. Augustino lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 17. *Vitiorum namque humanorum causa superbia est.*

Hinc superbia perfecta est semper culpa mortalis, ut 1mò. Quando præ superbia, quis subjici Deo renuit, vel Superioribus, eorumve præceptis etiam in re minima. 2do. Cùm quis bona sua æstimat à se ipso habere, vel esse propriis meritis debita, vel solis viribus acquisita. 3tio. Quando finis ultimus ponitur in propria excellentia, vel in rebus graviter malis propria excellentia constituitur, aut ex illis quæritur.

Imperfecta tamen superbia, qua quis sine Dei & aliorum contemptu, nec renuens Superioribus subjici, solùm plus justo se effert, est venialis: quia gravis non est inordinatio, nec graviter repugnat charitati. Sanè, si mortalis diceretur ac probari posset, pauci in Religiosis Communitatibus invenirentur, qui hoc peccatô non detinerentur; Nihilominùs illud quoque omni studio vitandum est; non modò quia peccatum saltem veniale est, sed insuper, quia aliorum invidiæ præbet occasionem.

Porro Superbiæ remedia generatim eadem sunt, quæ humilitatis adjumenta: speciatim verò hæc: 1mo. Sæpè humilitatem à Deo petere. 2do. Sæpè considerare suum nihilum, suam effrenatam ad malum propensionem, suas pravas cupiditates, sua peccata, vitia, defectus, miserias tùm corporis, tùm animæ, infirmitatem, impotentiam sine Dei gratia actuali ad quemlibet actum salutarem; item infinitam Dei excellentiam, ad quam si omnia comparentur, sunt instar nihili; omnia, quæ habemus, esse à Deo, nostra merita esse illius dona. *Quis .. te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. Corinth. 4. Atque ex horum consideratione complacentiam sui coërcere, se ipsum contemnere, & ex sui ipsius contemptu humiliationes, & quasvis afflictiones tanquam sibi propter peccata debitas, libenter pro Christo suscipere & sustinere. 3tio. Meditari superbiæ pœnas, & humilitatis præmia. 1. Pet. 5. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et Matth. 23. *Qui se exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur.* Item & maximè exempla Christi, qui humiliavit semetipsùm factus obediens usque ad mortem crucis, & opprobriis satiatus est, quemque imitari debemus: *Frustrà enim appellamur Christiani*, inquit S. Leo Magnus Serm. 5. de Nativit. *si non simus imitatores Christi, qui ideò se viam dixit esse, ut conversatio Magistri, forma esset Discipuli; & illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus.* 4to. Omnia sua bona ac opera ad Dei gloriam sæpissimè actu referre, & crebrò exercere actus internos & externos humilitatis, atque

atque opera ac ministeria vilia & abjecta obire, infimum locum eligere, hospitalia visitare, pauperibus & ægrotis ministrare, &c.

260 Superbiæ tres præcipuè numerantur filiæ, scilicet Præsumptio, Ambitio & Vana gloria: Hæc ultima septem alias filias parit, nimirùm Inobedientiam, Jactantiam, Hypocrisim, Contentionem, Pertinaciam, Discordiam, & Inventionem novitatum; hæc enim septem peccata ex ea immediatè oriuntur, unde Vana gloria à S. Thoma post S. Gregorium etiam inter peccata capitalia numeratur, quamvis propriè duntaxat sit Superbiæ filia, atque ab ea derivetur.

Præsumptio hîc est appetitus inordinatus faciendi aliquid facultatem suam excedens. Mortalis est 1mo. Ratione gravis injuriæ Dei, ut cùm Lucifer dicere præsumpsit: *Ascendam, & similis ero altissimo.* 2do. Ratione gravis damni proprii vel alieni, aut periculi talis damni: ut si præsumas exercere sine sufficienti peritia officium Medici, Advocati, Judicis, Confessarii, &c. 3tio. Cùm usurpatur dignitas, vel potestas, vel officium sæculare aut Ecclesiasticum: ut si audias confessiones, aut judices, aut exerceas actum ordinis sine potestate legitima. De præsumptione opposita Spei dicemus infrà.

Ambitio, est inordinata cupiditas honoris, vel dignitatis, aut potentiæ. Est autem inordinata 1mo. Si appetas honorem, quem non mereris, vel majorem, quàm merearis; vel ob rem, qua cares, ut si honorari cupias ob doctrinam, nobilitatem, virtutem, &c. qua cares: item si aspires ad officium, munus, quo es indignus. 2do. Si appetas honorem propter se, non illum referendo ad Dei gloriam, vel utilitatem proximi. 3tio. Si appetas honorem ex re illicita v. g. duello. 4to. Si nimio affectu honorem appetas.

Ambitio sæpè est mortalis, nempè vel ratione materiæ graviter malæ, vel damni gravis, quod proximo infertur, vel periculi peccati gravis, vel medii graviter illiciti, quod adhibetur, vel finis mortalis, ad quem refertur, vel affectûs graviter inordinati, ut si quis paratus sit peccare mortaliter ad honorem vel dignitatem obtinendum & tuendum.

Vana gloria est inordinata cupiditas humanæ existimationis ac laudis. Proprius ejus actus est inordinata manifestatio propriæ excellentiæ sive veræ sive fictæ. Est autem inordinata illa cupiditas, dum gloria quæritur ex simulata doctrinæ, peritiæ, aut virtutis excellentia, vel ex rebus malis aut indifferentibus, aut major, quàm par sit, aut præcisè propter se, non referendo illam ad honorem Dei.

Vana gloria mortalis est eodem modo, quo de Ambitione diximus, ut si quis velit gloriam, vel laudes admittat, de re mortali, v. g. fornicatione, gravi vindictâ, &c. Si in gloria humana ponatur finis ultimus, omnia ad illam referendo, &c. Sæpè tamen est solùm venialis, quia sæpè non graviter repugnat charitati, nec gravem continet inordinationem.

Cæterùm debitum honorem, gloriam, laudem, favorem hominum, non propter se, sed propter honorem Dei, vel bonum proximi, acceptare, aut moderatè expetere non est peccatum, sed actus charitatis ex S. Thoma. (*e*)

Inobedientia, formalis scilicet & specialis, est peccatum, quo violatur præceptum Superioris ex contemptu, sive quia præceptum est. Ex communi semper 261

Kkkkk 2 est

(*e*) 2. 2. q. 132. a. 1.

est mortalis, etiam in re minima: quia tunc contemnitur Superior, ut Superior, & Minister Dei, ideoque Deus ipse, juxta illud Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit.* Et quia tunc quis ita affectus est, ut nullo modo velit obsequi Superiori, quidquid præcipiat.

Violatio autem præcepti non ex contemptu, sed ex alio motivo, putà ob delectationem, vel utilitatem, aut difficultatem, est ex S. Thoma Inobedientia generalis pertinens ad aliam speciem peccati, proindè vanæ gloriæ non deputatur. Estque mortalis vel venialis prout præceptum, quod violatur, sub mortali vel veniali obligat: atque etiam prout motivum graviter, vel leviter malum est, cùm actus participet malitiam finis, utpotè per eum voliti.

262 *Jactantia* est, qua quis inordinatè verbis prædicat de se id, quod gloriam ac laudem apud alios parit, vel falsò parere putat, vel gloriatur de peccato. *Quandoque est peccatum veniale*, ait S. Thomas, q. 112. a. 2. *quandò scilicet aliquis de se talia jactat, quæ neque sunt contra Deum, neque contra proximum.* Est verò culpa mortalis, 1mo. Si quis de se proferat aliquid contra gloriam Dei, ut illud Ezech 28. *Elevatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum.* 2do. Ratione gravis scandali, damni, contumeliæ, vel contemptûs proximi. 3tio. Si fit de actione mortaliter mala: quia includit approbationem actûs mali, quæ eamdem cum illo speciem habet; & quia sicut laudare opus mortale, v. g. duellum, ita & de illo gloriari est mortale; opponiturque eidem virtuti opus illud vetanti; nam quævis virtus non solùm obligat ad actum, quem directè præcipit, sed etiam indirectè obligat, & vetat, ne ipsa contemnatur, aut irreverenter tractetur: contemnitur autem virtus, cùm quis gloriatur de ejus violatione, vel cum ejus violatio in alio laudatur. Hinc glorians de peccato aliquo, vel illud laudans, contrahit speciem talis peccati.

Hypocrisis est simulatio virtutis, hoc 263
est, factum, quo quis mentitur se virtutem seu sanctitatem habere, quam non habet, vel majorem, quàm habeat. Undè semper est peccatum saltem veniale, cùm sit mendacium facti. Sed mortale est, si habeat conjunctum vel contemptum virtutis, vel grave damnum proximi; item si simuletur sanctitas ob finem graviter repugnantem charitati Dei aut proximi, putà ut falsam doctrinam quis disseminet, ut decipiat proximum in re gravi, vel ut adipiscatur Beneficium Ecclesiasticum, aut quodvis officium, etiam sæculare, quo indignus est. Si autem absit contemptus virtutis, ac damnum proximi, vel honoris Dei, nec finis intentus graviter repugnet charitati, erit solùm veniale. Ita S. Thomas, qu. 111. art. 4.

Pertinacia est perseverantia in propria 264
sententia contra veritatem cognitam, vel sufficienter propositam. Mortalis est, quandò illa veritas ad fidem, vel bonos mores, pietatem, pacem, grave bonum proximi pertinet; nam tunc materia est gravis.

Inventio, seu *Præsumptio novitatum* 265
est, cùm quis ex inani gloria præsumit nova excogitare. Novitatum inventio vel usus est mortalis, si Fidei, bonis moribus, pudicitiæ adversetur, vel pariat scandalum, aut grave damnum proximo. De aliis dicetur infrà.

Contra Præsumptionem, Ambitionem, Vanam gloriam ejusque filias eadem sunt adhibenda remedia, quæ contra earundem matrem Superbiam præscribuntur.

§. II.

De Avaritia. 266

Avaritia est inordinatus appetitus divitiarum, hoc est, pecuniæ, & rerum pecuniâ

pecuniâ æstimabilium, ut sunt agri, domus, pecora, &c. Mortalis est 1mo. Cùm in divitiis finis ultimus ponitur, ex illo Ephes. 5. *Avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* 2do. Cùm quis ad divitias acquirendas, augendas, vel conservandas adhibet media graviter illicita, & injurias; vel paratus est peccare mortaliter, aut ita peccat, v. g. injustè alienum accipiendo, retinendo, eleemosynas debitas omittendo, &c. Hinc illud Eccli. 10. *Avarò nihil est sceleſtius .... nihil est iniquius, quàm amare pecuniam.* Est peccatum capitale, quia est fons & origo multorum aliorum. *Nam qui volunt divites fieri*, inquit Apostolus 1. Timoth. 6. *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

Si autem, inquit S. Thomas, 2. 2. q. 118. a. 4. *inordinatio amoris intra hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superfluè divitias amet, non tamen præfert earum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum & proximum, sic avaritia est peccatum veniale.*

267 Præcipua Avaritiæ remedia sunt oratio, meditatio bonorum cœlestium, periculi ac vanitatis bonorum terrestrium, paupertatis Christi, mortis, &c. Crebra & larga eleemosynarum elargitio, resignatio in jactura bonorum, &c.

Avaritiæ filiæ sunt, ex S. Gregorio, 1mo. *Obduratio cordis contra misericordiam*, miseris & egenis non compatiendo, non opitulando, eos objurgando, debita durè exigendo à debitore, qui solvendo par non est, &c. Hæc obduratio mortalis est, quoties ex ea præceptum eleemosynæ vel charitatis graviter violatur. 2do. *Inquietudo cordis*, quæ est inordinata & anxia applicatio mentis ad acquirendas vel conservandas divitias, cum inani timore ne non acquirantur, aut ne amittantur. Mortalis est, quandò retrahit à spiritualibus vel aliis officiis, ad quæ graviter obligamur; vel cùm quis divinæ providentiæ diffidit. 3tio. *Violentia*, qua res aliena, per vim injustam, usurpatur. Mortalis est ex genere suo contra justitiam. 4to. *Fallacia* sive *dolus*, qui est alterius deceptio, sive verbis sive factis, & *Fraus*, quæ est astuta deceptio proximi per sola facta. Utraque est ex genere suo mortalis contra justitiam, & sæpè confunditur. 5to. *Perfidia*, qua fides in promissis, pactis, & rebus creditis violatur. Mortalis est in re gravi contra justitiam. 6to. *Proditio*, quæ est manifestatio rei alicujus, vel personæ, in damnum proximi contra fidem ei debitam. Mortalis est ex genere suo contra charitatem & justitiam; & contingit tripliciter; 1mo. Circa personam, quo modo Judas Christum prodidit. 2do. Circa res, ut si miles declaret hosti modum capiendi arcem, quam obsidet; vel si alterius vestem, pecuniam, &c. absconditam prædoni ostendas. 3tio. Prodendo alterius secretum suæ fidei commissum.

§. III.
De Gula. 268

Gula est inordinatus appetitus vel usus cibi aut potûs. Undè opponitur abstinentiæ & sobrietati. Sumitur aliquandò strictiùs prout continet inordinationem solùm in cibo & potu non inebriante.

Ex S. Gregorio communiter committitur quinque modis. 1mo. Si edas ante tempus. 2do. Si nimis exquisita, id est, pretiosiora, quàm conveniat tuo statui vel necessitati. 3tio. Si plus justô. 4to. Si voraciter. 5to. Si nimis exquisitè præparata, juxta hunc versum:

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

 Quod

Quod spectat ad qualitatem cibi & potûs, hæc debet esse accommodata statui, conditioni, facultati, infirmitati, necessitati personarum, & loco ac tempori.

Circa quantitatem cibi & potûs hæc tradit S. Antoninus part. 2. tit. 6. cap. 1. quæst. 5. ubi, *De quantitate cibi & potûs*, inquit, *non potest dari una certa regula omnibus secundùm eandem mensuram. Sed plus & minus exigitur secundùm varietatem complexionum & fatigationum. Unus etiam & idem plus indiget uno tempore, quàm alio, secundùm dispositionem sui corporis . . . tantum ergo potest & debet quis comedere & bibere, quantum credit se indigere ad sustentationem & executionem eorum, quæ sibi incumbit agenda; ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adbuc appetitu finem faciat. Cùm autem ex delectatione cibi vel potûs plus sumit, quàm sibi dictat conscientia opportunum, tunc peccat.* Peccat, inquam, etiamsi vilissimi sint cibus & potus, ut idem S. Antoninus paulò antè notat post S. Augustinum, qui lib. Confess. 10. cap. 31. ait: *Hoc me docuisti, quemadmodùm medicamenta, sic alimenta, sumpturus accedam.*

269 Peccatum Gulæ mortale est in multis casibus; undè, ad Galat. 5. comessationes inter opera excludentia à Regno Dei numerat Apostolus. Et 1mo quidem ratione affectûs graviter inordinati, quo quis ita inhæret oblectationibus cibi vel potûs, ut in iis finem suum ultimum constituat juxta illud ad Philipp. 3. v. 19. *Quorum Deus venter est.* Idque quamvis solùm interpretativè, ut cùm quis ex affectu gulæ paratus est peccare mortaliter: nam hoc ipso quòd mortaliter peccet, Deum propter voluptatem deserit, hancque illi suô factô præfert. Item cùm quis nihil aliud quærit, quàm edendi & bibendi voluptatem, ad id cogitationes & curas ferè omnes referendo, nam is vitæ suæ finem in delectatione cibi & potûs ponit. 2do. Si quis bibat ad ebrietatem. 3tio. Si quis ob solam voluptatem cibo & potu usque ad vomitum scienter se ingurgitet: nam hoc, seclusis etiam scandalo & ebrietate, continet gravem inordinationem, ac periculum lædendi sanitatem, & graviter reprehenditur ab Isaia cap. 28. *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque.* Idem dic, si quis postquam multùm comedit, ad vomitum se excitet, ut iterùm ob solam voluptatem edat: nam hoc graviter dedecet naturam rationalem præsertim elevatam, estque plusquàm bestiale. 4to. Ratione gravis nocumenti, quod quis ob gulam sibi, aut familiæ suæ, aut creditoribus infert, sanitatem corporis graviter lædendo, se reddendo impotem ad solvenda debita, filios vel filias in statu convenienti non collocando; item non opitulando gravem necessitatem patienti; aut si indè notabiliter fiat ineptus ad functiones aliquas, ad quas sub mortali tenetur, &c. 5to. Si quis, saltem extra necessitatem extremam, carne humana aut sanguine vescatur; nam hoc est contra honorem defunctis debitum, & contra ordinem ac instinctum naturæ: undè ab hoc tanquam à re valde inordinata & extremæ feritatis abhorruere gentes omnes non penitùs barbaræ. Licet tamen uti carne humana in medicamentis, quia tunc sic alterata est, ut dici nequeat carnis humanæ sumptio. 6to. Ratione gravis scandali, vel periculi peccandi graviter.

Extra hos casus peccatum Gulæ est solùm veniale. Ita S. Thomas 2. 2. quæst. 148. art. 2.

Remedia verò adversùs Gulam hæc sunt, 1mo. Considerare Gulæ incommoda ac damna: quippe intellectum obnubilat, mentem deprimit, bona desideria extinguit, aggravat animam, reddit hominem ineptum ad sua officia, & exer- 270

citia

citia ſpiritualia ; impedimenta apponit gratiæ divinæ , & gaudiis ſpiritualibus, vitam minuit , morbos & multa peccata parit ; aditum vitiis aperit , & intercludit virtutibus. Item cogitare, quàm citò tranſeat cibi & potûs delectatio , gravia autem mala ex Gula orta maneant. 2do. Vitare occaſiones. 3tio. Sectari in omnibus temperantiam , nihil ultra neceſſitatem convenientem edendo & bibendo. 4to. Semper ſibi in menſa ſubtrahere aliquid modicum , quod adhuc licitè ſumi poſſet, & præſertim quod magis arridet palato.

271 Quoniam ſuprà n. 2. diximus illum peccare mortaliter , qui ad ebrietatem usque bibit, operæ pretium arbitramur , hîc de iſthoc turpi ebrietatis vitio, quod præſertim in Germania noſtra apud omnis ætatis & conditionis homines, ne quidem viris Eccleſiaſticis , & Religioſis exceptis , ſi non pleroſque , ſaltem non paucos , hodiedum adhuc viget , paulò fuſiùs diſſerere.

Igitur Ebrietas eſt exceſſus in potu usque ad violentam privationem rationis, ejusque poteſtatis proximæ. Eſt peccatum mortale , ut inter omnes conſtat 1mo. Ex Iſai. 5. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam.* Et 1. Cor. 6. *Neque ebrioſi Regnum Dei poſſidebunt.* Et Galat. 5. Ebrietas recenſetur inter opera carnis , quæ excludunt à Regno Dei. 2do. Ex conſenſu Patrum & Doctorum. 3tio. Quia eſt gravis inordinatio & diſformitas violenter ſibi adimere poteſtatem proximam utendi ratione ; exercendi opera virtutum , & ſua munera ; vitandi malum , faciendi bonum, & ſubveniendi neceſſitatibus ſubitis animæ & corporis ; atque ita ſe ad brutorum ſtoliditatem abjicere , & imaginem Dei deturpare. Ebrietate autem hæc poteſtas ſic adimitur.

Quare non licet ſe inebriare , ſive ad vitandam mortem ab altero intentatam : nam , ut ait S. Auguſtinus , Serm. 232. vel S. Cæſarius , *Etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur , aut bibas , aut morieris , Melius erat , ut caro tua ſobria occideretur , quàm per ebrietatem anima occideretur.* Nam ebrietas , ſicuti fornicatio , non eſt medium ex ſe ordinatum ad vitandam mortem. Sive in medicamentum , quod tamen rarò , imò ferè nunquam eſſe poteſt , cùm , teſte Hypocrate , ebrietas ſit valdè periculoſa corporis ſanitati. *Non excuſaretur* , inquit S. Antoninus part. 2. tit. 6. cap. 3. *per hoc quis ab ebrietate ſecundùm Thomam, quamvis faceret causâ medicinæ : & per conſequens peccat mortaliter & ſumens, niſi credere ex illo potu non poſſe inebriari ; & Medicus , vel alius , qui hoc ſibi ſcienter conſuleret , & propinaret hoc exiſtimans.* Ebrietas enim quovis modo intenta ac procurata , ſemper graviter disconvenit naturæ rationali quà rationali, cùm violenter rationem perturbet , adimat poteſtatem eâ utendi , & ſubveniendi neceſſitati animæ ac corporis , Dei imaginem fœdet , atque hominem ad ſtatum bruti redigat.

Igitur ebrietas non tantùm conſiſtit 272 in exceſſu vini voluptatis causâ duntaxat commiſſi : nam etſi voluptas in nimio potu non intendatur , tamen effectus recenſiti ſemper ſequuntur ; & temperantia violatur , cui immoderata potûs vel cibi ſumptio , præciſo hoc vel illo fine , opponitur : neque enim ad violandam aliquam virtutem neceſſe eſt agere ex voluptate. Enimverò ſi duo propoſitò præmiò inter ſe contenderent , uter illorum plus vini biberet , & usque ad privationem rationis biberent absque voluptate , imò cum moleſtia , ſaltem quantùm ad exceſſum ; an non contra temperantiam peccarent , atque ebrietatis malitiam contraherent ? Et ideò SS. Patres exceſſum vini ſine ulla exceptione ſemper damnant.

Ut

273 Ut autem ebrietas sit mortalis, sufficit, quòd sit voluntaria indirectè vel interpretativè. Quarè peccat mortaliter 1mo. Qui expressè quidem se inebriare non vult, sed tamen tantum bibit, quantum potest, non satis attendens, an sequatur privatio rationis, necne. 2do. Qui probabiliter putans, vel suspicans secuturam privationem rationis, si pergat bibere; vel de hoc dubitans, adhuc bibit; quia saltem se exponit periculo ebrietatis, & vult ebrietatem saltem interpretativè. Item si hoc periculum advertere possit, & negligat, etiamsi privatio rationis solùm eventura sit post unam alteramve horam, cùm nempe ad aërem prodibit. 3tio. Qui ex amicitia vel urbanitate alium invitat ad haustus, quibus probabiliter prævidet inebriandum; quia invitat ad id, quod alter sine mortali facere nequit, & eum verè inducit in ebrietatem, vel ejus periculum. Idem dicendum de iis, qui alios ad æquales actus incitant, vel cogunt, aut se invicem obligant, ex cap. 14. *De vita & honest. Cler.* Nam saltem alios vel se conjiciunt in periculum probabile ebrietatis. Similiter de iis, qui ebriosis, vel ebrietati proximis vinum subministrant; & de iis, qui non impediunt, ne alius inebrietur, cùm commodè impedire possunt.

274 Porro ita est peccatum grave respectu omnium, ut tamen gravius sit in quibusdam personis, scilicet 1mo in Mulieribus ob turpitudinis & luxuriæ periculum tùm in se, tùm in aliis. 2do. In iis, qui debent ex officio alios regere, ut sunt Patresfamilias, Magistratus, &c. 3tio. In Clericis, præsertim sacro Ordine insignitis, & maximè Curatis, ac præprimis in Religiosis, tùm propter scandalum majus, tùm quia ebrietas est libidinis fomes ac nutrix, tùm propter damna, quæ indè aliis oriri possunt, cùm Sacerdos ebrius fungi nequeat officiô in necessitate occurrente: undè à multis Conciliis sub gravibus pœnis ebrietas speciatim illis prohibita est. In viris Religiosis autem, præter ea, quæ jam commemoravimus, tantò gravius est hoc ebrietatis peccatum, quòd vi sui, quod professi sunt, instituti, frugalitatem & sobrietatem in omnibus, & tam in cibo quàm in potu omninò sectari teneantur.

Ebrietas autem perfecta cognoscitur 275
1mo. Quando quis non novit discernere inter licitum & illicitum; vel non potest solita officia exequi. 2do. Quando quis postridiè non meminit, quid dixerit, egerit, quomodò domum redierit, &c. 3tio. Si ea fecit, quæ nunquam integra mente solet: ut si turpia vel absurda protulerit, cùm aliàs sit pudicus & prudens; si juraverit, blasphemaverit, vel familiam perturbaverit, cùm aliàs sit modestus & benignus, &c.

Mala quoque & peccata in ebrietate 276
commissa, ut cædes, vulnera, blasphemiæ, &c. si prævisa sint, ut verisimiliter secutura, vel prævideri potuerint, imputantur ad culpam; juxta communem Theologorum sententiam. Ratio est; quia sunt sufficienter voluntaria: qui enim vult causam, vult consequenter effectum saltem interpretativè; si hunc cognoscat, vel saltem cognoscere possit probabiliter ex ea secuturum: ad culpam autem mortalem sufficit voluntarium indirectum & interpretativum. Ita S. Thomas, 1. 2. quæst. 77. art. 7. ubi, *Aliquid*, ait, *potest esse voluntarium vel secundùm se, sicut quando voluntas directè in ipsum fertur; vel secundùm suam causam, quando voluntas fertur in causam, & non in effectum, ut patet in eo, qui voluntariè inebriatur: ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur, quod per charitatem committit.*

Imò peccata, quæ probabiliter secutura novit ebrius, vel prævidere potuit, ei

ei coram Deo imputantur, etiamsi re ipsa postmodùm non sequantur: quia istud est per accidens defectu Objecti. Et quia se exponere periculo probabili peccati mortalis, etiamsi illud non perficiatur, est peccatum mortale ejusdem speciei cum illo peccato, cujus probabile periculum adire voluit: nam hoc ipso tale peccatum indirectè, vel saltem interpretativè volitum est. Secùs dicendum de peccatis, quæ nullo modo prævideri potuerunt, quia nullo modo sunt voluntaria.

277 Filiæ peccati Gulæ ex parte animæ sunt, juxta S. Gregorium, 1mo. Hebetudo mentis, seu stupiditas orta ex crapula. Est mortalis, quando quis ex intemperantia fit ineptus ad intelligenda vel præstanda ea, quæ ei sunt ad salutem necessaria, aut ad quæ graviter obligatur. *Attendite vobis*, inquit Christus ipse Luc. 21. *ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa, &c.* 2do. Inepta lætitia, quæ movet ad cantiones obscœnas, actus turpes, choreas inhonestas, &c. mortalis est, quando inducit ad consensum, vel actum, vel delectationem mortalem, aut ad aliquid scandalum pariens. 3tio. Multiloquium, in quo invenietur stultitia, nec deerit peccatum, juxta illud Prov. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* 4to. Scurrilitas, quæ excitat ad indecora, vel turpia agenda aut dicenda, risûs movendi causâ.

§. IV.

278 *De Luxuria.*

Luxuria est inordinatus appetitus vel usus venereorum, seu voluptatis venereæ. Esse peccatum mortale ex genere suo constat 1mo. ex Apostolo Galat. 5. *Opera carnis*, inquit ibi, *quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria ... quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* 2do. Quia cùm usus rei venereæ ex natura sua sit institutus ac necessarius ad conservationem & propagationem generis humani, censetur res gravis. Ergo inordinatio in hac materia est in re gravi; ergo mortalis.

Luxuria dividitur in *perfectam* seu *consummatam*, quæ consistit in voluntaria effusione seminis; & in *non consummatam*, in qua non intervenit effusio seminis. *Consummata* duplex est; alia *naturalis*, quæ est voluntaria seminis effusio, in qua servantur conditiones, quas postulat natura actûs ad hominis generationem apti vel requisiti: alia *non* seu *innaturalis*, vel *contra naturam*, in qua conditiones illæ non servantur. 279

Species luxuriæ consummatæ naturalis sex ex jam dictis in Appendice ad Tract. de Justitia & Jure c. 2. §. 9. numerantur, *Simplex fornicatio*, *stuprum*, *raptus*, *adulterium*, *incestus*, & *sacrilegium*, quarum quinque ultimæ habent specialem, & notabiliter diversam inter se difformitatem superadditam luxuriæ. 280

I. Simplex fornicatio, ut loc cit. dictum, est copula soluti cum soluta non virgine ex mutuo consensu extra matrimonium: solutos vocamus, qui nullo vinculo seu impedimento ab ineundo inter se matrimonio prohibentur. Diximus, *Non virgine*, nam ex S. Thoma, q. 154. art. 6. *Fornicatio est concubitus, qui fit cum mulieribus jam corruptis.* Fornicationem esse semper per se peccatum mortale fide constat ex Apostolo ad Ephes. 5. *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Item 1. Cor. 6. & Galat. 5. suprà cit. Esse verò intrinsecè graviter malam, patet ex eo, quòd per se graviter repugnet bonæ ac debitæ educationi prolis; hæc enim requirit operam viri & fœminæ, qui sint inter se 281

conjuncti lege matrimonii: alioqui ex natura rei incerta esset & periculo exposita prolis institutio. Undè ejusmodi inordinatio est gravis, utpotè in re magni momenti, qualis est bona prolis institutio. Et quamvis hoc incommodum posset impediri in aliquo casu, id esset per accidens, & nihilominùs debuit à Deo auctore naturæ generaliter prohiberi pro omni casu; nam alioqui homines cupiditate excæcati facilè sibi fingerent & promitterent, illud incommodum cessaturum in multis casibus, in quibus non cessaret, cum magno prolis damno. Imò nunquam potest cessare hoc damnum & incommodum, quod est nasci extra matrimonium, & à parentibus lege matrimonii non obligatis ad curandam & rectè educandam prolem. Undè Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.*

282 Cæterùm fornicatio cum concubina est cæteris gravior: quia in concubinatu homo non solùm peccat, sed etiam manet in statu peccati, & in continua voluntate saltem virtuali peccandi. Quare concubinarius, quamvis mors immíneat, absolvi non debet, quin priùs concubinam ejecerit, nisi ejiciendi tempus omninò desit, tunc enim sufficit verum ejiciendi propositum. Imò etiam si eam domi non retineat, extra mortis articulum non est absolvendus, nisi priùs habeatur experientia de ejus continentia.

283 Item fornicatio fidelis cum infideli est juxta omnes longè gravior, quàm cum Catholica. Imò juxta aliquos hæc circumstantia mutat speciem: quia prohibitô ab Ecclesia matrimoniô cum infideli in honorem Religionis Catholicæ, atque ob periculum malæ educationis prolium, & nimii amoris erga infidelem, & defectionis à vera fide: ita ob idem motivum censetur prohibita ab Ecclesia quævis copula cum infideli, quæ semper vergit in dedecus Religionis. Ac proindè talis fornicatio est non solùm contra castitatem, sed etiam contra virtutem Religionis, ac cultûs veri Dei.

Item fornicatio in Christianis habet peculiarem deformitatem. Nam corpora nostra per Baptismum & Eucharistiam facta sunt membra Christi, & Templa Spiritûs sancti. 1. *Cor. 6.*

Copula verò cum alterius Sponsa præter luxuriam continet malitiam mortalem injustitiæ, positam in eo, quòd fides data violetur, & res alteri promissa, & ex justitia debita notabiliter corrumpatur. Quod idem de Sponso affirmant multi; quia pariter violat in re gravi fidem datam.

II. Stuprum est concubitus, quo mulier Virgo extra matrimonium defloratur, 284
seu corrumpitur. Qui concubitus si fiat Virgine coacta, vel per dolum seu fraudem deducta, præter malitiam fornicationis continet duplicem injuriam mortalem, unam factam Virgini, cui honor virginitatis per vim vel fraudem adimitur; alteram ejus Patri, in cujus custodia manet.

Quòd si nec invita nec seducta fuerit, tamen ejus defloratio, præter fornicationis malitiam, continet tùm injuriam illatam parentibus, qui jus habent tuendi integritatem corporalem suæ Virginis, donec nuptui collocetur, juxta illud Eccli. 7. *Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum.* Tùm malitiam contra pietatem illis debitam, præbendo iis gravissimam mœstitiæ ac ignominiæ causam, & ob periculum augendi dotem, vel innuptam retinendi filiam. Item constituit fœminam in gravi periculo deinceps peccandi, & aufert signaculum virginitatis: cui multiplici malitiæ cooperatur Stuprator. Quare circumstantia defloratæ virginitatis fœminæ, etiam absque vi, dolo, falsis

falsis persuasionibus, debet in confessione exprimi, præsertim cùm sit verum stuprum, ex S. Thoma 2. 2. quæst. 154. art. 6.

285 III. Raptus est, cùm persona aliqua per vim abducitur ab uno loco in alium, concubitûs illiciti, vel alterius libidinis, aut etiam matrimonii causâ, sive sit mas, sive fœmina, nupta aut innupta, virgo aut corrupta: sive vis inferatur soli personæ abductæ, sive solis parentibus, sive utrisque. Undè duplicem continet malitiam mortalem, unam contra castitatem, alteram contra justitiam, ob injuriam illatam personæ abductæ invitæ, vel saltem invitis ejus parentibus & tutoribus, dùm constituta sub ipsorum custodia extrahitur ipsis rationabiliter invitis. Gravissimæ pœnæ in utroque Jure contra Raptores statuuntur.

286 IV. Adulterium est concubitus personarum, quarum alterutra, vel utraque est conjuncta matrimonio cum alia tertia. Præter malitiam luxuriæ continet gravem injuriam tùm contra conjugem; nam vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor; nec uxor sui, sed vir; ut ait Apostolus 1. Cor. 7. tùm contra matrimonii statum & sanctitatem.

Quòd si conjux adulterantis consentiat, adhuc concubitus erit contra justitiam: quia est semper contra jus conjugii, & conjugis, ut conjux est; quo cedere validè non potest, eò quòd ei competat non ad bonum privatum, sed ratione statûs, qui communis est. Undè cùm cessio juris sit nulla, jus manet, & sic tunc violatur: ideoque semper est verum adulterium. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

287 Adulterium triplex est. Nam vel est copula conjugati cum soluta, vel soluti cum conjugata, vel conjugati cum conjugata. Si fœmina sit conjugata, gravius est peccatum, quàm si vir tantùm, propter incommoda graviora, nempe incertitudinem prolis, suppositionem prolis alienæ cum damno mariti & veri hæredis, & sæpè impedimentum generationis. Undè hæc circumstantia declarari debet in Confessione etiam ab adultero, quia ipse cooperatur fœminæ ad illam gravitatem majorem, & ad pericula ac damna indè sequentia, aut nata sequi. Si verò uterque sit conjugatus, adhuc gravius est, quia est duplex adulterium, & duæ injuriæ mortales in utriusque conjugem, etiam in Confessione exprimendæ.

V. Incestus est copula personarum 288 consanguinearum vel affinium intra gradum prohibitum. Opponitur castitati, & pietati; nam, præter luxuriæ fœditatem, continet turpitudinem contrariam reverentiæ consanguineis vel affinibus debitæ. Eò gravius est scelus, quò gradus est propinquior, qui proindè in Confessione exprimi debet: nam consanguineis & affinibus pro diversitate graduum diversus honor ac pietas debetur, & tunc violatur.

Item multò gravior est incestus cum consanguinea, quàm cum affine, v. g. cum propria sorore, quàm cum sorore uxoris: quia vinculum illud est multò arctius, nam plus est esse conjunctum ex proprio sanguine, quàm ratione sanguinis uxoris; & consanguinitatis propinquitas, utpotè immediata ac naturalis, major est propinquitate affinitatis, quæ est duntaxat mediata & voluntaria. Imò incestus in consanguinitate differt specie ab incestu in affinitate: Nam reverentia debita consanguineis, quæ violatur, est notabiliter diversâ à reverentia debita affinibus, cùm habeat motivum notabiliter diversum, nempe communionem sanguinis & originem ab eodem stipite: ac proindè hi duo incestus habent turpitudinem notabiliter diversam.

Inceſtus verò ſpiritualis, qui eſt copula illicita inter perſonas impeditas ob cognationem ſpiritualem ortam ex Baptiſmo vel Confirmatione, continet tùm malitiam propriam inceſtûs, quatenùs eſt copula inter perſonas vinculô ſpirituali conjunctas, cujus conjunctionis intuitu Eccleſia prohibuit inter illas matrimonia; tùm malitiam Sacrilegii, eò quòd prohibitio iſta facta ſit propter reverentiam debitam Sacramento, quæ reverentia violatur per talem copulam. Undè in Confeſſione debet explicari cognatio ſpiritualis in ſpecie, ut innoteſcat utraque malitia.

289 VI. Sacrilegium venereum eſt violatio rei ſacræ per actum luxuriæ. Undè duplicem continet malitiam mortalem, unam contra caſtitatem, & alteram contra Religionem, qua gravis irreverentia Deo irrogatur. Res autem ſacræ, quæ ſic violari ſolent, ſunt perſona votô caſtitatis, etiam ſimplici obſtricta, & locus ſacer.

Quare Sacrilegium eſt 1mo. Omnis actus tùm externus, tùm etiam merè internus luxuriæ, ſive conſummatæ ſive non conſummatæ, à perſona votô caſtitatis obſtricta, vel ab alia cum illa aut circa illam commiſſus: ut ſunt pollutio, copula, oſcula, tactus, deſideria, delectatio moroſa, &c. Nam per tales actus violatur ſanctitas perſonæ, quæ per votum caſtitatis corpus ſuum, & omnes ſuos affectus quoad voluptatem veneream Deo conſecravit. Quòd ſi utraque perſona ſit ſacra, erit duplex Sacrilegium. 2do. Omnis actus venereus illicitus exterior etſi occultus, ut fornicatio, pollutio, & tactus impudici in loco ſacro, nempe in Eccleſia, vel cemeterio. Nam ſunt contra reverentiam loci ſacri, & ejus intuitu ab Eccleſia prohibentur. Item copula conjugalis etiam occulta, quam non permittit ſanctitas loci, & quæ in ejus reverentiam ab Eccleſia prohibetur. Porro tantò gravius eſt Sacrilegium, quantò fœdior eſt luxuria, quia tantò magis repugnat reverentiæ rebus ſacris debitæ.

Not. Peccatum luxuriæ Confeſſarii cum ſua pœnitente continet malitiam duplicis ſacrilegii tùm contra votum caſtitatis, tùm contra reverentiam Sacramenti, quod per hoc redditur odioſum & ſuſpectum, maximè ſi ſumatur ut medium ad peccandum. Imò licèt tale peccatum non ſit propriè inceſtus, quia non contrahitur cognatio ſpiritualis, niſi ex Baptiſmo & Confirmatione, *Cap. 3. de cognat. Spirit. in 6.* tamen habet etiam malitiam velut inceſtûs ſpiritualis: nam eſt inceſtus quidam ſimilitudinarius, ex Cap. *Non debet*, 30. q. 1. ubi dicitur: *Sic pœniteat, quomodò de filia ſpirituali.* Et ex Cap. *Omnes* eodem tit. *Quia per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter Sacerdotem & mulierem confitentem ſimile cognationi ſpirituali, ut tantum peccet eam carnaliter cognoſcens, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia*, inquit S. Thomas, in 4. diſt. 42. q. 1. a. 2. ad 8. Hinc circumſtantia hæc in confeſſione exprimi debet. Hæc de Luxuria conſummata naturali ejusqe ſpeciebus. Modò nobis agendum de Luxuria conſummata contra naturam & ejus ſpeciebus.

Cùm peccata luxuriæ conſummatæ 290
contra naturam ſint ea, in quibus non ſervantur conditiones, quas natura actûs venerei poſtulat, ut ex eo poſſit conceptio hominis fieri; & hæ conditiones quinque ſint, ſcilicet conjunctio duorum; eadem in utroque ſpecies; ſexus diverſus; organa ſeu vaſa apta; & debitus modus: ideò ſunt quinque ejusmodi peccata his quinque conditionibus oppoſita. 1mo. Mollities ſeu pollutio formaliter ac propriè ſumpta, quæ eſt voluntaria ſeminis effuſio ſine ullo concubitu: ſive illud foras effundatur, ut in maribus, ſive intùs diffluat in matricem, ut in fœminis. 2do. Inordinatus concumbendi modus,

modus, quo semen extra vas effunditur, ac effundendi periculum infertur. Est peccatum mortale (*f*), cùm repugnet generationi, ad quam & semen ex natura sua ordinatum est; & quidem gravius pollutione, cùm ei superaddat inordinatum congressum. Quòd si modus debitus non servetur, sed vir succumbat, vel aversè accedat more pecorum, vel à latere stet aut sedeat, tunc modò diligenter avertatur periculum effusionis extra vas, juxta communem sententiam non est peccatum per se mortale, sed veniale grave, nec contra, sed præter naturam. Dicimus, *per se*, quia potest esse, & plerumque est signum concupiscentiæ mortalis, cùm fit ex sola libidine sine causa, ut dicit S. Thomas. Sed nullum erit peccatum, si hoc fiat ex necessitate, cùm scilicet ob dispositionem alterutrius corporis conjuges non possunt servare modum ordinarium; nam tunc alter modus non est incongruus respectu illorum, sed conveniens, modò diligenter avertatur periculum effusionis extra vas. 3tio. Sodomia imperfecta, quæ est commixtio maris cum fœmina non servatis debitis organis, seu instrumentis naturalibus. 4to. Sodomia perfecta, quæ est commixtio duorum ejusdem sexus, ut maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina. Præter malitiam mortalem pollutione graviorem, potest habere alias adjunctas, ut adulterii, si fiat à persona conjugata, vel cum illa; Sacrilegii, si cum sacra; incestûs si cum consanguinea aut affini, &c. Debet autem pœnitens explicare in confessione, an fuerit agens, vel patiens, quia ex parte agentis intervenit pollutio propria, quæ fortè non intervenit ex parte patientis (quamvis plerumque interveniat utrimque; & cùm sic intervenisse noscitur, exprimi debet) nam diversa sunt peccata voluntariè pollui, & solùm cooperari pollutioni alterius: aliud enim est non cohibere delectationem propriam illicitam, aliud procurare alienam.

Hæc Sodomia est diversæ speciei ab imperfecta. Nam non servare in copula carnali debitum sexum est deformitas contra rectam rationem notabiliter diversa à deformitate, quæ inest congressui, quo non servatur debitum instrumentum seu vas, servato debito sexu.

5to. Bestialitas, quæ est concubitus cum bestia, sive ejusdem, sive diversi sexûs. Est scelus cæteris gravius, nam magis dedecet naturam rationalem ad Dei imaginem factam; & diversitas speciei magis repugnat instituto naturæ. (*g*) Ad hoc revocatur congressus cum Dæmone in forma hominis vel bruti, qui præter malitiam luxuriæ contra naturam, est etiam contra virtutem Religionis, propter commercium & societatem cum capitali hoste Dei.

Porro hæc omnia peccata inter se specie differunt, nam singula habent specialem & notabiliter diversam deformitatem castitati repugnantem. Hinc Ale-

(*f*) Etiam in conjugatis.

(*g*) Congressum hunc cum Dæmone fictum asserit, & merum esse imaginationis vulneratæ effectum ait Augustinus Calmet Abbas Senoniensis Ord. S. B Dissert. de apparitione Spirituum c. 32. eò quòd, inquit, Dæmones sint substantiæ merè spirituales. Verùm hæc ratio constare non videtur cum iis, quæ posteà eadem dissertatione c. 40 pag. 336. profert, scilicet substantias spirituales posse jussu aut permissione Dei apparere hominibus, ipsisque exhibere corpora sensibilia & vera, in quibus & per quæ ea agunt, quæ ab ipsis fieri videntur; & quòd ut hujusmodi corpora exhibeant, & agere, loqui, ambulare, edere &c. faciant, debeant producere corpora sensibilia, sive aërem condensando, sive substituendo alia corpora terrestria, solida, & idonea ad similes functiones corporeas peragendas. Et c. 41. & 42. solvit id quod c. 32. dixerat.

xander VII. damnavit hanc propositionem : *Mollities, Sodomia, & Bestialitas, sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.* Sunt etiam graviora aliis speciebus luxuriæ naturalis in ratione luxuriæ : nam per se sunt magis contra naturam & finem generationis. Aliquæ tamen ex his speciebus possunt esse graviores culpæ ex alia parte, ut scilicet involvunt malitiam alterius speciei, contra justitiam, pietatem, religionem : nam simplex pollutio non est absolutè majus crimen, quàm concubitus cum matre, vel cum moniali. De pollutione autem sequentia veniunt resolvenda.

291 I. Pollutio voluntaria est per se semper peccatum mortale. Constat 1mo ex Apostolo 1. Corinth. 6. *Neque adulteri, neque molles Regnum Dei possidebunt.* Et Ephes. 5. *Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Pollutio autem est vera immunditia ac impuritas, & quidem specialis. 2do. Quia est intrinsecè mala, & crimen simplici fornicatione gravius : nam graviter repugnat generationi & propagationi generis humani, ad quam ex natura sua ordinatum est semen humanum : ideoque gravem continet inordinationem, quam Scriptura indicat Genes. 38. ubi de Onan fundente semen in terra ait : *Et idcircò percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret.* 3tio. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem : *Mollities jure naturæ prohibita non est, undè si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

292 Quare secundùm communem Doctorum sententiam, nullo casu, etsi non voluptatis, sed solius mortis vitandæ causâ, licet in se, vel in alio, quovis modo, pollutionem voluntariè procurare, admittere, vel intendere, aut aliquid sumere, ea intentione, ut, etiam in somno duntaxat, accidat. Nam ipse actus pollutionis independenter à delectatione, secundùm se graviter repugnat generationi, quæ sola est finis humani seminis. Et ideò neque licet præbere aut sumere medicamentum ad corrumpendum semen, illudque emittendum viâ ordinariâ sine delectatione.

Porro de distillatione, quæ est fluxus 293 humoris quasi medii inter urinam & semen, idem sentiendum est quod de pollutione, si fiat cum sensu delectationis venereæ. Cùm autem fit sine ulla commotione spirituum genitalium, & absque omni carnali delectatione, de ea non est magis curandum, quàm de sudore.

Verùm dura nimis aliquibus fortè 294 videtur hæc sententia, scilicet, neque mortis vitandæ gratiâ licere pollutionem in se vel in alio voluntariè procurare, admittere, &c. ajuntque : licet corporis sui partes abscindere ad vitæ suæ conservationem. Ergo & in hunc finem licebit pollutionem in se vel in alio procurare &c.

Sed negatur conf. & paritas. Disparitas est, quòd partes corporis per se & primariò ordinentur ad totum constituendum : undè de illis disponere licet ad totius conservationem. At semen solùm institutum est & ordinatum ad speciei propagationem ; ideoque eo uti non licet, nisi modò ad speciei propagationem convenientem idoneô, & intra matrimonium.

Certè si ullo casu liceret seminis effusionem procurare extra actum conjugii, periculum esset, ne ob vehementem voluptatem, quæ in ea sentitur, homines passione excæcati & illecti eam licentiam facilè extenderent ad plures alios casus in detrimentum speciei humanæ, & sæpissimè illum casum adesse sibi falsò persuaderent. Nam si simul voluptate frui,

frui, & onera educandæ prolis vitare liceret, impediretur propagatio generis humani. Undè ad commune bonum, & ad occurrendum periculis aliàs futuris, debuit pollutio jure naturali prohiberi in omni casu. At cum abscissio membri sit de se molesta, periculum non est, ne extendatur ultra casus à natura concessos.

295 II. Diximus, quòd pollutio voluntaria sit per se semper peccatum mortale. Quia si non sit voluntaria nec in se nec in sua causa, ut sæpè fit in somno, vel quando ex causis naturalibus licitis oritur, non est peccatum, secluso consensu in delectationem. Nam omne peccatum, ut imputari possit, essentialiter voluntarium esse debet vel directè vel indirectè, aut interpretativè vel in se, vel in alio.

Pollutio tamen in somno facta mortalis est, si antè directè procurata est, vel si post somnum in ipsa evigilatione cum plena advertentia placuit ob delectationem veneream. Aliàs non est peccatum, nisi indirectè procurata fuerit in excessu cibi vel potûs; quia nemo potest peccare in somno defectu libertatis. Ita S. Thomas, in 4. dist. 9. art. 4. Quòd si (ut multi docent) liceat evigilanti non impedire, sed permittere absolvi pollutionem jam in somno cœptam ad vitandum morbum (modò absit periculum consentiendi in delectationem veneream, ad quod opus est oratione) quia, inquiunt, est præcisè pati ex necessitate effusionem seminis, non autem illam procurare; tunc saltem est obligatio reprimendi delectationem per positivam displicentiam internam, nam non licet se habere indifferenter ad illam. Certò autem peccat, qui expergefactus promovet pollutionem in somno cœptam, addendo conatum : quia non præcisè patitur, sed positivè illam continuat.

Not. Sæpè pollutio, præter propriam malitiam, habet aliam in confessione exprimendam, petitam vel ex qualitate personæ se polluentis, si est sacra vel conjugata : vel ex affectu ad aliam, cum qua desideratur concubitus, quæ si sit soluta, malitiam habet fornicationis; si sacra, Sacrilegii; si ejusdem sexus, Sodomiæ; si conjugata, adulterii; &c. vel ex modo, quo se polluit, si nempè fiat per tactus mutuos cum alia persona; nam hæc circumstantia pertinet ad speciem Sodomiæ, si ambo sint ejusdem sexus; ad incestum, si sint consanguinei aut affines; &c. Idem dic de aliis luxuriæ peccatis.

III. Desiderare pollutionem in somno 296 contingentem, ut natura levetur, seu sanetur, dummodò non intendatur ipsa pollutio, nec delectatio venerea, nec aliquid adhibeatur, ut pollutio in somno sequatur, peccatum non esse affirmat S. Antoninus 2. part. tit. 6. cap. 5. ubi ait : *Appetere habere pollutionem propter alleviationem naturæ tantùm sine peccato, id est, sine hoc, quòd det operam, sed via naturali, non est peccatum.* Eum sequuntur alii; & ratio est, quia talis pollutio non procurata, sed via naturali proveniens, nullatenus est actus hominis, nec ejus voluntati subjectus, sed actus quidam & evacuatio naturalis, sicut sudor. Neque etiam peccatum esse credit S. Thomas de pollutione in somno inculpabiliter eveniente gaudere præcisè ob levamen naturæ & salutem corporis. *Si autem*, inquit S. Doctor, in 4. dist. 9. a. 4. q. 1. ad 5. *placeat* (pollutio hujusmodi) *ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.*

IV. Est mortale ponere sine urgenti 297 necessitate actionem, ex qua tanquam causa propinqua prævidetur secutura pollutio, vel delectatio venerea, quamvis neutra aliundè intendatur, imò adsit propositum illos motus comprimendi, cùm insurgent. Quia 1mo. Lex naturalis obligans ad non procurandam pollutionem & delectationem veneream, simul obligat gravi-

graviter ad vitandas & auferendas causas horum motuum proximè excitativas, & per se in illos notabiliter influentes, ubi abest necessitas tales causas cohonestans. 2do. Meritò effectus censetur voluntarius, & imputatur ponenti causam propinquam sine necessitate eam cohonestante. Hinc graviter teneris ejusmodi actionem inchoatam deserere statim ob insurgentem pollutionem, vel delectationem veneream: nam si pergas in illa actione, effectus secutus censetur in illa volitus, volitio enim continuandi causam est virtualiter & moraliter volitio effectûs.

Causæ autem seu dispositiones propinquæ horum motuum excitativæ sunt actiones, quæ per se sunt turpes, & natæ excitare motus venereos, aut turpitudinis speciem habent, nisi propriæ vel alienæ necessitatis titulô cohonestentur, ut aspectus & tactus partium pudendarum proprii vel alieni corporis, præsertim diversi sexûs: lectio, auditio, locutio rerum valdè obscœnarum, & ad libidinem allicientium, quamvis ex sola curiositate fiat.

298 Diximus, *sine necessitate*, nam aspectus & tactus partium pudendarum alterius corporis ob necessitatem medendi, non est peccatum, secluso affectu pravo & periculo consensûs in delectationem veneream. Nam in tali casu pollutio fortè secuta non censetur voluntaria in causa, sed solùm permissa; quia adest justa ratio ponendi causam illam; & prosequenti jus suum non imputatur effectus præter intentionem secutus. Neque enim tenemur motus illos naturales & per se involuntarios impedire, cùm adest justa causa non impediendi, & abest periculum consensûs. Sic Chirurgus exercens suam artem circa mulierem non peccat, etsi prævideat pollutionem indè secuturam, modò absit periculum consensûs in delectationem.

299 V. Ex communi non est mortale contra castitatem, ponere actionem, ex qua, tanquam causâ, seu dispositione remota, & per accidens, prævidetur secutura pollutio, vel delectatio venerea, modò neutra intendatur, & absit periculum consensûs in delectationem veneream. Quia 1mo. Cùm illi motus facillimè & frequenter insurgant naturaliter, in æstimatione prudenti non censentur sufficienter voluntarii in causa remota, ut imputentur illam ponenti ex alio fine; sed à sola natura corrupta oriri censentur: alioqui enim homo teneretur abstinere à multis actionibus licitis ac necessariis, ne illos motus experiretur. Nec causæ illæ remotæ censentur moraliter illorum causæ; nec in illas consentiens censetur velle talem effectum, propter summam facilitatem, qua illi motus excitantur ex naturæ corruptione. 2do. Quia jus suum prosequenti non imputatur effectus per accidens & præter intentionem secutus.

Communiter tamen docent Doctores, tales causas sine justa causa ponere esse veniale etiam contra castitatem: quia aliquantulum adversatur castitati, quòd sine utilitate honesta cogente ponatur causa remota & per accidens motuum castitati inimicorum, & ad malum incitantium.

Causæ autem remotæ & per accidens horum motuum sunt eæ, quæ nec sunt per se turpes, nec ad luxuriam, sed ad alios fines licitos per se ordinantur, nec turpitudinis speciem habent; sed vel per se honestæ sunt, ut auditio confessionum; vel indifferentes, ut equitatio, esus calidorum, Studium Medicinæ, & Casuum conscientiæ, medicamenta, &c. Quare hæc accedente honesta & utili causa, & seclusô periculô consensûs, sunt licita, quamvis præter intentionem ex iis sequatur pollutio vel delectatio venerea: nam tunc illi motus censentur solùm permissi, non voliti; eò quòd nulla sit obligatio relinquendi opus honestum & utile, propter motum inordinatum & indeli-

indeliberatum occasione illius ex naturæ corruptione, præter intentionem, & seclusô periculô consensûs exurgentem.

Quòd si esset periculum probabile consentiendi in delectationem veneream (ut si pluries quis in tali occasione consenserit) tunc is, ex communi, tenetur ab illa actione, quantumvis honesta, & utili, v. g. auditione confessionum, abstinere: nam non licet se probabili peccandi periculo exponere.

300 VI. Qui cogitationes de rebus venereis non expellit, sed iis cum plena advertentia immoratur, si adsit delectatio venerea, quæ non reprimatur, vel periculum consensûs in illam, aut in rem cogitatam, peccat mortaliter ratione talis delectationis vel periculi: venialiter verò, si advertentia sit solùm imperfecta, ac semiplena, qualis est in semidormiente. Qui autem de talibus rebus cogitat ex justa & honesta causa, v. g. ut tales res meliùs discernat ad Confessarii vel Medici munus rectè obeundum, non peccat seclusô periculô consensûs in rem cogitatam & delectationem: quia talis cogitatio non est mala, neque in se, neque in effectu, aut ratione periculi. Erit autem venialis culpa, si hoc ex mera curiositate fiat, seclusis delectatione venerea, & periculô consensûs in rem cogitatam, & affectu in ipsam: quæ tamen omnia raro absunt in cogitante de his rebus absque fine honesto; nam hæc materia est valde lubrica & periculosa.

Hæc de Luxuria consummata contra naturam, & ejus speciebus dicta sufficiant. Modò de peccatis Luxuriæ non consummatæ dicendum; quod etiam distinctis numeris præstabimus.

301 I. Peccata Luxuriæ non consummatæ sunt desideria, delectatio morosa venerea, aspectus, amplexus & tactus impudici, oscula, verba obscœna; gestus turpes, &c. sine effusione seminis. Ex dictis part. 2. c. 3. §. 4. jam constat, desiderium simplex etsi inefficax actûs luxuriosi habere malitiam mortalem ejusdem speciei: sic desiderium simplex copulæ cum conjugata vel consanguinea habet malitiam adulterii vel incestus. Nunc ergo de cæteris duntaxat agendum.

II. Omnis delectatio morosa seu deliberata venerea, vel etiam minima, extra conjugium quæsita aut admissa, est mortale peccatum, nec potest esse veniale ex levitate materiæ. Ita communiter Doctores. Antequam probetur assertum: 302

Not. 1mo. Delectatio morosa, ut jam alibi dictum, est delectatio deliberata, sive delectatio post sufficientem advertentiam admissa seu approbata, etsi unicô instanti. Dicitur enim morosa, non à mora temporis, quo durat, cùm peccatum mortale unicò instanti committi possit; sed à mora voluntatis, quæ post advertentiam sufficientem ei immoratur, eam acceptando aut non rejiciendo. Hinc potest esse delectatio morosa, quamvis instantanea, si nempè voluntas in eam advertenter per unicum instans consenserit.

Not. 2do. Triplex est delectatio, nempè spiritualis, merè sensibilis, & venerea. Spiritualis est ea, quæ in sola voluntate residet sine ullo motu sensibili in corpore, sive quæ est independens ab omni motu sensibili in corpore: Hæc delectatio, si sit de actu mortali, est mortalis, & sumit speciem suam ab illo ut objectô. Delectatio merè sensibilis est, quæ oritur ex proportione ac conformitate rei sensibilis cum organo sensûs, sine ulla commotione spirituum genitalium circa partes venereas: qualis est delectatio, quæ percipitur ex tactu rei blandæ, ex gustu, ex Musica, &c. Delectatio venerea est ea, quæ sentitur circa partes venereas ex commotione spirituum genitalium, seu gene-

rationi inservientium ; & de qua est Assertum nostrum , quod sic

Prob. 1mo. Quia omnis delectatio venerea ex natura sua ordinatur ac tendit ad seminis effusionem , estque inchoatio quædam illius : nam in omni delectatione venerea fit quædam resolutio seminis , ejusque deductio ad partes venereas ; ut testantur Medici omnes. Ergo cùm seminis effusio voluntaria extra actum conjugalem sit mortalis, ut patet ex dictis de pollutione & fornicatione, omnis actus ad illam ex se tendens & ordinatus , est per se mortalis : quippe dispositio sumit suam speciem ac malitiam moralem à forma ad quam disponit ; motus à termino, ad quem tendit; medium à fine ; causa à suo effectu.

Prob. 2do. Inter omnes constat, moraliter & practicè loquendo , minimam delectationem veneream quæsitam , vel deliberatè admissam extra conjugium habere annexum periculum proximum peccati mortalis; eò quòd difficillimum sit, & moraliter impossibile in re tam lubrica dijudicare ac determinare materiam levem , &, ob summam naturæ corruptæ in talia propensionem , sistere in certa delectationis parvitate , ita ut animus leviore delectatione illectus graviorem non appetat, nec admittat. Ergo certum est etiam speculativè delectationem veneream vel minimam, quæsitam aut admissam , esse mortalem : cùm certum sit etiam speculativè omnem actionem , cui per se annexum est periculum morale peccati mortalis , esse mortaliter malam ; nam *qui amat periculum , in illo peribit* , Eccli. 3. & qui vult morale periculum peccati , vult saltem interpretativè ipsum peccatum.

Sed dices. In furto , in excessu cibi & potûs dari levitatem materiæ ; ergo etiam in materia venerea datur talis levitas.

Resp. neg. conf. & parit. Disparitas est , quòd rei vilis ablatio , levis excessus in cibo & potu per se non ordinetur ad actum mortalem , nec inducat periculum graviter peccandi. At delectatio venerea vel minima ex se ordinatur ad effusionem seminis mortaliter malam extra conjugium , & per se inducit periculum consentiendi majori delectationi.

III. Qui post sufficientem adverten- 303
tiam negativè se habet ad delectationem veneream , eam neque approbando neque reprimendo ; tamen peccat mortaliter. 1mo. Quia voluntas tenetur reprimere positivè motus illicitos delectationis & sensualitatis , saltem per actum displicentiæ. Ita S. Antoninus , & alii communiùs cum S. Thoma , 1. 2. q. 74. a. 6. ubi ait : *contingere peccatum esse in ratione dupliciter. Uno modo , quando imperat illicitas passiones . . . Alio modo quando non reprimit illicitum passionis motum : sicut cùm aliquis , postquam deliberavit , quòd motus passionis insurgens est inordinatus , nihilominùs circa ipsum immoratur , & ipsum non expellit.* 2do. Quia Concilium Tridentinum Sess. 5. Can. 5. definit concupiscentiam non posse nocere *non consentientibus , sed viriliter per gratiam repugnantibus.* Ergo ut non noceat, non sufficit mera negatio consensûs , sed requiritur repugnantia seu displicentia positiva. 3tio. Tales motus sunt ex Objecto graviter inordinati , cùm juxta omnes mortale sit illis positivè consentire ; item sunt ex natura sua dispositiones proximæ ad opus mortale , ad quod valdè pertrahunt & alliciunt appetitum. Ergo graviter disconvenit naturæ rationali & legi divinæ se habere indifferenter ad illos ; & voluntas , cujus est regere passiones secundùm rectam rationem ac legem divinam , tenetur illos expresè ac positivè reprobare per formalem displicentiam. 4to. Sicut non licet

cet se habere indifferenter ad actus turpes ab alio circa se exercitos: ita nec ad motus turpes à Dæmone, vel ex naturæ corruptione in se excitatos. 5to. Illis motibus per se annexum est periculum intrinsecum rei mortaliter malæ, & consensûs in delectationem: nam ex se sunt dispositiones proximæ ad actum mortalem, nempè effusionem seminis, & per se vehementer alliciunt voluntatem ad consensum per sympathiam appetitûs sensitivi cum rationali. Ergo requiritur positiva displicentia ad impediendum voluntatis consensum, sine qua non tollitur periculum consentiendi, cùm moraliter impossibile sit voluntatem diu se negativè habere circa Objectum vehementer alliciens. Hinc illud Prov. 4. *Omni custodiâ serva cor tuum.*

Imò solla illa displicentia non sufficit, sed illi motus prorsùs sunt expellendi, præsertim deserendo actionem, quæ eos excitat, nisi obstet causa justa. Tùm quia tunc sola displicentia non videtur satis sincera, cùm vix discerni possit, utrum sit vera displicentia, an fallacia voluntatis sibi imponentis, & illis motibus frui volentis. Tùm quia homo tenetur impedire & expellere motus per se graviter inordinatos, saltem cùm abest justa causa eos permittendi. Hinc teneris sub mortali actiones etsi leviter turpes, ut sunt visus, locutio, lectio rerum leviter obscœnarum ex sola curiositate, dimittere statim atque excitant in te pollutionem, vel delectationem veneream vehementem. Ubi autem adest justa causa non sic expellendi, ut si probabilis timor sit, ne ex majore resistentia magis augeantur, aut illis depulsis majores insurgant, vel si ad illos motus expellendos dimittenda esset actio honesta necessaria vel utilis, v. g. auditio confessionum, studium casuum conscientiæ; tunc sufficiet displicentia vera: alioquin homines deberent semper esse anxii, & multa bona omittere.

Porro medium aptissimum compescendi motus illos est mentem statim aliò avertere; & si perseverent, orare, signô crucis se munire, oculos ad imaginem Christi Crucifixi convertere, cogitare de ejus Passione, de igne æterno, morte, &c. Interdùm de re indifferenti, aut negotio, quod animum applicet, & à tali Objecto avocet.

IV. Delectatio morosa de actu luxuriæ, v. g. copula cogitata contrahit non solùm malitiam substantiæ operis, sed etiam circumstantiarum cognitarum el annexarum, & speciem mutantium. Ita S. Antoninus & alii post ipsum. Ratio est; quia talis delectatio versatur circa opus ut cogitatum. Ergo illius Objectum est id omne, quod cognoscitur; ac proindè non solùm opus, sed etiam circumstantiæ illi annexæ & cognitæ, sunt ejus Objectum. Actus autem sumunt speciem ac malitiam à toto suo Objecto: & ad illam contrahendam sufficit voluntarium indirectum ac interpretativum. Hinc simplex delectatio deliberata de copula cogitata cum conjugata vel consanguinea pertinet ad speciem adulterii vel incestus. 304

V. Oscula, aspectus, tactus impudici, imò amplexus, oscula, & tactus partium etiam honestarum, ut faciei, manûs, sunt culpa morralis, si extra conjugium fiant ob delectationem veneream, quæ potest ex illis sequi etiam ibi sistendo: idem dicendum de tactu partium proprii corporis. Est communis, & constat ex dictis: nam mortale est extra conjugium quærere aut advertenter admittere quamlibet delectationem veneream vel minimam, cùm hæc parvitatem materiæ non admittat, & ex se tendat ad seminis effusionem, ideoque ad pollutionem vel fornicationem in non conjugato. 305

Hinc, ut docet S. Antoninus, est etiam mortale permittere se tangi, etiam in facie vel manu ab eo, qui noscitur ad id moveri amore libidinoso: quia est cooperari & consentire alterius culpæ mortali. Digni autem sunt morte, non solum qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, Rom. 1.

306 VI. Tactus partium pudendarum aut pudendis proximarum corporis diversi sexûs sunt mortales, si fiant, vel admittantur sine necessitate medendi, etsi non ob delectationem veneream, sed ex sola curiositate vel joco. Quia 1mo. Hi tactus ad delectationem veneream ex se tendunt, illamque valdè excitant, & sic sunt causa illius proxima. Imò ex suapte natura ad effusionem seminis referuntur. Ergo simul cum illa graviter prohibentur; nam prohibita graviter re aliqua, prohibentur etiam graviter omnia, quæ per se ad illam excitant, & ordinantur. Deinde causa participat malitiam sui effectûs. 2do. Hi tactus sunt impudici, & comprehenduntur nomine impudicitiæ, quæ Galat. 5. ab Apostolo dicitur excludere à Regno Dei. Hinc, seclusa necessitate medendi, tactum partium inhonestarum in se permittere ab alio fieri, est mortale; & quisque tenetur, quantùm potest, talia omninò in se impedire, & illis resistere, cùm sint intrinsecè mala.

Item mortale est propria pudenda sine necessitate tangere, si delectatio venerea ex eo tactu oriatur & prævideatur: quia per se tendit ad pollutionem. Secùs si tactus ille ex curiositate, & levitate duntaxat, absque libidine & delectationis ac pollutionis periculo fiat; quia deficit animus libidinosus, nec intervenit ea turpitudo, quæ in tactu alieno, nec idem periculum. Hoc tamen non omninò vacat periculô, nec peccatô: Undè etiam ejusmodi tactus vitandi sunt.

VII. Aspectus partium pudendarum alterius sexus, item concubitus viri cum fœmina, quamvis non animô libidinosô, sed ex sola curiositate vel levitate mortalis est; quia ad veneream libidinem & pollutionem in hac naturæ corruptione per se multum excitat, & periculum morale consentiendi in delectationem veneream affert, & honestati naturali valdè adversatur. 307

Aspectus verò pudendorum ejusdem sexus, vel proprii corporis, aut coitûs animalium ex sola curiositate vel levitate, seclusis affectu venereo, scandalo & periculo pollutionis, ac delectationis venereæ, juxta multos est solùm venialis; quia nec graviter honestati adversatur, nec adeò ad luxuriam per se incitat. Potest tamen esse mortalis ratione periculi, spectata aspicientis speciali fragilitate; quod non raro adest in juvenibus, quare ab his graviter deterrendi sunt. Et certò mortalis est, si fiat ex voluptate deliberatè quæsita.

VIII. Amplexus, tactus, & oscula etiam in partibus honestis, ob solam delectationem merè sensibilem, & nondùm actu veneream, sunt culpa mortalis inter personas diversi sexûs libidinis capaces, saltem si fiant cum mora vel repetitione, quamvis expressè delectatio venerea non intendatur; quia illi actus sic exerciti per se non parùm excitant commotionem spirituum genitalium, & delectationem veneream, quæ physica quadam necessitate oritur ex tali delectatione sensibili, saltem repetita vel diuturna; & quia supposita propensione naturæ inordinata in voluptates carnis non possunt sic usurpari absque delectatione morosa venerea: aut saltem in hac naturæ corruptione ingerunt periculum morale delectationis venereæ, & consensûs in illam: & sic sunt causaliter libidinosi, utpotè libi- 308

libidinis causa. Malitia autem talium actuum non solùm ex fine, sed etiam ex effectu, quem pariunt, sumi debet. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem : *Est probabilis opinio, quæ dicit tantùm esse veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

309 IX. Amplexus, contactus manuum, oscula in facie, si juxta morem patriæ fiant urbanitatis, aut benevolentiæ honestæ causâ, non sunt peccata per se; quia non sunt impudica, nec per se tendunt in actum venereum, & fiunt ob rationabilem causam. Ita communis cum S. Thoma 2. 2. q. 154. a. 4. Si verò ista fiant ex aliqua vanitate, joco, levitate, petulantia veniali, juxta multos sunt solùm venialia, modò absit omnis affectus libidinosus, & periculum peccati gravis tam in se, quàm in alio, nec, habita ratione constitutionis personarum, delectationem veneream multùm excitent.

Si autem ista sine causa exercita & patrata sint longiora, aut crebrò fiant inter personas libidinis capaces, sunt mortalia; quia arguunt affectum ad libidinem, & excitant delectationem veneream, afferuntque morale periculum consensûs in illam. Nam in materia tam lubrica, quæ de se essent solùm venialia, si repetantur, aut diutiùs protrahantur, fiunt mortalia, curiositate aut levitate in libidinem degenerante.

Quare admittens oscula morosa aut crebra aut indecentia, item tactus mamillarum, peccat mortaliter; quia cooperatur affectui libidionoso alterius, qui satis per ista indicatur.

310 Not. Oscula, amplexus ob delectationem veneream, tactus & aspectus impudici mortales suprà dicti, ex communi sententia sunt ejusdem speciei mortalis ac actus consummatus, seu concubitus, ad quem suâpte naturâ referuntur, quamvis actus iste non intendatur; quia sunt dispositio proxima ad concubitum, & media per se ad illum tendentia; quippe dispositio & media sumunt malitiam à suo termino & fine; ac proindè ista omnia contrahunt diversam specie malitiam, pro diversitate personarum, à quibus, & circa quas exercentur; ut malitiam Sodomiæ, si cum simili sexu exerceantur; adulterii, si cum conjugata aliena; incestûs, si cum cognata, &c. Nam cùm opera circa eas personas differant specie; ita etiam actus, qui sunt dispositio & media per se ad illa tendentia: quare circumstantia agentis & patientis exprimi debet in confessione. Impudicus verò sui ipsius tactus ad mollitiem pertinet, nisi aliò referatur ex intentione agentis.

X. Loqui, canere, legere, vel audire turpia & obscœna est mortale, si fiat extra conjugium ob delectationem veneream, aut cum probabili periculo illius in se vel in aliis, aut cum animo se oblectandi rebus illis. Ita communis cum S. Antonino. Ratio est; quia delectatio venerea extra conjugium est ex Objecto mortalis, cùm sit mortale ei consentire. Ergo est mortale intendere vel procurare illam, aut ejus periculum probabile in se vel aliis. Delectatio verò de actu turpi apprehenso est per se mortalis: ergo à fortiori & illam verbis fovere. 311

Secluso autem omni affectu venereo, & periculo delectationis venereæ ac scandali, turpia loqui, vel canere solùm ex levitate, vel legere aut audire ex mera curiositate, est saltem veniale. Nam

Nam hæc adversantur castitati, & prohibentur Ephes. 4. his verbis: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, &c.* Et c. 5. *Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis: sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Tamen juxta S. Antoninum & alios non est mortale, quia non est per se gravis inordinatio. *De hoc*, inquit S. Antoninus part. 2. tit 5. c. 1. §. 8. *nulli dubium est, quòd, qui dicit verba turpia & lasciva hac intentione, ut se vel alium provocet ad luxuriam, vel se mente delectandi in locutione & cogitatione turpium, extra matrimonium, mortaliter peccat.... Sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad solatium, quamvis de se non videantur mortalia, quia peccata oris secundùm Thomam permaximè judicantur quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis: tamen per accidens potest esse mortale ibi, ratione scandali seu ruinæ indè sequentis in mente alicujus, ut cùm audientes sunt debiles spiritu, & verba essent multùm lasciva. Idem videtur dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas lasciviis.*

Sed quia in praxi raró abest periculum turpis desiderii aut complacentiæ, sive in proferente ac legente, sive in audientibus; sermones, cantiones, vel lectiones rerum turpium ac lascivarum in vel coram juvenibus aut aliis infirmis spiritu raró vacant culpâ mortali: nam *corrumpunt mores bonos colloquia mala*, inquit Apostolus 1. Cor. 15. Et *præbent verba ad res ipsas ingressum*, ait S. Athanasius. Hinc obscœna proferens tenetur in confessione exprimere numerum eorum, quibus fuit occasio turpis desiderii vel delectationis. Qui verò alteri præbet occasionem sermonis turpis continuandi cum aliorum periculo, vel præstat auctoritatem verbis turpibus, peccat mortaliter, etiamsi rem narratam interiùs non approbet: nam complacentia vel approbatio exterior rei mortalis est mortalis. Idem est de gestibus turpibus ac de turpiloquiis, cùm sint etiam signa ad luxuriam incitantia, & de turpibus spectaculis & comœdiis. Qui autem libros turpes & amatorios habent, non sunt absolvendi, nisi illos comburant.

312 X. Omnis delectatio venerea, aspectus, & tactus turpis seu partium pudendarum & quivis actus luxuriæ sunt mortales in viduis & sponsis. Ita communis Ratio est; quia cùm omnis delectatio venerea & actus libidinosus suâpte naturâ ordinetur ac tendat ad effusionem seminis & copulam, est mortalis in non conjugatis; cùm effusio seminis & copula sit in ipsis mortalis: nam medium à fine, & actio à termino, ad quem tendit, malitiam ac speciem sumit. Cùm ergo copula tam sit sponsis, ac viduis illicita, quàm aliis solutis; tam etiam iis illicitus est omnis actus turpis & impudicus. Et verò cùm sponsalia sint solùm promissio futuri matrimonii, non verò corporum traditio; nullum tribuunt jus præsens in corpus alterius in ordine ad copulam hîc & nunc exercendam, nec proinde ad actus, qui ad illam per se ordinantur; sicuti munus Judicis exercere hodie non licet ei, cui præcisè promissum est. Itaque sponsis solùm licent amplexus & oscula honesta, juxta morem patriæ, amoris honesti significandi & fovendi causâ. Hinc sponsi non debent relinqui soli, ob periculum actuum impudicorum, vel etiam copulæ, ut S. Carolus & Doctores passim rectè monent.

XI. In

313 XI. In sponsis ac viduis mortalis est voluntaria delectatio carnalis, seu delectatio appetitûs sensitivi de copula futura aut præterita, vel de copula apprehensa sub conditione, si adesset matrimonium. Ita communis. Ratio est, Quia delectatio carnalis, quæ ex cogitatione futuræ vel præteritæ copulæ, vel conditionalis, oritur, est delectatio absoluta, præsens, & conjuncta cum actuali commotione spirituum genitalium per se ordinata ad copulam præsentem: sive carnalis illa delectatio est delectatio venerea præsens & voluntaria, quæ ex se ordinatur ad copulam præsentem, ideoque semper mortalis est in non conjugatis: nam copula præsens seu actualis semper est mortalis in non conjugatis, ergo & omnis actus ad illam ex se ordinatus ac tendens. Et verò appetitus sensitivus sequitur imaginationem, quæ non potest præscindere, nec apponere conditiones.

Porro sunt qui docent posse excusari à mortali eos, qui absque commotione venerea apprehendunt actum conjugalem ut præteritum vel futurum, approbantes, quòd illum exercuerint, aut exerciturі sint; eò quòd non approbent illud opus, nisi quatenùs fuit vel erit eis licitum, sed monent, talem mentis apprehensionem, cùm vix possit esse sine delectatione venerea, esse statim rejiciendam, & nunquam accersendam. Neque enim est in nostra potestate sistere in delectatione merè spirituali, dum certa objecta apprehendimus.

314 Filiæ Luxuriæ octo recensentur à SS. Gregorio & Thoma. Quatuor ex parte intellectûs, nempè cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, & inconstantia: quæ sunt mortales, quando per eas præceptum aliquod in re gravi violatur. Et quatuor ex parte voluntatis. 1mo. Amor sui inordinatus, quo luxuriosus carnem suam & carnis voluptates ita diligit, ut in iis finem ultimum ponat, suas cogitationes ac curas ad illarum assecutionem referendo. 2do. Odium Dei, qui voluptates illas graviter vetat & punit. 3tio Affectus præsentis sæculi, hoc est, vitæ præsentis & rerum eam oblectantium, quo ita istis inhæret, ut contentus esset in hoc mundo semper manere, de cœlestis beatitudinis consecutione haud sollicitus. 4to. Horror & desperatio futuri sæculi: horror quidem, quia scit se post mortem impuris voluptatibus privatum iri, & earum locô supplicia acerbissima subiturum. Desperatio verò, quia obscœnas voluptates deserere quasi impossibile reputat. Hæc quatuor sunt mortalia.

Remedia autem contra Luxuriam 315 sunt ista. 1mo. Oratio humilis & frequens: nemo enim potest esse castus, nisi Deus det, Sap. 8. v. ult. 2do. Mortificatio & custodia sensuum, maximè visûs. *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius . . . Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Eccli. 9. Et S. Augustinus Epist. 109. ait: *Oculi vestri etsi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem . . . nec solo tactu, sed affectu quoque & aspectu appetitur, & appetit fœmina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos.* 3tio. Sobrietas seu usus moderatus vini, quod non solùm modicum, sed etiam aquâ permixtum sit, præsertim in juvenibus: nam *Luxuriosa res vinum*, inquit Sapiens Prov. 20. Item abstinentia seu moderatus

tus esus ciborum; nam copia nimia humorum & sanguinis suppeditat materiam tentationum carnis: temperantia autem superfluitatem humorum impedit ac tollit. Unde Ezech. 16. dicitur: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum ejus . . . & fecerunt abominationes coram me.* 4to. Vitatio occasionum; quales sunt familiaritates & colloquia inter personas diversi sexûs, frequentatio improborum, lectio librorum obscœnorum & amatoriorum, choreæ, comœdiæ, spectacula, &c. Hoc vitium namque fugiendo vincitur. *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam*, ait S. Augustinus. Et *qui amat periculum, in illo peribit.* Eccli. 3. Quocirca monendi sunt parentes, ne unquam lectum communem permittant liberis diversi sexûs, etiam fratribus & sororibus; nec patiantur secum liberos decumbere in eodem lecto; nec, si grandiores sint, in eodem cubiculo. Hoc enim perniciosum est eorum castitati, ut experientiâ constat. 5to. Fuga otii, *Multam enim malitiam docuit otiositas.* Eccli. 33. 6to. Frequens Confessio & Communio cum debitis dispositionibus. 7mo. Carnis macerationes, & jejunia, cilicium, catena ferrea, &c. Nam *hoc genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* Matth. 17. Et contraria contrariis curantur. 8vo. Eleemosynæ, & alia charitatis opera, quæ valent ad obtinendas à Deo uberiores ac potentiores gratias. 9no. Assidua piorum librorum lectio, & meditatio Passionis Christi, ac æternorum. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccli. 7. 10mo. Occurrente tentatione cogitare Deum adesse præsentem, justum peccati vindicem, & virtutis remuneratorem; & sæpè animô volvere illud S. Gregorii: *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.* 11mo. Initio tentationis fortiter resistere, statim avertere cogitationem ad quidvis aliud licitum primò occurrens, sed præsertim ad Passionem Christi, &c. *Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, hoc est, primæ suggestioni non resistitur, totus interna cordis, dum non sentitur, illabitur;* ait S. Hieronymus in Eccles. cap. 9. Et Jacob. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Si nihilominùs tentatio duret, orare, cogitare de morte, de pœnis inferni, &c. Intueri imaginem Christi patientis, vel eum animô contemplari, signô crucis cor munire; considerare neminem quantacumque fame prematur, sumpturum esse cibum, si sciret venenum ei esse admixtum, quo sumpto certò periturus esset: *Nunquid potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?* Job. 6. Quantò magis metus certæ mortis animæ terrorem incutere debet. 12mo. Nascentem voluptatis sensum præsenti aliquo dolore accito extinguere.

Denique multum juvabit habere stabilem Confessarium pium ac prudentem, ejusque pia consilia sequi: nam suggeret remedia, quæ pœnitenti erunt utiliora, & huic tentationi superandæ aptiora.

Cæterùm hæc remedia non tantùm valent contra carnis & Luxuriæ vitium, sed etiam adhiberi possunt adversùs quæcumque alia vitia & tentationes.

§ V.

§. V.

316 *De Ira.*

Ira ex proœmio nostro est ulciscendi libido, seu est ardor animi perturbatione incitati ad vindictam; vel breviùs, est inordinatus appetitus ad vindictam.

Ira est inordinata dupliciter. 1mo. Ex parte Objecti, cùm quis vindictam optat ei, qui non meruit, vel majorem quàm meruit, vel inferendam sine legitima auctoritate; vel licèt sit justa, non tamen eam appetit, ut justam, sed ut satiativam animi sui malevoli. Ira sic inordinata est peccatum mortale ex genere suo, cùm sit contra charitatem & justitiam. Hinc ad Galat. 5. Ira numeratur inter opera carnis excludentia à regno Dei. Potest tamen esse venialis ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem materiæ.

2do. In modo irascendi: *Utpote*, ait S Thomas q. 158. a. 3. *siquis nimis ardenter irascatur interiùs, vel si nimis exteriùs manifestet signa iræ.* Potest tamen esse mortalis ratione scandali, blasphemiæ, injuriæ, convitii, maledicti, &c. Quæ ex nimia iræ commotione oriuntur.

317 Filiæ iræ sunt 1mo. Indignatio, quæ est animi commotio contra alium ob malum ab illo acceptum, quia hoc indignum reputat. Sæpè venialis est: mortalis verò ratione maledicti, contumeliæ, gravis odii, contemptûs, vindictæ, vel scandali. 2do. Tumor mentis, qui est æstus quidam excandescentis animi, & excogitantis diversas vindictæ vias. Mortalis vel venialis est, pro qualitate vindictæ excogitatæ & expetitæ. 3tio. Clamor, qui est inordinata & confusa locutio. Potest esse mortalis ratione convitii, maledicti, scandali, &c.

Denique Blasphemia, contumelia, maledictio, rixa, pugnæ, seditiones, vulnera, homicidium. Quæ omnia sunt ex genere suo mortalia, utpotè contra charitatem & justitiam.

Iræ remedia sunt considerare quàm sit injusta & perniciosa; orare; meditari mansuetudinem Christi; nihil unquam agere & loqui ex motu vel in motu iræ, sed solùm postquam sedatus est; omni cura impedire iræ motum, & excitatum statim reprimere; exercere frequentes actus charitatis, mansuetudinis, patientiæ, humilitatis, &c. 318

§. VI.

De Invidia. 319

Invidia est tristitia seu vehemens mœror de bono alieno, quatenùs videtur imminuere gloriam vel excellentiam nostram, quia nempè in eo bono à proximo nostro æquamur vel superamur. Ad eam revocatur gaudium de malo alieno, quatenus id bonum invidentis æstimatur. Moralis est ex genere suo, nam directè opponitur charitati, cujus est de bono proximi gaudere, & de illius malo tristari; & Galat. 5. Invidia dicitur excludere à regno Dei. Estque diabolicum vitium: *Invidiâ Diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Invidia autem sumpta pro habitu est vitium inclinans ad talem tristitiam, & ad gaudium prædictum.

Juxta S. Thomam 2. 2. q. 36. a. 2. 320 Tristitia de bono alieno potest contingere quatuor modis. 1mo. Cùm quis dolet de bono alicujus v. g. potestate, quantùm ex eo sibi vel aliis damnum timet: talis tristitia est licita, si indè timeas malum certò injustè inferendum, ob quod liceret eum privare tali bonô, si haberes potestatem ad id legitimam: secùs est illicita. 2do. Potest quis dolere de bono alterius, non ex eo, quod

ipse habeat bonum, sed ex eo, quòd sibi desit bonum illud, quod alter habet, ità ut minimè cupiat alterum illo carere. Et hoc non est invidia, sed æmulatio, quæ, sit sit circa bona spiritualia & honesta, laudabilis est: si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum culpa, & sine culpa, prout bonum est dolenti proportionatum & necessarium; vel improportionatum & superfluens, & prout refertur ad bonum vel malum finem. 3tio. Cùm quis dolet de bono alterius, quia is eo indignus est. Quæ tristitia mortalis est, si sit de bonis supernaturalibus; vel si quis Dei providentiam arguat, quòd peccatoribus bona temporalia largiatur, & bonos affligat; nam est Blasphemia. 4to. Cùm quis dolet de bonis alicujus, in quantùm alter æquat, aut superat ipsum bonis illis. Hoc est propriè invidia: *Et istud semper est pravum*, ait S. Thomas, *quia dolet de eo, de quo gaudendum est, scilicet de bono proximi.*

321 Invidiæ Filiæ sunt 1mo. Odium. 2do. Detractio. 3tio. Gaudium in malis proximi. 4to. Susurratio, quæ, ut alibi jam adnotavimus, est sermo, quo sine justa causa refertur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendum ejus amicitiam cum illo. Mortalis est contra justitiam; quia per illam grave damnum proximo injustè infertur. Nam quisque habet jus, ne per injuriam, seu sine justa causa privetur amicitiâ alterius, quæ est magnum bonum juxta illud Eccli. 6. *Amicus fidelis protectio fortis: qui invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla comparatio, &c.* Hinc illud Eccli. 28. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Ad susurrationem mortalem sufficit, quòd sine justa causa referatur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo, licèt referatur sine intentione eam dissolvendi; quia tunc ponitur injustè & voluntariè causa dissolutionis amicitiæ. Quare, ut jam alibi observavimus, Susurro tenetur restituere, in quantum potest, amicitiam injustè ab ipso ablatam, & alia damna inde secuta, perindè ac detractor famam, cum sit causa injusta talium damnorum.

Alia, nempe odium, detractio, & gaudium in malis proximi, sunt etiam mortalia ex genere suo. Undè ad Rom. 1. inter eos, qui digni sunt morte, recensentur: *Pleni invidiâ, malignitate, susurrones, detractores, sine affectione, &c.*

Invidiæ remedia præter orationem 322 sunt 1mo. Considerare te non ideò minus habere; invidiam invidenti nil prodesse, nam non ideò alter carebit bonô, quod tu ei invides, nec tu illud obtinebis, etiamsi eo careat: quin imò gravissimum inferre malum, privando invidum gratiâ ac amicitiâ Dei & beatitudine æterna: è contrà gaudendo de bono proximi propter Deum, te mereri augmentum gloriæ æternæ, quod est bonum infinitè majus omnibus bonis temporalibus. 2do. Sæpè gaudere de bono proximi, quia est proximus, quem sicut te ipsum diligere debes propter Deum. 3tio. Gratificari ei, cui invides, illum laudare, orare Deum pro ejus bono, & gratias agere Deo propter beneficia ab eo in ipsum collata, &c. 4to. Humilitas & contemptus gloriæ ac honoris humani. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*, inquit Apostolus Galat. 5. *invicem provocantes, invicem invidentes.*

§. VII.

De Acedia. 323

Acedia dupliciter sumitur, latè scilicet, & strictè. Acedia latè sumpta est quodvis tædium, seu animi remissio in exercitio virtutum, ob laborem seu molestiam

lestiam ac difficultatem adjunctam. Sic sumpta non est vitium speciale, sed generale: quia, ut ait S. Thomas, omne vitium refugit bonum virtutis oppositæ; estque contra illam virtutem, cujus actus refugit. Est autem peccatum mortale vel veniale, prout ex illa violatur præceptum in re gravi vel levi.

Acedia strictè sumpta est tristitia & tædium de divina amicitia apprehensa ut mala, propter adjunctam difficultatem illius obtinendæ & conservandæ per laboriosa virtutum exercitia, & voluptatum illicitarum fugam: undè fit, ut quis amicitiam illam non curet. Sic sumpta est vitium speciale, & per se mortale; nam specialiter & graviter charitati Dei repugnat. Utramque hanc Acediæ speciem, data illius à nobis in proœmio nostro definitio comprehendere videtur.

324 Acediæ Filiæ sunt 1mo. Malitia; qua quis odit bona spiritualia, & vellet ea non esse; aut qua ipsum pœnitet bonum fecisse; aut qua contemnit Dei beneficium, v. g. cupiendo non agnovisse Christum, non fuisse Religionem professum &c. ob difficultates, quæ in Dei obsequio superandæ sunt. Est mortalis ex genere suo. 2do. Pusillanimitas. 3tio. Desperatio. 4to. Rancor, qui est indignatio & fastidium adversùs eos, qui ad virtutum opera & fervorem inducunt, ideoque eos refugit. 5to. Torpor, qui est languor animi, quo bonum vel omittitur, vel negligenter fit. Est mortalis, si bonum sit graviter præceptum; & semper valdè periculosus est, disponitque ad mortale. 6to. Evagatio mentis in oratione, aliisve exercitiis spiritualibus. Mortalis est in oratione vel exercitio spirituali graviter præcepto, si in parte notabili voluntariè duret: venialis verò in oratione non præcepta, nisi sit circa Objecta graviter illicita, quæ placeant.

325 Præcipua Acediæ remedia sunt Oratio; Omnia Religionis & pietatis exercitia; Quotidiana Meditatio rerum Cœlestium; Laborum ac Passionis Christi & Sanctorum; Perfectionum ac beneficiorum Dei; Præmiorum fervidæ Charitatis; Brevitatis laborum, æternæ beatitudinis; Damnorum teporis, &c. Lectio librorum Spiritualium; Quotidiana Missæ auditio; Frequens Confessio & Communio cum debitis dispositionibus; Temperantia; Fuga otii; Macerationes carnis, &c.

CAPUT II. 326

De peccatis, quæ opposita sunt Virtutibus Theologicis.

QUemadmodùm tres numerantur virtutes Theologicæ, nimirùm Fides, Spes, & Charitas: ità etiam triplicis generis peccata iisdem opposita recensentur. Alia enim virtuti Fidei, alia virtuti Spei, alia denique virtuti Charitatis opponuntur. De hoc igitur triplici peccatorum genere distinctis paragraphis hic nobis disserendum venit. In primo de peccatis Fidei oppositis; in secundo de peccatis Spei contrariis; & in tertio denique de peccatis, quæ Charitati adversantur, tractabimus.

§. I.

De peccatis Fidei oppositis. 327

Generatim unicum peccatum Fidei opponitur, nempè Infidelitas, quæ est carentia Fidei; quæ trifariam dividitur, scilicet in Infidelitatem specificè sumptam, Hæresim, & Apostasiam. Infidelitas specificè sumpta est carentia seu privatio fidei in eo, qui fidem seu Baptismum nunquam suscepit, ut Pagani, qui idola colunt; Mahumetani, & Judæi. Hæresis est carentia fidei in eo, qui ex parte recedit à fide, quam amplexus fuerat in Catechumenatu vel Baptismo. Apostasia verò est privatio fidei in catechumeno vel Bapti-

zato, qui totaliter fidem, & auctorem ejus Christum abjicit, transitque sive ad Paganismum, sive Mahumetismum, sive Judaismum.

Additur ab aliquibus quarta peccati contra fidem species, nempè Atheismus, quo quis nullum agnoscit Deum, ne quidem falsum cum Paganis. Verùm ut alibi jam adnotavimus, verum Atheismum impossibilem judicamus.

328 Infidelitas triplex est: scilicet, negativa, privativa, & positiva. Infidelitas purè negativa & carentia seu privatio fidei in eo, qui de fide nunquam vel minimum audivit; peccatum non est, sed tantùm pœna peccati, ut inquit S.Thomas q. 10. a. 1. Et constat ex Joan 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, Infidelitatis scilicet. Nec non ex hac Baji propositione damnata: *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Ratio est; quia omne peccatum est voluntarium vel in se vel in alio. Atqui hæc infidelitas non est voluntaria neque in se, utpotè in se non cognita; neque in alio, quia nil faciunt infideles illi, undè cognoscant, aut cognoscere possint sequi infidelitatem illam. Quare ejusmodi infideles damnabuntur quidem propter peccatum originale & peccata personalia contra legem naturalem commissa, non tamen propter infidelitatem.

329 Infidelitas privativa est carentia fidei in eo, qui vel fidem seu Evangelium non vult audire, vel sufficienter propositæ non assentitur, vel non inquirit, quando est sufficienter proposita, ità, ut teneatur inquirere, quamvis nec positivè dissentiat, nec errorem Fidei aut Evangelio contrarium afferat. Est peccatum mortale ex Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus est.* Nam est omissio voluntaria medii ad salutem necessarii, & à Deo præcepti.

Infidelitas positiva est privatio fidei 330
in eo, qui Evangelium sufficienter audivit, & ei contradicit positivè, scilicet vel negando veritatem Fidei seu Evangelii, vel erorrem eidem contrarium asserendo. Est mortale peccatum contra fidem; nam continet gravem injuriam ac contemptum primæ veritatis, seu auctoritatis Dei revelantis.

Ad infidelitatem positivam reducitur 331
Hæresis, quæ definitur, hominis Christianismum profitentis error pertinax contra veritatem immediatè à Deo revelatam, & ab Ecclesia propositam.

Dicitur 1mo. *Hominis Christianismum profitentis;* quia ex dictis, hæresis est fidei jam susceptæ ejuratio.

Dicitur 2do. *Error pertinax* id est in deliberata voluntate dissentiendi, & contradicendi constitutus, id enim de ratione pertinaciæ est. Fides namque amittitur per hæresim seu pertinacem errorem, non per errorem simpliciter, ut patet in aliquibus Sanctis, qui erraruet circa aliquas fidei veritates. *Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt . . . . corrigi parati, cùm invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi*, inquit S. Augustin. ep. 43. aliàs 162. relata Cap. *Dixit Dominus* 24. q. 2. Ergo qui ex ignorantia etiam crassa, aut affectata aliquid fidei contrarium credit, quamvis ob negligentiam culpandus sit, hæreticus tamen non est; quia error illius est sine pertinacia. *Errare potero*; ait S. Augustinus, *sed hæreticus non ero*, nimirùm quia se sentiebat paratum deferre judicio Ecclesiæ.

Dicitur 3tio. *Contra veritatem immediatè revelatam;* quia si quis affirmet aut neget contra conclusionem aliquam Theologicam, quæ mediatè tantùm revelata est, propositio ejus dicitur erronea, non autem hæretica: si contra communem Theologorum sententiam, pro-

propositio est temeraria: si verba tendant ad solvendam Ecclesiæ unitatem, turbasque excitandas, propositio est Schismatica: si in peccatum inducant, & ab officiis pietatis avertant, propositio est scandalosa.

332 Denique ex dictis Apostasia est etiam species Infidelitatis; atque definitur, totalis defectio seu recessus à fide Christiana per Baptismum suscepta. Non differt ab hæresi nisi accidentaliter, scilicet secundùm magis & minus. Apostasia quippe est totalis desertio fidei & auctoris ejus: Hæresis verò est desertio duntaxat quorumdam dogmatum. Imò hæ ambæ ab ipsa etiamnum infidelitate accidentaliter duntaxat differunt; quatenus scilicet una se ad plura extendit quàm alia, atque in diverso subjecto reperitur. Sic v. g. Apostasia à fide ad plura se extendit, quàm hæresis, & reperitur in alio subjecto quàm infidelitas. Essentialiter verò minimè inter se differunt; nam omnes pugnant contra unam specie virtutem Fidei, & contra unicum ejus Objectum formale, nimirum revelationem divinam ab Ecclesia propositam. Baptizatus tamen in Confessione Sacramentali teneretur exprimere, an à Fide recessisset per Apostasiam, vel per Atheismum, positô, quòd talis dari possit, vel per hæresim duntaxat; quia duo priora peccata longè sunt graviora. Adde, quòd Apostasia vulgò fit transitus ad professionem falsæ & Christianæ Religioni prorsùs oppositæ Religionis, putà ad Paganismum, vel Mahumetismum, vel Judaismum. Porro superstitiosi hi cultus sunt peccata specie distincta.

333 Præter hanc à fide Apostasiam, quæ propriè Apostasiæ nomine venit; adhuc tres aliæ numerantur, scilicet Apostasia ab obedientia, à Religione, ab Ordine.

Apostasia ab obedientia est ea, qua quis præcepta Prælati non solùm negligit, quod est inobedientia, sed insuper iis formaliter se opponit, eaque contumax abjicit.

Apostasia à Religione, est criminosa recessio à quolibet Ordinis Religiosi instituto, cum proposito non revertendi, sive retineatur habitus, sive abjiciatur.

Dicitur 1mo. *Criminosa recessio*, quia qui licitè recedit, ut electus ad dignitatem Episcopalem, non est Apostata. Dicitur 2do. *A quolibet Ordinis Religiosi instituto:* Si quis enim sine dispensatione recedit ad laxiorem Ordinem seu Religionem, quamvis graviter peccet, imò excommunicationem incurrat, si sit ex Ordine Mendicantium, ex *Extravag. 1. de Regularibus*; non est tamen Apostata. Dicitur 3tio. *Cum proposito non revertendi:* Qui enim habet animum redeundi, aut permanendi in statu Religioso, vagus est, non Apostata, etiamsi habitum ad tempus dimiserit. Sed Religiosus professus habitum temerè dimittens, incurrit excommunicationem, *cap. Ut periculosa, tit. Ne Clerici vel Monachi in 6to.* Censetur autem habitum dimittere, qui omninò abscondit, ità ut nullum signum præseferat, quo Religiosus deprehendi possit.

Apostasia ab Ordine est ea, qua quis à sacris Ordinibus, dimisso habitu, transit ad statum laicæ conversationis, ut putà conjugii.

His ita circa triplicem infidelitatem virtuti Fidei oppositam positis & explicatis, modò resolvendæ sunt sequentes quæstiones.

I. Quæritur, num debeant à Principibus tolerari Infidelium ritus? 334

Resp. Vel infideles sunt politicè subditi: vel non sunt subditi. Si primum, possunt impediri eorum ritus, quia Principes jus habent impediendi in suo Regno ea, quæ pugnant adversùs legem naturæ, ut idololatria; vel adversùs veram Religionem, ut hæresis; sermo enim infidelium ut cancer serpit, & facilè pacem Reipublicæ perturbat. Hinc

leges tùm Constantini de claudendis Paganorum Templis, & Sacrificiis abolendis; tùm aliorum Imperatorum de Hæreticis puniendis. Princeps tamen Christianus justa de causa potest tolerare ritus infidelium subditorum; quia *humanum regimen*, inquit S. Thomas, q. 10. a. 11. *derivatur à divino regimine, & ipsum debet imitari. Deus autem, quamvis sit omnipotens & summè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere posset; ne eis sublatis, majora bona tollerentur; vel etiam pejora mala sequerentur. Sic ergo in regimine humano illi, qui præsunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur, sicut Augustinus dicit in libro de Ordine, aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

Si verò secundum, si nempe infideles hujusmodi subditi non sint, tolerari debent, nec licet eis bellum inferre præcisè ob injuriam illatam Deo per idololatriam, incestus, adulterio, &c. quia ad horum vindictam sumendam requiritur jurisdictio, qua carent Principes Christiani in non subditos.

Diximus, *præcisè:* nam si illa Dei injuria in subditos Regis aut Principis redundaret v. g. contumeliis fidem illorum proscinderent, filias aut uxores eorum pellicerent, bona invaderent, Princeps Christianus illos licitè ac justè puniret.

335 II. Quæritur, an infideles possint cogi ad fidem suscipiendam?

Resp. 1mo. Infideles Baptizati, sive Hæretici, sive Apostatæ, possunt cogi ad fidem Catholicam suscipiendam, & servandas leges Ecclesiasticas, quamvis baptizati sint in infantia, vel in adulta ætate ex metu compulsi: quia omnis baptizatus est subditus Ecclesiæ, quoad ea, quæ ad salutem & Religionem spectant.

Resp. 2do. Infideles non baptizati, sive sint subditi Principibus Christianis, sive non, compelli directè non possunt ad amplectendam Religionem Catholicam. Prob. 1mo. ex *cap.* 3. *de Bapt.* Et *cap.* 9. *de Judæis.* 2do. Ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam tali coactione sive per se, sive per Principes Christianos usa est, quamvis id facilè potuisset obtinere à Principibus Religiosissimis, putà Constantinô Magnô, Theodosiô, & aliis, quibus innumeri Infideles subjecti erant. 3tio. Quia Ecclesia nullam habet potestatem in non baptizatos, ex illo 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Et ex Tridentino Sess. 14. c. 2. Potestas verò sæcularis, utpotè merè politica ac temporalis, non extenditur ad supernaturalia, ut est Fidei susceptio. Adde, quod Fidei ac Baptismi susceptio debeat esse voluntaria, alioqui non esset vera, sed ficta & sacrilega. Illud autem Christi, Luc. 14. *Compelle intrare* significat adhortationibus adducendos esse homines ad fidem.

Diximus *Directè;* Nam, ut jam suprà observavimus, possunt Principes 1mo. Vetare Infidelibus subditis cultû Idololatriæ: quia, ut ibidem diximus, possunt prohibere id, quod legi naturali repugnat, & cogere ad illius observationem, & præsertim ad ea, quæ ad publicam morum honestatem spectant. 2do. Cogere illos ad audiendam Fidei Doctrinam, negando illis jus habitandi in suis Provinciis, vel exigendo ab iis majus tributum (justum tamen) quàm ab aliis, nisi fidei Doctrinam audiant; vel negando privilegia & gratias aliis concessas. Sic Gregorius XIII. *Constitut.* 92. statuit, ut Judæi ad audiendam singulis hebdomadibus Concionem de rebus nostræ Fidei cogerentur ab Ordinariis Locorum sub pœna Interdicti cum Fidelibus commercii, vel aliis mulctis.

Resp. 3tio.

Resp. 3tio. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 10. a. 8. Ecclesia potest per Principes Christianos compellere Infideles, ut non impediant prædicationem & propagationem Fidei: quia habet jus & potestatem prædicandi Fidem per totum orbem, Marci 16. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Sed qui habet jus ad aliquid faciendum, habet etiam potestatem non solùm illud exequendi, sed etiam compellendi per se vel per alios, ut non impediatur juris executio.

336 III. Quæritur, an liceat cum Infidelibus communicare?

Resp. Non licet in eorum ritibus, Sacrificiis, orationibus, cultu superstitioso &c. quia illa sunt per se mala, & ab Apostolo expressè prohibita, 2. Cor. 6. *Nolite ducere jugum cum infidelibus . . . quæ autem conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fidelis cum infideli.* Et quia talis communicatio est exterior quædam professio & approbatio falsæ Religionis, ac proindè virtualis negatio veræ. At licet in civilibus, modò absit scandalum, vel periculum perversionis; id enim permittit Apostolus 1. Cor. 10. v. 27. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire; omne, quod vobis apponitur, manducate.* Et Tertullianus lib. de Idololatria c. 14. *Licet*, inquit, *convivere cum Ethnicis, commori non licet: convivamus cum omnibus, colletemur ex communione naturæ, non superstitionis: pares animâ sumus, non disciplinâ, compossessores mundi, non erroris.*

Cùm autem Judæi præ cæteris infidelibus infesti sint Religioni Christianæ, & soliti eam blasphemiis proscindere, Jure Canonico Cap. *Omnes*, cap. *Nullus*, 28. q. 1. & cap. Judæus, extrà tit. *de Judæis.* tùm ad tuendam Christianæ Religionis dignitatem, tùm ad vitandum perversionis periculum per familiaritatem cum Judæis, prohibentur Christiani cum eis habitare, comedere, in balneo lavari, ab eis medicinam accipere, & in ipsorum famulatu seu servitio commorari. Item ne officia publica iis committantur.

IV. Quæritur, an licita sit disputatio de rebus Fidei cum Hæreticis? 337

Resp. Prohibita est omnibus Laicis c. 2. *de Hæretic.* in 6. *Inhibemus, ne cuiquam Laicæ personæ liceat pulicè vel privatim de fide Catholica disputare. Qui verò contrà fecerit, excommunicationis laqueô innodetur.* Circa quod

Not. 1mo. Ibi comprehenduntur etiam Laici docti, nam nullus excipitur. 2do. Hæc prohibitio locum non habet in casu necessitatis, si Laicus sit Doctus, ut si quis Hæreticus Fideles perverteret, nec adessent Clerici Docti, qui fidem tuerentur. Imò tunc lege divina teneretur, ut saluti proximi consuleret, & fidem despectam defenderet. Hoc multi extendunt ad casum magnæ utilitatis evidentis, quam lex impedire non intendit. 3tio. Dicunt hanc prohibitionem in locis, ubi Hæretici grassantur, & Catholicis sunt permixti, per contrariam consuetudinem esse abrogatam, scientibus & non contradicentibus Prælatis.

Tamen jure naturali prohibita est talis disputatio cuilibet indocto etsi Clerico: quia cùm non possint fidem rectè tueri, nec Objectiones solidè diluere, hæc disputatio Hæreticos in errore confirmaret, & Catholicis dubitationem injiceret; & res Fidei periculo contemptûs & minoris existimationis exponeret.

Item omnibus illicita est disputatio de rebus Fidei coram Catholicis indoctis & simplicioribus; quia imminet periculum, ne illi, auditis Hæreticorum argumentis, in Fide vacillent; nam facilè vim Objectionum percipere solent, & rarò ac difficilè solutionum; cùm res Fidei sint obscuræ & supra rationem humanam: Unde illud ad Tim. 1. *Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Excipe nisi simpliciores ab Hæreticis sollicitarentur.

V. Quæ-

338 V. Quæritur, an licita sit lectio librorum Hæreticorum?

Resp. Jure naturali iis interdicitur librorum Hæreticorum lectio quibus ex tali lectione imminet periculum perversionis, quales sunt infirmi in fide, ac præsumuntur esse rudiores, & in rebus fidei parùm eruditi; nam quisque ex charitate Dei ac sui tenetur periculum morale peccati, & salutis admittendæ vitare. Imò secluso periculô perversionis est graviter illicita etiam doctis, & firmis in fide, quandò est prohibita ab Ecclesia simpliciter & absolutè: quia Ecclesia eam prohibet non solùm ob periculum perversionis, sed etiam in odium & pœnam Hæresis ac auctoris Hæretici. Deinde lex fundata in præsumptione periculi, obligat omnes qui non exeipiuntur.

Porro hujusmodi librorum Hæreticorum lectio & retentio semper ab Ecclesia prohibita fuisse perhibetur. Sic Concilium Nicænum I. Arii libros prohibuit, ut refert Nicephorus lib. 8. hist. cap. 18. Imperatores quoque suam auctoritatem interposuère, ut ejusmodi libri ex hominum memoria prorsùs delerentur. Constantinus apud Socratem lib. 1. hist. cap. 6. Arii scripta cremari jussit, vetuitque sub pœna capitis, ne retinerentur, aut legerentur. Idipsum præstitère Theodosius & Valentinianus lege 3tia. *de SS. Trinitate.* Ephesinum Nestorii Scripta legi vetuit, Chalcedonense Eutychetis; Nicænum II. Iconoclastarum. Constantiense Wiclefi. Leo X. & Paulus III. Lutheranorum libros vetârunt. Et Pius IV. aliique Pontifices indice edito, & in Bulla Cœnæ lectionem & retentionem Librorum quorumcumque Hæreticorum sub pœna excommunicationis prohibuerunt.

Ex his facilè intelligitur, quàm periculosa, quamque noxia semper visa fuerit Patribus & Ecclesiæ Pastoribus, summisque Pontificibus lectio librorum Hæreticorum, præsertim indoctis & semidoctis hominibus, sive Laicis, sive Clericis. Enimverò si quivis litigans per Scriptum, in quo momenta suæ causæ exponi, & argumenta partis adversæ explodere nititur, lectorem in suam sententiam facilè trahit, aut saltem inclinat; quomodò non commovebitur semidoctus ex captiosis & fallacibus argumentis vaferrum Hæreticorum? namque ex Apostolo, 2. Tim. 2. vers. 17. *Sermo eorum ut cancer serpit.* Hinc pastoralis sollitudo hactenùs cavit, ne ejusmodi libri manibus tererentur nisi eorum, quorum officium est sanam Doctrinam tueri, & contradicentes refellere.

Sed non minùs, imò multò magis 339 periculosa sunt Scripta fucatis quibusdam luminibus resperſa pseudo-politicorum, & impiorum hominum, quos Libertinos (*b*) vocant, ut qui Fidem sibi fabricare præsumant, & ab Ecclesia eam recipere dedignentur, homines mente corrupti, modicæ, &, ut veriùs dicatur, nullius Religionis: Religio quippe ita vocatur, quia mentes auctoritati divinæ subjicit, & ligat Ecclesiæ, per quam divina oracula nobis panduntur. Illi autem, spretis credibilitatis motivis, quibus tanquam validissimis vinculis æterna sapientia prudentes quosque doctrinæ Catholicæ astrictos tenet, saniora, ut illis videtur, quàm scripserint Apostoli, meditanrur, alteram Religionem, eamque præstantiorem excogitare ac delineare non verentur, & fallaci ingenii acumine, ac fucatâ scribendi facundiâ ita legentium oculos perstringunt, ut

(*b*) Gallicè *Libertins*, id est, Religionis contemptores.

ut difficilè reperiatur, qui eorum consuetudine, vel ex frequenti Scriptorum ab illis vulgatorum, lectione non fluctuet circa fidem, qui jam judicata non retractet, atque ex proprio sensu temerè definiat. Quamobrem nihil in Religione ac moribus magis pestiferum infestumque, quàm ejusmodi libri. Sub gravibus pœnis, non secus ac Hæreticorum libri, in Bulla, quæ dicitur *Cœna Domini*, & in Indice, prohibentur. Atque mortaliter peccant, qui ejusmodi pestiferos libros legunt, legi audiunt, aut retinent, sicut & qui quoscumque Hæreticorum libros de Religione vel Fide tractantes legunt, legi audiunt, aut penes se retinent. Neque proindè Bibliopolis licet hujusmodi libros prohibitos emere & vendere: quia per hoc moraliter disseminant errores, suntque multis occasio peccandi.

340 Non modò Libertinorum & Hæreticorum librorum lectionem Ecclesia omni tempore, ob rationes à nobis memoratas, prohibuit, ac etiamnum prohibet, quamprimùm tales in publicum vulgari novit; Sed etiam Pius IV. in Indice ipsius auctoritate edito Sacrorum Bibliorum in vulgarem linguam translatorum lectionem vetat: Atque rationem affert ibidem his verbis: *Cùm experimentò manifestum sit, si sacra Biblia passim sine discrimine permittantur, plus ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi vel Confessarii à Catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint, ex ejusmodi lectione non damnum, sed fidei ac pietatis augmentum capere posse.* Circa quam regulam nonnulla notanda veniunt.

341 1mo. Lectio sacræ Scripturæ hac sanctione ne ipsis quidem mulierculis ac rudioribus absolutè interdicitur; sed iis duntaxat, qui ex ea plus detrimenti, quàm utilitatis acciperent, ut legenti perspicuum fiet.

2do. Constat experientiâ lectionem sacræ Scripturæ quibusdam esse noxiam, ac primò quidem Hæreticis, & aliis nimiùm de se præsumentibus; nam ex S. Augustino Tract. 10. in Joan. *Neque natæ sunt hæreses, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur.* 2do. Nonnullis etiam Catholicis, quos comperimus vel lapsos, vel gravibus tentationibus agitatos ex lectione quorumdam capitum Geneseos & Ezechielis, quæ apud Judæos juvenibus non licebat legere, sicut nec Canticum Canticorum. Denique, an non cum evidenti salutis periculo legerent Epistolam ad Romanos illi, qui jam præcipites ruunt in desperationem, quique vix divelli queunt à præconcepta opinione, quòd conditi sint ad pœnas æternas, nec sit eis liberum declinare à malo & facere bonum? 342

Tertiò, detrimenta illa spiritualia non 343 nascuntur ex sacris Scripturis, quemadmodùm ex Hæreticorum, & aliorum impiorum hominum libris; sed ex temeritate, & malè affecta legentium voluntate; nam ex Apostolo 2. Tim. 3. v. 16. & 17. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Absit, ut credatur, verba à Spiritu sancto dictata posse ad aliud incitare, quàm ad amorem Dei, & fugam peccati. Sed quemadmodùm Sacramenta, ad sanctificandos Fideles per se efficacia, obsunt malè dispositis; ita & lectio sacrarum litterarum. Quæ autem animi præparatio ad eas legendas sit afferenda, exposuimus in Tract. de S. Scriptura part. 1. cap. 6.

Quartò spectandum est, qua occasione 344 fuerit præscripta ejusmodi regula, nempè

nempè cùm Novatores palàm & ubique deblaterarent quemlibet privatum interiùs edoceri à Spiritu sancto, quis sit Scripturæ sensus, adeò ut Cerdones & Sartores eam non lectitarent modò, sed etiam enucleare, & ex ea disputare præsumerent, non sine magna Ecclesiæ perturbatione, & evidenti infirmorum periculo. Quid verò in ejusmodi angustiis consultius facere potuit vigilantia pastoralis, quàm primùm confirmare Canones, quibus prohibetur Laicis sub pœna excommunicationis ferendæ, disputare de rebus Fidei, ut Cap. *Quæcumque §. Inhibemus.* Tit. *de Hæreticis in 6.* Deindè è manibus indoctorum auferre sacra Biblia vulgari linguâ edita? Sed absurdissimo errore cum suis Auctoribus nunc anathemate perculso, & procul ejecto, amotum est periculum, quod Ecclesiæ filiis iminebat, Pastoresque liberiùs repetunt pristinum morem, quo subditos urgebant, maximè eos, qui sæcularibus negotiis distendebantur, ut sacras Litteras frequentiùs legerent, ac meditarentur: *Tuum est magis, qui negotiis vacas*, inquit S. Chrysostomus Hom. 3. de Lazaro, *perpetuò stas in acie, frequentes accipis plagas. Non potest fieri, non potest, inquam, ut quisquam salutem assequatur, ni perpetuò versetur in lectione spiritali.*

345 Quintò. Cùm laudata regula ad consilium Confessarii referat, qui ex lectione sacrorum Librorum non damnum, sed fidei ac pietatis augmentum capere possint, satis intelligitur ipsius officii esse, ut exploret, num pœnitentes sacræ Scripturæ vacent, vel non. Si lectitent, inquiret, quo fine, an gloriæ & honorum cupiditate, aut curiositate, nempe ut litteram duntaxat, quæ occidit, assequantur, nullatenus solliciti promereri Spiritum, qui solus vivificat. Si negligant: sicut ad frequentem Sacramentorum usum, sic ad sacram lectionem hortabitur, maximè Clericos: ideò quippè Scriptura sacra dicitur à Patribus Liber Sacerdotalis, seu Manuale, quia nunquam excidere debet ex eorum manibus; quin ejus lectionem, si necesse sit, imponet eis velut in pensum quotidianum, indoctisque indicabit, quas Bibliorum partes majori cum fructu legere debeant. Sed quia sancta sanctè tractanda sunt, imprimis suas curas conferet, ut singuli eâ, qua par est, reverentiâ, pietate, ac studiò sacræ illi lectioni incumbant.

VI. Denique quæritur, quænam sint Hæreticorum pœnæ? 346

Resp. Sunt 1mo. Excommunicatio major ipso facto lata, Cap. *Achatius*, 24. quæst. 1. Et Cap. 9. & 13. *de Hæret.* Ex consensu Doctorum sufficit Hæresis occulta, modò sit externa, hoc est, verbô, signô, vel factô, quamvis nemine præsente, declarata; nam tunc est verè externa, & per se exteriùs cognoscibilis. 2do. Irregularitas. 3tio. Infamia juris, si Hæresis sit notoria. 4to. Privatio Beneficiorum, & dignitatum, Cap. 12. *de Hæret. in 6.* Item jurisdictionis spiritualis, Cap. *Audivimus*, 24. quæst. 1. & Cap. *Apertè* ibid. 5to. Bonorum confiscatio, Cap. 10. *de Hæret.* Sed hoc non ubique viget. 6to. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, Cap. 2. *de Hæret.* in 6. Ubi excommunicantur ii, qui Hæreticos scienter tradunt sepulturæ Ecclesiasticæ.

Not. Credentes, receptatores, defensores, & fautores Hæreticorum ipso facto in excommunicationem incidunt, & privantur sepulturâ Ecclesiasticâ, Cap. 13. *de Hæret.* ex Concilio generali Lateranensi IV.

§. II.

De peccatis virtuti Spei oppositis. 347

Peccata Spei Theologicæ opposita duo præcipuè numerantur, Desperatio scilicet, & Præsumptio.

Despe-

Desperatio est diffidentia assequendi beatitudinem & obtinendi media ad illam necessaria, putà pœnitentiam, & alia bona opera.

348 Præsumptio verò est temeraria expectatio beatitudinis, & mediorum illius assequendæ.

Dicitur temeraria, id est, vana, futilis, & carens omni fundamentô. Ejusmodi autem expectatio seu fiducia dupliciter potest esse temeraria, 1mo. quidem, quia non innititur divinæ misericordiæ & omnipotentiæ, sed viribus humanis sive propriis sive alienis. 2do. Quia inordinatè confidit in divina misericordia & omnipotentia expectando scilicet ea, quæ Deus nedum promisit, sed imò se negaturum minatus est. Vana illa expectatione & fiducia deluduntur, qui sibi meritum per bona opera in Deo facta comparare negligunt, & pœnitentiam ad mortem differunt, interim cupiditatibus suis laxantes habenas, quia ita audiunt, quod scriptum est Ezech. 33. v. 12. *Impietas non nocebit ei* (impio) *in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*; ut aures suas obturent ad ea, quæ alibi dicuntur: *Dies Domini sicut fur in nocte*, 1. Thessal. 5. v. 2. *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet*, Luc. 12. v. 39. *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius*, Eccli. 5. v 8. *Iniqui Regnum Dei non possidebunt, nolite errare*, 1. Cor. 6. v. 9.

Unde S. Augustinus Serm. 21. novæ edit. *Si*, inquit, *mihi legis de libro sancto, sicut indulgentiam tibi promissam esse converso, sic tibi promissum crastinum diem, differ ad crastinum. Prorsùs quando te converteris, dabit: sed ipsum quando, quando est?* Nusquam promittitur, ac proindè vana est illius expectatio.

349. Ergo Desperatio contra Spem pugnat per defectum: Præsumptio verò per excessum, scilicet ex parte subjecti sperantis quod Deus non promisit.

Eis addi potest Incuria salutis; qua quis 350 media, quibus beatitudinem æternam obtinere possit, adhibere negligit. Ad eam pertinet ea animi abjectio, qua quis vellet bonis terrenis perpetuò frui, quam §. 4. Capitis præcedentis inter Luxuriæ filias tertiô locô reposuimus.

Hæc peccata sunt per se mortalia, 351 cùm sint opposita virtuti Theologicæ, quæ habet Deum pro Objecto; adeoque, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 20. a. 3. directè & principaliter importent aversionem à Deo, proindè ipsi graviter sint injuriosa. Unde, *Ista duo occidunt animas, aut Desperatio, aut perversa Spes*, ait S. Augustinus, Serm. 87. de verb. Evang. nov. edit.

Hinc mortale est 1mo. Non velle efficaciter, nec optare possessionem Dei. 2do. Deliberatè cupere perpetuò manere in hac vita, & magis amare bona creata, quàm Dei possessionem. 3tio. Ex nimio damnationis metu, & diffidentia de Dei gratia & misericordia, absolutè cupere annihilari, vel nunquam fuisse. 4to. Desperare de obtinenda vita æterna & venia peccatorum, emendatione vitæ, vel auxiliis gratiæ necessariis. 5to. Sperare salutem sine bonis operibus ex gratia factis, vel ut debitam ob dotes, aut opera naturalia, aut veniam peccatorum sine pœnitentia. 6to. Velle perseverare diu in peccatis ex spe misericordiæ divinæ, aut post lapsum in unum mortale multa alia committere, eò quòd æquè facilè sit obtinere veniam multorum, quàm unius; quasi Deus suâ misericordiâ esset fautor criminum, contra illud ad Rom. 2. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, &c.* Nam hæc & similia sunt divinæ bonitati, misericordiæ, vel potentiæ, vel gloriæ, vel providentiæ ordinationi, vel justitiæ graviter injuriosa. Undè peccata in

Spiritum sanctum nominantur, ut quæ specialiter pugnent contra bonitatem Dei, & spiritualia gratiæ ejus dona, quæ cùm sint effectus amoris Dei erga homines, Spiritui sancto appropriantur, utpotè qui ratione processionis suæ sit amor Patris & Filii.

352 Causæ Desperationis & Præsumptionis juxta S. Thomam, sunt Acedia, hoc est fastidium boni spiritualis, præsertim divini, & Superbia ac inanis gloria. Illa quidem Desperationis; Superbia verò & inanis gloria Præsumptionis. Unde adversùs eas eadem sunt adhibenda remedia, quæ adversùs Superbiam & Acediam Cap. præcedenti §§. 1. & 7. præscripsimus.

§. III.

353 *De peccatis virtuti Charitatis oppositis.*

Omnia peccata dici possunt charitati opposita, saltem indirectè: mortalia quidem, quia charitatis & habitum & actum excludunt: venialia autem, quia etsi non destruant charitatis habitum nisi dispositivè, ejus tamen actum excludunt. Sunt tamen, quæ illi specialiter & directè opponuntur: qualia sunt odium, acedia, invidia, discordia, contentio, schisma, rixa, seditio, bellum, scandalum: quæ sunt ex genere suo mortalia, cùm directè ac specialiter opponantur Charitati, & excludant à Regno Dei, ait Apostolus Galat. 5. De acedia & invidia egimus cap. præcedenti; de reliquis modò singulis titulis dicendum.

I.

354 *De Odio Dei & proximi.*

Odium generatim est aversio Objecti. Duplex est, unum inimicitiæ, quo alicui ex ejus displicentia volumus malum, quatenùs ejus malum est; alterum abominationis, quo rem vel personam aversamur ut malam præcisè, vel ut malam nobis & aliis.

Odium sic generatim divisum aliud est Dei, aliud proximi. Omne odium inimicitiæ erga Deum est peccatum omnium gravissimum; quia per se immediatè, directè & formaliter avertit à Deo, & opponitur directè actui charitatis Dei, qui est actus omnium præstantissimus, & ejus habitui: nam illud est pessimum, quod est optimo contrarium. Item omne odium abominationis erga Deum est intrinsecè malum & mortale; quia est graviter injuriosum Deo, quasi in eum cadere possit aliqua malitia, vel defectus, seu ratio, ob quam aversione dignus sit; cùm tamen Deus sit essentialiter in omni ratione infinitè bonus & perfectus. Hinc gravissimum scelus est optare, ut Deus non sit, ut careat aliqua perfectione, v. g. scientiâ, justitiâ, omnipotentiâ, &c. aut de illa dolere. Item gaudere de offensa Dei ut tali, seu prout præcisè est offensa Dei. 355

Odium inimicitiæ erga proximum est peccatum mortale ex genere suo, nam directè opponitur charitati proximi, & graviter prohibetur præceptô diligendi proximum ex 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Potest tamen esse veniale ex levitate materiæ, ut si ex levi displicentia personæ leve malum optetur. Aliud est de odio Dei, quod semper est mortale, nec admittit levitatem materiæ, cùm vel levissimum malum Deo optare sit Deo graviter injuriosum; quasi in eo reperiatur aliqua ratio aversionis. 356

Odium verò abominationis erga proximum, si sine justa causa & inordinatè concipiatur, est culpa gravis vel levis, pro gravitate vel levitate materiæ. Interdum tamen culpâ vacat, & est laudabile, dum scilicet non adversatur Charitati,

ritati, sed procedit ex amore benevolentiæ erga Deum, vel ipsum, quem sic aversamur, aut alterum proximum, servato ordine debito charitatis: ut cùm quis aversatur peccatorem, non qua homo est, sed qua peccator est, seu quòd peccator sit, in eo aversando ejus peccatum ut ejus malum est, juxta illud Proverb. 29. *Abominantur justi virum impium.* Nam sic odisse nihil aliud est, quàm odisse peccatum in ipso; & tale odium conjunctum est cum charitate, quia eidem volumus salutem & ejus media, ac alia bona, quibus indiget.

157 Porro nunquam licet optare & imprecari malum proximo, quatenùs ejus malum est, vel gaudere de ejus malo ut tali, vel dolere de ejus bono, ut ejus bonum est; quia hæc sunt actus odii, & inimicitiæ, necnon repugnant Charitati; ideoque sunt mortalia ex genere suo, nec possunt esse venialia, nisi ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem mali optati.

Item non licet optare etiam inefficaciter malum proximi, licèt non ut malum illius, aut gaudere de eo etsi inculpatè advenienti, vel dolere de ejus bono; quamvis non ex displicentia personæ, sed præcisè propter bonum minus nostrum vel alterius proximi; quia hi actus repugnant debito ordini charitatis, ex qua tenemur bonum proximi majus & altioris ordinis præferre nostro minori, & inferioris ordinis. Idque constat ex his propositionibus ab Innocentio XI. damnatis: 13tia. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, vel de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare: non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 14ta. *Licitum est absolutò desideriò cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura est pinguis hæreditas.* 15ta. *Licitum est filio gaudere de parricidio à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

Nihilominus, *Quia Charitas ordinem habet*, inquit S. Thomas in 3. dist. 30. art. 1. ad 4. *& plus debet diligere quisque se, quàm alium, & propinquos, quàm extraneos, & amicos, quàm inimicos, & bonum commune multorum quàm bonum privatum unius; potest aliquis, salva Charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, aut Ecclesiæ. Similiter de malo temporali ejus, secundùm quod per malum pœna impeditur frequenter malum culpæ ejus.* 158

Igitur 1mo. Licet desiderare affectu inefficaci aliquod malum temporale alteri v. g. morbum, & de illo gaudere præcisè propter ejus bonum spirituale v. g. ut peccare desinat, & resipiscat: quia secundùm ordinem Charitatis bonum spirituale præfertur bono temporali.

2do. Licèt sic optare mortem justè obventuram hæresiarchæ vel malefactori Reipublicæ noxio, & de ea gaudere, non quatenùs ipsius malum est, sed quatenùs per illam mortem majora mala impediuntur, & ob multorum bonum, quod præferendum est bono unius privati.

3tio. Licitè optas victoriam de hostibus in bello justo, vel Turcarum excidium, ob ingens bonum justum tuæ communitatis, vel Ecclesiæ; quia bonum Ecclesiæ, vel Communitatis tuæ præferre debes bono alterius Communitatis.

4to. Licet optare malefactori pœnam meritam per Judicem infligendam, vel ut ipse aut alii coerceantur ab injuria inferenda tibi aut aliis; nam hoc est consentaneum Charitati; vel quia expedit Reipublicæ & bono communi, nam

est actus pietatis erga Rempublicam; vel ut jus læsum resarciatur nam est actus justitiæ. At, ut dictum, nunquam licet optare aliis vel sibi majus malum ad vitandum minus; quia hoc est contra debitum ordinem Charitatis. Hinc peccant mortaliter, qui deliberatè mortem sibi optant, ex impatientia, ad vitandas aliquas leves molestias.

359 Quod spectat ad Maledictiones 1mo. Ex dictis constat esse peccatum mortale proferre Maledictionem gravem ex animo, ut malum grave eveniat, v. g. *Diabolus te rapiat; utinam mortuus esses, &c.* Imò sibi vel aliis malum grave ex ira imprecari, quamvis sine animo ut eveniat, sæpè mortale est, sive ratione gravis contumeliæ, spectata personæ qualitate; sive ratione scandali: sic parentes graviter peccant liberis suis præsentibus grave malum oretenùs ex ira imprecando; nam suô exemplô eos docent sibi invicem vel aliis grave malum imprecari, & iræ servire: nec à mortali excusatur, qui durante passione, seu iræ affectu, grave malum evenire deliberatè voluit, etsi statim posteà noluisset, imò doluisset, si tale malum evenisset; quia re vera passioni iræ deliberatè consentit in re gravi. Item mortale est, se ipsum ex ira deliberatè Dæmoni devovere ob fœditatem ac perversitatem rei. *Contingit tamen*, ait S. Thomas, 2. 2. q. 76. a. 3. *verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur; vel etiam propter affectum ejus, qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua, talia verba profert: quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur.* Hinc confitens maledictionē interrogari debet, an ex animo malum grave sibi vel alteri imprecatus fuerit, an cum scandalo vel contumelia; & quale malum in specie optaverit; nam maledictiones sunt diversæ speciei, pro diversitate malorum optatorum; actus enim voluntatis mali sumunt speciem etiam ex Objecto materiali.

2do. Maledictio gravis effusa in non 360 subditum præsentem non solùm Charitati, sed etiam Justitiæ repugnat; nam est gravis & injusta læsio honoris proximi, seu contumelia, ideoque obligat ad satisfactionem.

Not. Maledicere creaturis irrationabilibus, quatenùs sunt utiles homini, est æquivalenter maledicere homini. Maledicere illis in quantum sunt creaturæ Dei est blasphemia. Maledicere verò eis secundùm se consideratis, *est otiosum & vanum, & per consequens illicitum*, inquit S. Thomas, quæst. 76. art. 2. Hoc tamen ultimum censetur solùm veniale per se; ut si rusticus equis suis mortem vel diabolum optet.

II.

De Discordia, Contentione, Schismate, Rixa, & Seditione. 361

I. Discordia est contrarietas voluntatum, seu dissensio voluntatis unius à voluntate alterius in iis, quæ quis tenetur velle ex charitate Dei vel proximi. Opponitur Concordiæ, quæ consistit in voluntatum consensione, seu cordium unione, ut nomen ipsum *Concordiæ* sonat. Est peccatum mortale ex genere suo. Habetur ex Apostolo Galat. 5. ubi *Dissensiones* numerantur ab ipso *inter opera carnis*, de quibus ibi dicit: *qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Tùm quia Prov 6. Deus *detestatur eum, qui seminat inter fratres discordias.* Tùm quia specialiter opponitur Charitati, cujus est voluntates unire, seu conjungere.

Verùm ut Discordia Charitati sit opposita, adeoque peccatum, requiritur, ut quis scienter dissentiat à voluntate alterius circa bonum Dei aut proximi, 362

in

in quo consentire tenetur, ut docet S. Thomas quæst. 37. art. 1. ubi inter alia hæc addit, scilicet non esse peccatum discordiæ, cùm unus æstimat hoc esse bonum, & pertinere ad honorem Dei, vel utilitatem proximi; alius autem habet opinionem contrariam: nisi hujusmodi discordia sit cum errore circa ea, quæ sunt de fide aut necessitate salutis, vel pertinacia indebitè adhibeatur. Et quæst. 29. art. 3. ad 3. *Ad amicitiam* (seu Charitatis concordiam) *non pertinet*, inquit, *concordia in opinionibus*, *sed concordia in bonis conferentibus ad vitam, & præcipuè in magnis; quia dissentire in parvis, quasi videtur non esse dissensus. Et propter hoc nihil prohibet aliquos charitatem habentes in opinionibus dissentire . . . . similiter existente etiam concordia in principalibus bonis* (quæ sunt de necessitate salutis) *dissensio in aliquibus parvis, non est contra charitatem; procedit enim talis dissensio ex diversitate opinionum, dum unus æstimat hoc, de quo est dissensio, pertinere ad illud bonum* (putà ad gloriam Dei, utilitatem proximi, quam uterque intendit) *alius æstimat non pertinere.* Et cit. quæst. 37. art. 1. ad 3. scribit, discordiam, quæ intercessit inter SS. Paulum & Barnabam Act. 15. fuisse absque peccato; quia uterque intendebat bonum; sed absque pertinacia & contentione, *uni videbatur bonum hoc esse, & alteri aliud, quod ad defectum humanum pertinebat.*

363 II. Contentio est altercatio verborum, quibus inordinatè quis alteri contradicit; undè in eo præcisè à Discordia differt, quòd hæc dicat contrarietatem voluntatum, contentio verò contrarietatem verborum & sermonis cum inordinata acrimonia & modo indebito, putà clamoribus, & dictis mordacibus: *Contentio*, inquit Glossa in cap. 1. ad Rom. v. 29. *est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.* Ex genere suo est peccatum mortale, sicut alia, quæ sunt contra Charitatem. Undè Galat. 5. *Contentiones* numerat Apostolus inter opera carnis excludentia à Regno Dei. Semper autem est mortalis 1mo. Si impugnetur veritas ad fidem, bonos mores, pietatem, justitiam, vel grave bonum proximi spectans: Si tamen veritas non impugnetur seriò, sed solùm exercitii causâ, ad illustrandam explicandamque veritatem, vel ad explorandam doctrinam alterius, seclusô scandalô, & modô inordinatô, non est peccatum. 2do. Si contentio fiat cum periculo scandali, vel cum gravibus maledictis, conviciis, contumeliis. Est autem solùm venialis, seclusis conviciis ac scandalô, si materia sit levis, vel inordinatio sit solùm in modo, v. g. si solùm fiat cum nimia acrimonia, clamoribus, aut ex solo studio vincendi adversarium.

III. Schisma est separatio ab unitate 364
Ecclesiæ, cujus partes tanquam membra unius & ejusdem corporis charitatis veluti spirituale vinculum copulat ac constringit. Læditur quidem illa unitas per quamlibet inobedientiam, qua quis præcepta Prælati sui contemnit; sed absolutè non solvitur, nisi inobedientiæ addatur rebellio & contumacia, qua inobediens non vult subesse Ecclesiæ, vel Summo Pontifici ejus in spiritualibus Capiti. Unde non omnis inobediens est Schismaticus. Porro omnes Hæretici sunt etiam Schismatici, cùm ab unitate Ecclesiæ se separent, contrariam doctrinam sectando.

Est autem Schisma gravissimum scelus, ut constat ex Patribus, cùm lædat præclarissimum quoddam bonum commune, nempè ipsam Ecclesiæ unitatem. Vid. S. Thom. quæst. 39. art. 1. & Tom.

Tom. 1. Theolog. nostræ Tract. 3. de Ecclesia, ubi de Schismate & Schismaticis egimus.

365 IV. Rixa est pugna manuum & verberum inter privatos, cùm scilicet aliqui ex ira invicem se percutiunt auctoritate privata. Igitur ex discordia, seu oppositione voluntatum, nascitur contentio, quæ est pugna verborum; ex contentione rixa, quæ, ut dictum, est pugna manuum & verberum. In aggressore est peccatum ex genere suo mortale, quia est contra Charitatem & justitiam, & Galat. 5. *Rixæ* numerantur inter opera carnis excludentia à regno Dei. In repugnante verò, seu in eo, qui se defendit, licita est, si servet moderamen inculpatæ tutelæ; illicita verò & peccatum si non servet, vel veniale, vel lethale, secundùm iræ, odii, & appetitûs vindictæ excessum. Ita S. Thomas 2. 2. q. 41. a. 1.

366 V. Seditio est tumultus ad pugnam, cùm scilicet cives tumultuantur, pacem civitatis turbant, & arma sumunt ad pugnandum, non contra extraneos hostes, sed contra se invicem, vel adversùs Principem. Est semper mortalis, nam semper graviter adversatur unitati, paci, ac bono communi, & etiam justitiæ; quia auctoritas bellandi residet in solo Principe vel in Republica libera.

III.

367 *De Bello.*

I. Bellum etiam offensivum potest esse licitum. Quia 1mo. Deus ipse leges Belli gerendi dedit Deut. 23. Item Luc. 3. S. Joannes Baptista rogatus à militibus, quid ipsis esset agendum, ut salutem adipiscerentur, non jussit ipsos militiam deserere, sed ne quemquam concuterent: unde S. Augustinus Epist. 138. aliàs 5. *Si*, inquit, *Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potiùs militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque omninò militiæ subtraherent. Dictum autem est eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum, Luc. 3.* 2do. Cuique privato licet jus suum tueri, bona sua à raptoribus in judicio repetere cum eorum capitis & vitæ periculo. Ergo à fortiori licebit Principi summo & Reipublicæ liberæ jus suum tueri ac repetere. Cùm autem careant Superiore, à quo jus suum obtinere possint, debuit iis jure naturæ competere potestas ad jus sibi dicendum, & cogendam partem adversam ad sibi satisfaciendum: alioqui non posset Communitas perfecta in pace conservari.

Bellum autem defensivum licere per se patet; cùm jure naturali unicuique liceat injustam vim vi repellere, cum debita moderatione.

II. Ex S. Augustino lib. 22. contra 368
Faustum cap. 44. & 75. & ex S. Thoma 2. 2. q. 40. & communi Doctorum sententia, ut Bellum sit licitum hæc tria requiruntur. 1mo. Potestas suprema, quæ residet vel in Republica libera, vel in Principe supremo, cui cura Reipublicæ commissa est: Nam qui habent Superiorem, possunt ejus auctoritatem implorare ad injuriæ compensationem; sicque Bellum iis licitum esse non potest. 2do. Causa justa, quæ est duntaxat gravissima injuria Principi vel subditis illata, quam tollere, vel pro ea satisfacere pars adversa recuset. *Bella justa*, inquit S. Augustinus lib. quæst. super Josue q. 10. *definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens, vel civitas, quæ bellò petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injuriam ablatum est.* Si

Si enim litibus alios premere non licet absque necessitate, multò minùs, urbes & provincias devastare cum plurimi sanguinis effusione, prout in bello evenit. Sed ista ponderare eorum est, quos Princeps adhibet ad consilium, & quibuscum, antequam bellum inferat, de illius justitia indagare tenetur; non verò subditorum. 3tio. Recta intentio, ut non geratur bellum ex odio, avaritia, inordinata cupiditate amplificandi imperii, sed ad publicam quietem ac justitiam servandam, vel ad opitulandum injustè oppressis.

369 Porrò licet etiam aliis tanquam sociis auxilium præbere Principi habenti justam causam bellandi, & huic aliorum uti auxiliô, quamvis sint diversæ Religionis (*i*), modò absit scandalum & periculum Fidei ac Sacrilegiorum. Nam, per se loquendo, licet alium in re justa juvare. At non licet in bello etiam justo advocare Infideles in auxilium, vel iis opem ferre, quia adest periculum scandali, sacrilegiorum, & detrimenti veræ Religionis; & quia salus æterna proximi, & præsertim multorum, præferenda est cuilibet bono temporali; & Principes tenentur supra omnia Christo servire, ejusque regnum, quod est Ecclesia Catholica, quam sanguine suo acquisivit, quantùm possunt, integrum conservare, imò & amplificare. Vid. inf. *Exercit. J. U. 16. n.* 49.

Porro licèt non possit dari bellum utrimque justum ex natura rei, cùm circa idem non possint esse jura contraria: fieri tamen potest, ut neutra pars peccet bellando, ob ignorantiam invincibilem.

370 III. Ante bellum tenetur Princeps rem diligenter examinare cum viris probis ac peritis, & habere certitudinem saltem moralem de justitia causæ; nam cùm ex bello gravissima sequantur mala, ac incommoda, etiam innocentibus; Charitas & Justitia exigunt, ut non inferatur, nisi planè constet de causa justa & sufficienti. Quòd si justitia causæ sit dubia, & alter sit in possessione, certa injustitia est bellare: quia in dubio melior est conditio possidentis. Deindè tenetur parti adversæ justitiam causæ suæ, & prætensiones suas proponere, ut illa possit satisfacere injuriæ illatæ vel restituere ablata sine alio damno: nam bellum sine necessitate geri licitè nequit, propter ingentia mala, quæ cum eo conjuncta esse solent. Ex S. Augustino relat. in cap. *Noli* 23. q. 1. *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.* Hinc æqua satisfactio oblata acceptari debet: aliàs bellum sine justa causa & necessitate fieret.

IV. In bello justo licita sunt ea omnia & sola, quæ juxta consuetudinem Christianorum necessaria sunt ad assequendum finem belli, scilicet vel ad recuperanda injustè ablata, vel injuriam justè vindicandam, & ad securitatem Reipublicæ stabiliendam. Nam cùm finis licitus sit, licita sunt etiam media per se ad illum necessaria, non autem alia, quæ proximo nocent; cùm nemini sine justa causa damnum inferre liceat. 371

Hinc 1mo. licet occidere hostes pugnantes, & resistentes; non tamen innocentes, qui non pugnant, ut sunt Clerici, senes, mulieres, pueri, rustici, opifices, &c. quamvis sint partes Reipublicæ hostilis; quia nunquam licet directè occidere innocentes. Neque enim Respublica potest puniri in suis membris, nisi secundùm id, quod ejus dominio subest, qualis non est vita civium. Indirectè tamen & per accidens possunt interfici, ut

(*i*) Christianæ tamen.

ut cùm urbs expugnari, vel nocentes seu milites vinci nequeunt, nisi cum periculo & occisione innocentum: quia bonum publicum, quod ex victoria speratur, est majus bonum quàm vita aliquorum, quorum mors præter intentionem sequitur. Et alioqui non posset contra nocentes bellum geri, & sic causa bellantium frustrà esset justa. 2do. Licet spoliare bonis cives etsi non pugnantes, qui sunt membra Reipublicæ hostilis, si hoc necessarium sit ad finem belli: quia cùm sint pars Reipublicæ ipsa justè punitur in illis, & debilitatur privatione bonorum, quæ ejus Dominio subjiciuntur. 3tio. Licet uti insidiis & stratagematibus, ex Josue cap. 8. & cap. *Dominus* sup. cit. quia non sunt mendacia, sed occultatio veritatis. 4to. Civitas capta dari, sine gravi necessitate, non potest in prædam, propter multa scelera & mala, quæ in tali deprædatione committi solent. Et si detur, tenentur Duces diligentissimè curare, ne scelera committantur. 5to. Ea, quæ caveri nullâ prudentiâ possunt, ut venenô inficere puteos, aquas, glandes, non licent; quia sunt contra jura belli & gentium. Item Christiani à Christianis capti non possunt fieri servi; nam id ex consuetudine gentis Christianæ receptum est in honorem Religionis Christianæ, & libertatis, quam per Christum consecuti sumus: unde esset contra jus gentis Christianæ. 6to. Non licet victori retinere urbes captas, & alia bona immobilia hostium, nisi quatenùs debitam compensationem vel satisfactionem non excedunt, vel necessaria sunt ad securitatem in posterum contra victos stabiliendam; nam compensatio debet esse commensurata debito, & pœnæ culpæ, alioqui est injusta. 7mo. Princeps tenetur inchoatum bellum finire, si æqua satisfactio offeratur, securitas sufficiens præstetur, & compensentur impensæ belli: quia tunc cessat causa continuandi belli, quod proindè jam foret illicitum.

V. Jure naturali nihil fieri licet con- 372
tra justititiam, jus gentium, fortitudinem, Charitatem, & veram Religionem. Et fides data hostibus servanda est, ex S. Augustino in cap. *Noli.* Nam hæc obligat jure naturali & gentium; & hoc necessarium est ad pacem & bonum commune regnorum. Si enim fœdera publica inter regna & Principes non obligarent, nec necessariò servanda essent; nulla pax aut societas inter genus humanum consistere posset. Quod intellige, nisi hostes ipsi fidem fregerint: nam tunc est quædam compensatio, & pacta censentur fieri sub hac conditione, si alter promissis steterit, nec fidem fregerit.

VI. Tenentur Principes & ejus Duces 373
militibus justa stipendia solvere, & impedire omnia crimina, quæ impediri moraliter possunt; necnon curare, ne proprii subditi iniquis vexationibus graventur: alioqui tenentur ad compensanda damna secuta ex omissione solutionis, vel diligentiæ debitæ; cùm sint eorum causa contra proprium officium & justitiam.

VII. Ex communi sententia Bona ju- 374
stô bellô capta, si sint immobilia, cedunt Principi aut Reipublicæ; si sint mobilia, sunt capientium; nisi ex consuetudine regionis ea dividenda sint inter milites, aut una pars cedat Principi. Tamen bona injustè acquisita ab hostibus, restitui debent eorum Dominis, ex Leg. 20. ff. *de Captivis*, cùm jus habeant in illa.

VIII. Repressaliæ, positis certis con- 375
ditionibus, sunt licitæ: quia auctoritate publica usurpari possunt, per compensationem, bona subjecta Dominio Reipublicæ, quæ in culpa est, dum non procurat

curat reparationem injuriæ à suis membris illatæ alterius Reipublicæ civibus. Conditiones autem ad hoc requisitæ sunt istæ: 1mo. Ut constet de injuria illata. 2do. Ut Princeps vel Magistratus civium nocentium rogatus debitam satisfactionem deneget. 3tio. Ut fiant auctoritate Principis civium læsorum. 4to. Ne plus damni inferatur, quàm justa satisfactio requirit. 5to. Ut non fiant in personas Ecclesiasticas, & earum bona, *Cap. Un. de injuriis in* 6.

376 IX. Diximus suprà subditorum non esse, examinare aut ponderare, num belli causa justa sit: attamen si subditus certò & evidenter noverit belli causam omninò injustam esse, tunc planè arma ad injustam hanc causam tuendam sumere ei nullatenus licet. Si verò de causæ justitia dubitet, tunc tenetur suum dubium deponere, quod facilè poterit, præsertim cùm illius non sit omnes belli, quod fortè Princeps alteri Principi vel Reipublicæ infert, causas & rationes rimari, nec eas examinare possit aut debeat. Depositò igitur dubiò, num belli causa justa sit nec ne, arma jubente Principe sumere potest & debet, sed eo animo, quo Chirurgus e. g. ad nutum Medici ferrum & ignem adhibet, nimirum ad sananda Reipublicæ vulnera, & stabiliendam publicam pacem, quæ est regni salus. Quid enim tam alienum à Christianis moribus, aut tam inhumanum & crudele, quàm contra hostes insurgere, veluti si avis rapax, aut canis venaticus ruat ad prædam, devictum adversarium, qui secundùm jus gentis Christianæ, & militiæ leges servandus esset captivus, interficere, eum spoliandi causâ, quomodò venator captam feram occidit, ut pellem detrahat? Hæc & similia Confessarius inquiret non solùm à gregariis militibus, sed & à militiæ Præfectis, quibus, ut ipsimet palam testantur, pax & tranquillitas publica oneri est, & bellum in votis, utpotè occasio vel captandæ gloriæ, vel rei familiaris amplificandæ; eò sanè pejores Judice & Medico, quorum ille dissidia in civitate ad multiplicandas lites; iste verò ægritudines exoptaret, ut sic ambo ex alienis malis opes colligere possent; quò urbium subversiones, & innumeræ interneciones sunt quid longè gravius ruinâ unius aut alterius familiæ.

IV.

De Scandalo.

I. *Scandalum* vox græca secundùm nominis etymon idem significat ac Offendiculum, seu pedis offensionem, ut lapis in via, ad quem viator, incautè offendens, prolabitur. Translatum autem ad mores græcum hoc nomen significat quidquid nobis ad beatitudinem tendentibus est causa ruinæ spiritualis; quo sensu Christus dicitur 1. Pet. c. 2. *Lapis offensionis, & petra scandali*, nempe incredulis & carnalibus. 377

Generatim duplex est, alterum activum, quod scilicet datur: passivum alterum, quod scilicet accipitur, estque effectus scandali activi, seu peccatum, cujus causa fuit scandalum activum seu datum. 378

Scandalum activum definitur à S. Thoma 2. 2. q. 43. a. 1. & ab aliis communiter Theologis ex S. Hieronymo in c. 15. Matth. *Dictum vel factum minùs rectum præbens alteri occasionem ruinæ seu peccandi.*

Dicitur 1mo. *Dictum vel factum*; quia sola voluntas, nisi exteriùs se prodat dictis vel factis, non potest esse aliis offensio. Nomine autem *dicti & facti* intelligitur etiam externa omissio; qui enim omittit loqui vel agere, cùm deberet, v. g. sub-

ditum blasphemantem corrigere, Sacrum audire die festo, aliis est scandalo & offensioni.

Dicitur 2do. *Minùs rectum*, sive illud sit per se malum, sive habeat duntaxat speciem mali; species enim mali æquè inducit ad peccandum ac malum ipsum: imò si malum haberet speciem boni, non moveret alios ad peccandum. v. g. Fornicarius, qui domum mulieris frequenter ingreditur sub specie negotii necessarii, neminem scandalizat: contrà verò Clericus, qui apud se puellam retinet, quamvis castimoniam illibatè servet, nihilominùs aliis est malo exemplo & offendiculo; quia factum ipsius habet speciem mali.

Dicitur 3tio. *Prabens alteri occasionem ruinæ*; quia necesse non est ad rationem scandali, ut ruina actu sequatur seu peccatum, sed satis est, ut ei detur occasio.

379 Scandalum datum seu activum duplex est, scilicet directum, & indirectum. Directum est, cùm quis dictis vel factis proximum in ruinam impellere intendit, putà in fornicationem. Indirectum, cùm quis non intendens ruinam proximi, nonnulla dicit, aut facit in proprium commodum, aut animi oblectamentum, quæ tamen sunt alteri occasio peccati.

380 Scandalum passivum etiam duplex statuitur; alterum dicitur pusillorum, quod ex proximi ignorantia aut infirmitate oritur; alterum Pharisæorum, seu Pharisaicum, quod nascitur ex malitia accipientis: ideò autem dicitur Pharisæorum, quia insignis fuit eorum malitia, qua ex dictis & factis Christi Domini peccandi occasionem sumpserunt.

381 II. Dare scandalum directè, inducendo scilicet proximum ad peccandum, etsi non ex intentione expressa, ut peccet & pereat, sicut facit Dæmon, sed propter utilitatem vel voluptatem aliquam propriam aut alteriùs, est peccatum ex genere suo mortale, atque speciale contra charitatem. Nam lex charitatis in Deum & proximum vetat, ne offensam Dei & malum spirituale proximi quovis modo procuremus. Præterea hoc directè opponitur præcepto correctionis fraternæ, cùm sint contraria revocare proximum à peccato, & eum in illud inducere. Imò talis inductio habet duplicem malitiam in confessione exprimendam, unam contra charitatem, & alteram contra virtutem, cui repugnat illud opus malum; nam singulæ virtutes obligant directè ad suos actus eliciendos, & indirectè ad non procurandam sui violationem in aliis. Præterea inducens consentit peccato, ad quod inducit: ergo illius reus est; nam juxta Apostolum Rom. 1. eâdem pœnâ æternâ digni sunt, qui faciunt, & qui consentiunt facientibus.

Hinc. 1mo. Nunquam licet petere 382 ab alio vel ei suadere id, quod ipse non potest sine culpa præstare; nam hoc esset inducere in peccatum. 2do. Qui fœminam induxit ad fornicationem, peccat tùm contra castitatem, tùm etiam contra charitatem, cùm fuerit ei causa ruinæ: undè hæc inductionis circumstantia in Confessione est explicanda. Idque etiamsi ipsa fuerit parata ad malum: nam non est hîc & nunc in actuali voluntate peccandi, sed solùm in habituali: unde sine tua inductione hîc & nunc non committeret hoc peccatum. 3tio. Consilium pravum specificatur à peccato, quod consulitur, & est etiam contra charitatem. 4to. Laudans alium de peccato commisso, vel illum vituperans, quòd non commiserit, tenetur in Confessione explicare speciem pec-

peccati, circa quod fuit laus vel vituperium; nam illæ laudes vel vituperia sunt exhortationes ex se inordinatæ ac aptæ ad peccatum admittendum, & ad complacendum de illo, si comissum est: quare ab illo sumunt specialem suam malitiam.

383 III. Dare Scandalum indirectè tantùm, non intendendo peccatũ alterius, nec ad illud inducendo cum intentione, sed præcisè faciendo vel dicendo coram illo aliquid malum, vel mali speciem habens, est peccatum mortale ex genere suo, & speciale contra charitatem. Ita omnes Theologi post S. Thomam 2. 2. q. 33. a. 3. & 4.

384 Prob. 1mo. ex S. Scriptura. Matth. 18. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundũ maris. Væ mundo à scandalis: Necesse est enim, ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Hîc Christus loquitur dẽ scandalo simpliciter & generatim, atque de eo, quod necesse est, ut præbeatur iis, qui in mundo degunt, si spectentur corrupti mores eorum, quibuscum versari oportet. Atqui illud scandalum est indirectum; facilè enim vitari possunt, qui nos ad malum directè, v. g. consiliis & suasionibus inducere attentant; impossibile verò, quin in mundo multa videantur, & audiantur illicita, quæ videntibus & audientibus sunt occasio peccandi. Porro scandalum illud esse grave peccatum, colligitur ex pœna gravissima, qua Christus dicit fore puniendum. *Væ mundo*, inquit, *à scandalis.* 2do. Ex Apostolo Rom. 14. ubi, *Si propter cibum*, inquit, *frater tuus contristatur; jam non secundùm charitatem ambulas.* Hîc nempè loquitur de cibis vetitis lege veteri abrogata, sed jam licitis, adeoque distinctè ac dilucidè de scandalo indirecto. Item 1. Cor. c. 8. & 10. Ibi quippe agit de iis, qui in fide plenè instructi idolothytis, id est, carnibus idolo immolatis vescebantur, ut quæ nihil haurirent Religionis ab idolo, quod nihil est, cùm non sit id, quod repræsentat. Sed quia hacce Evangelica libertate utebantur coram infirmis fratribus, qui cum conscientia idoli, id est, putantes idolum ejusmodi carnes inficere, aliorum exemplô idolothytum quasi pollutum & illicitum cibum manducabant, ideoque peccabant, quia ex conscientia erronea id non licere arbitrabantur; manifestum est autem, quòd peccatum illud infirmorum esset præter intentionem firmorum, ut qui illud unum intenderent, hacce libertate fidem suam ac Religionem testatam facere in contemptum idolorum. Nihilominùs scandalum illud quantumcumque indirectum reprehendit Apostolus tanquam grave peccatum, *Et peribit*, inquit 1. Cor. 8. *in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Quæ sane non dicerentur de peccato veniali. Et ibid. c. 10. *Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis: nolite manducare propter illum qui indicavit, & propter conscientiam: conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius &c.*

Prob. 2do. Ex SS. Patribus. S. Chrysostomus Hom. 21. in 1. ad Cor. de hujusmodi indirecto scandalo ait: *Est quovis vulnere gravius scandalizare, seu offensionem afferre.* Et Auctor egregii libelli de singularitate Clericorum inter Opera S. Cypriani, in quo insurgit adversùs Clericos, qui, prætextu charitatis, religiosas mulieres in suis domibus alebant, & contenti testimoniô propriæ conscientiæ, contemnebant malas vulgi 385

suspiciones, oblocutiones, & scandala: *Pudicitiæ bonum*, inquit, *frustrà intrinsecùs laborioso agone custodit, quod forinsecùs efficit infamari . . . Pejus est quàm mœchari, continentiam ducere criminosam, & infamem ferre sanctimoniam.*

386 Prob. 3tio. Ratione. Quia sub peccato gravi tenemur amovere proximi miseriam sive corporalem per eleemosynam, sive spiritualem per correctionem fraternam, prout in Tract. de Virt. Theol. part. 3. ostendimus. Ergo à fortiori tenemur cavere, ne illum per scandalum in ruinam seu peccatum, vel ejus periculum conjiciamus: pejus enim est proximum in malum conjicere, quàm illum jam lapsum non erigere.

387 Confirmatur à simili. Societas humana non patitur, ut quis in proprio fundo quidquam faciat in privatum commodum, & ornamentum domûs, quod sit alteri nocivum, & ruinæ periculum. *Si quis*, ait Deus Exod. 21. v. 33. *aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, reddet Dominus cisternæ pretium jumentorum.* Ergo à pari, qui scandalum sive directè, sive indirectè dederit, reus est illius damni & ruinæ seu peccati.

388 Imò scandalum indirectum, excommuni contrahit etiam malitiam peccati, cujus datur occasio, exprimendam in Confessione. Tùm quia dans illud, vult saltem interpretativè tale peccatum alterius, volendo sine justa causa id, ex quo prævidet secuturum, vel ejus periculum: tùm quia quælibet virtus non solùm vetat actus sibi contrarios, sed etiam ne detur aliis occasio illos ponendi.

389 Diximus scandalum indirectè datum esse peccatum ex genere suo mortale, ut innueremus aliquando esse veniale ob levitatem materiæ, cùm scilicet est occasio peccati venialis duntaxat, modò tamen illud veniale peccatum non vergat in grave detrimentum proximi.

Est igitur mortale, si detur occasio culpæ mortalis: veniale verò, si detur solùm occasio venialis, secluso periculô gravioris mali; nam licèt peccatum veniale sit gravius malum quolibet temporali, est tamen leve in suo genere, & reparatu facile. Hinc peccant mortaliter contra Charitatem & Castitatem, 1mo. Qui imagines vel statuas nudas faciunt, vel palam exponunt; nam hæ æquè saltem inducunt ad peccatum, quàm sermo obscœnus. 2do. Qui scribunt, imprimunt, recitant, tradunt libros amatorios, cantilenas turpes, &c. Item qui componunt vel agunt comœdias obscœnas aut periculosas ratione verborum, factorum, aut gestorum. Nam hi omnes sunt causa ruinæ multorum: nec refert, quod eam non intendant; nam dant ei sufficientem causam. Item qui suâ præsentiâ eas approbant, iis consentiunt & cooperantur solvendo mercedem agentibus. 3tio. Fœminæ, quæ nudum pectus gestant; nam hæc denudatio apta est scandalum parere infirmis, & Christianæ modestiæ ac sanctitati repugnat; nec potest excusari consuetudine, utpotè contrariâ præcepto divino. 4to. Puella, quæ sine justa causa se præbet conspiciendam ei, à quo putat se turpiter concupiscendam, licèt id faciat ex mera vanitate, & sine animo ejus amorem excitandi.

Præterà observanda sunt sequentia. 390
1mo. Peccatum scandali, ut jam suprà adnotavimus, hoc ipso committitur, quod detur proximo occasio peccandi, quamvis is re ipsa non peccet. nam ad hoc satis est, quòd peccatum proximi ex tua actione vel omissione minùs recta in talibus circumstantiis, spectata ejus fragilitate, sequi

sequi probabiliter possit. Nam tunc ei creas probabile periculum peccandi: & quod tunc non sequatur peccatum, per te non stat, sed per ipsum: sicut mortaliter peccat, qui explodit catapultam cum periculo occidendi hominem, licèt nullus re ipsa occidatur. 2do. Peccatum coram aliis commissum habet malitiam scandali tunc solùm, quando est periculum probabile, ne ii, coram quibus committitur, indè impellantur ad peccandum. Hinc blasphemiæ coram solis Religiosis non habent rationem scandali. Qui verò publicè peccat, tenetur eam scandali circumstantiam confiteri, ratione periculi peccati, cui suô pravô exemplô multos exponit. 3tio. Cùm circumstantiæ, prout in Tract. de Act. hum. ostendimus, quandoque peccati speciem mutent, hinc eæ, quæ peccatum scandali comitantur, etiam in Confessione sunt explicandæ. Igitur satis non est, ut quis confiteatur se obscœna colloquia habuisse, fornicatum, aut furatum fuisse cum aliis; sed tenetur insuper explicare, an auctor fuerit ejusmodi colloquiorum, aut fornicationis & furti aliorum; namque in hypothesi quòd auctor fuerit, dupliciter peccavit 1mo. Contra charitatem per scandalum ab ipso datum; 2do. Contra castitatem in primo & secundo exemplo, & contra justitiam in tertio. Imò scandali peccatum in eo multiplicatur pro numero eorum, quibus dedit occasionem peccandi; quia sicut qui uno ictu interficeret duos homines, reus esset duplicis homicidii; ità qui uno verbo obscœno duobus, vel tribus, vel quatuor, &c. dat occasionem peccandi, tot peccatorum reum se constituit. 4to. Actus venialis, vel ex Objecto indifferens potest esse mortalis ratione scandali, quandò à tali persona & coram talibus fit, ut probabile sit periculum, ne inde alii ex infirmitate vel ignorantia sumant occasionem peccandi mortaliter, ex cap. 2. *De novi operis nunt.* Nam ex Apostolo 1. Cor. 8. sup. cit. comestio carnis idolo immolatæ, quæ per se licita est, fit mortalis ratione scandali. 5to. Cùm sit actio de se licita, quæ aliquam mali speciem habet, tollitur scandalum declarando justam causam agendi, quando hoc sufficit ad amovendam suspicionem omnem mali. Sic comedens carnes die vetito ob rationem occultam, impedit scandalum, hanc aperiendo. 6to. Quamvis juxta multos liceat, non auferendo occasionem peccati, permittere unum peccatum, ut impediantur plura, v. g. liceat hero non auferre occasionem furandi famulis aut filiis, quos ad furandum propensos ac paratos novit, ut sic deprehensi puniantur & resipiscant; eò quòd tunc rationabiliter permittat furtum unum, ut vitentur plura. Non licet tamen talia ultrò ponere, aut pericula objicere: quia esset positivè cooperari peccato, & occasionem præbere, ac creare alteri periculum peccandi, quod non licet.

IV. Non tenemur omittere opus de se non malum, nec speciem mali habens, ad vitandum scandalum passivum aliorum ex malitia ipsorum ortum, quando adest rationabilis causa illud ponendi, ut utilitas magna nostra vel aliena etiam temporalis. Ita S. Thomas, q. 43. a. 8. Quia cùm scandalum illud ex sola malitia scandalizati oriatur, ei soli imputatur: alioquin quivis per suam malitiam posset impedire commoda aliorum. Si tamen nulla esset necessitas vel notabilis utilitas opus illud faciendi, omitti deberet: quia tenemur ex charitate impedire peccatum proximi, etsi ex sola ejus malitia secuturum, cùm nulla adest justa causa illud permittendi. 391

V. Ad vitandum scandalum passivum ex infirmitate vel ignorantia ortum, id est, scandalum pusillorum, 392

te-

tenemur omittere opus utile non malū,nec mali speciem habens, seu indifferens, vel saltem differre, donec proximus moneatur, ne scandalizetur, cùm id sine gravi incommodo possumus: nam ex Lege charitatis tenemur impedire peccatum proximi infirmi, cùm possumus sine gravi nostro incommodo seu damno, ex illo Eccli. 17. v. 12. *Mandavit illis unicuique de proximo suo.* Hinc mulier, quæ prævidet aliquem in particulari ex suo aspectu sumpturum occasionem peccandi ob infirmitatem, tenetur vitare ejus conspectum, cùm potest sine gravi incommodo. Non est tamen obligatio omittendi actionem de se licitam, nec habentem per se aut communi prudentum judiciò speciem mali, ne quis generatim ac indeterminatè sumat indè occasionem pecandi: nam alioquin hoc esset onus intolerabile, & obnoxium innumeris scrupulis: hinc mulier ad vitandum periculum vagi ac indeterminati scandali, non tenetur abstinere ab ornatu honesto & ordinario secundùm suam conditionem: secùs de extraordinario nec convenienti.

393 VI. Ad vitandum scandalum passivum pusillorum seu infirmorum nunquam licet facere actionem prohibitam lege naturali, v. g. mentiri, pejerare, sacrilegium committere, aut absolutionem Sacramentalem indigno impertiri, ne ex illius denegatione longè deterior fiat; quia nunquam licet facere actionem intrinsece malam, seu dedecentem naturam rationalem. Neque etiam licet omittere actum lege naturali præscriptum in iis circumstantiis, in quibus præcipitur; quia omissio talis actûs est intrinsecè mala, cùm lex naturalis non præcipiat nisi id, quod est necessarium ad honestatem morum, spectatis omnibus circumstantiis. Constat etiam ob scandalum aliorum nunquam posse omitti ea, quæ necessaria sunt necessitate medii ad salutem: quia, ut ait S. Thomas q. 43. a. 7. *Secundùm ordinem Charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quàm alterius.* Item non licet ob scandalum passivum omittere opus bonum in detrimentum Fidei, vel boni communis spiritualis. Quo spectat illud S. Gregorii Hom. 7. in Ezech. *Si de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur.*

VII. Ad vitandum grave scandalum pusillorum, multi putant debere prætermitti præcepta merè positiva, præsertim humana, nisi ex ejusmodi omissione majus damnum immineret omittenti vel aliis. Sic si tibi ituro ad Sacrum die festo audiendum excitanda sit cædes, vel gravis rixa, non debes ire. Item si mulier prævidens in sui aspectu aliquem in particulari scandalizandum ex infirmitate, tenetur omittere Sacrum etiam die festo semel aut iterum: quia cùm præcepta omnia charitati deserviant, & ei tanquam fini subordinentur; non obligant in iis circumstantiis, in quibus charitas dictat omittendam eorum observationem, ut impediatur grave peccatum proximi. 394

VIII. De bonis operibus, quæ sunt solùm consilii, docet S. Thomas q. 43. a. 7. ea omitti non debere ad vitandum scandalūPharisaicum seu ex mera malitia acceptum, juxta illud Matth. 15. *Sinite illos, cæci sunt, &c.* Nam Pharisæi scandalizabantur, quòd Christus cum Publicanis & peccatoribus comederet, nec propterea id omisit. Et alioquin quivis suâ malitiâ posset bona spiritualia aliorum impedire. 395

Si verò scandalum ex infirmitate aut ignorantia oriatur, occultari debet vel inter-

interdum differri, donec ratio sic agendi proposita sit; nam ex lege Charitatis tenemur proximi ex infirmitate vel Ignorantia lapsuri ruinam impedire, cùm facilè possumus. At tunc facilè possumus, cùm tale opus non sit præceptum, nec necessarium, & illud differendo, vel etiam omittendo ad impediendum peccatum proximi, exerceamus actum Charitatis, quod magis meritorium est, quàm foret ipsum opus, quod omittitur. Quòd si post redditam rationem non desinant indè scandalizari; tunc scandalum ex mera malitia oritur, atque Pharisaicum est; & sic propter ipsum non sunt dimittenda bona opera, ut docet S. Thomas, ibid.

396 IX. Suadere minus peccatum volenti committere gravius nunquam licet, quamvis aliter gravius illud impediri nequeat; loquendo scilicet de suasione aut alia inductione directa. Tùm quia semper per se malum est inducere ad quodvis peccatum, etiam leve: nam nunquam licet facere malum, nec proindè illud consulere, ne quidem ut eveniant bona, ex Apostolo Rom. 3. Tùm quia qui consulit minus peccatum, etiamsi consulat ad impediendum majus, in illud minus peccatum consentit, illudque approbat, quod est Intrinsecè malum. Tùm quia suadens esset moralis causa peccati minoris, ad quod alter non erat determinatus; ideoque ei meritò imputaretur. Porro illud effatum: *E duobus malis minus est eligendum*, non habet locum in peccatis, quæ liberè fiunt, & vitari possunt; sed in iis solùm malis, quorum unum sustinendi necessitas incumbit; prout in Tract. de Act. Hum. ubi de Conscientia, dictum est.

Tamen volenti committere duo peccata inæqualia, suadere licet, ut, relictô graviori, contentus sit minùs gravi; quia hoc non est propriè suadere minus peccatum, sed solùm omissionem gravioris. Idem dicendum quando peccatum minus est pars inclusa in majori, ut si determinato ad furandum centum dicas, ut sit contentus quinque; quia tunc solùm abducis à parte peccati; modò id fiat respectu ejusdem personæ: nam volenti furari Petro suadere non licet, ut minus furetur Paulo; quia hic æquè jus habet ad suum minus, quàm ille ad suum majus, & hoc jus tunc violares. Sicut non licet Petro eripere bonum, ut Paulo etsi egentiori detur.

X. Vendere vel dare alteri rem aut 397
operam de se licitam, qua malè usurus prævidetur, vel probabiliter putatur, est peccatum scandali, quando res illa denegari potest sine gravi damno; quia, secundùm omnes, quisque tenetur ex Charitate impedire peccatum proximi, si potest saltem sine gravi incommodo; & à fortiori tenetur non suppeditare materiam vel operam, qua usurus est ad peccandum: nam Charitatis est velle bonum dilecto, & removere malum illius. Deinde quisque tenetur peccantem corripere, scandalum amovere. Ergo & à fortiori materiam peccandi non præbere. Prætereà talis meritò censetur saltem interpretativè velle ruinam alterius.

Hinc mortaliter peccant caupones, 398
qui secundam refectionem benè pransis, vel carnes, die jejunii hospitibus præbent, quos sciunt, vel prudenter judicant non habere dispensationem, nisi fortè ex denegatione gravissimum malum ipsis immineat, ut mors, incendium, vulnera, &c. Secùs si ista præbeant viris honestis petentibus, de quorum dispensatione etiamnum certò ipsis non constat: nam in dubio debent præsumere esse legitimè dispensatos. Item qui præbent vinum copiosum iis, quos eo inebriandos prævident; nam sine justa causa omittunt impedire peccatum proximi, imò materiam peccandi suppeditant, cùm mora-

moraliter possint & debeant iis denegare. Nec lucrum quærendum est ex casu, in quo est alterius peccatum, nec est tanti momenti; cùm tamen ebrietas sit animæ & corporis damnum maximum & scandalosum, ac sæpè occasionem afferat & causam injustè aliis nocendi.

399 Idem dicendum de iis, qui venenum vendunt aliis, quos eo benè usuros non constat, v. g. ad confectionem medicinæ, vel colorum; aut merces iis, qui illis abusuri sunt. Neque hi excusantur eò quòd si non vendant, alii vendituri sunt; quia & isti peccabunt vendendo: at non licet peccare, eò quòd cæteroquin alii sint peccaturi; neque factum aliorum immutat tuam cooperationem. Neque etiam excusantur eò quòd ii, quibus ista tradunt, jam sint animô parati ad peccandum; quia adhuc cooperantur actui externo malo, quo prava illa voluntas executioni mandatur. Atqui peccatum est non solùm velle malum facere, sed etiam facere & exequi malum, & ejus executioni cooperari; nam lex non solùm voluntatem furandi, v. g. se inebriandi, &c. Sed etiam ipsum furtum actuale, ipsam ebrietatem ejusque cooperationem vetat; & actio externa, seu executio rei illicitæ dedecet naturam rationalem, estque illicita.

400 XI. Non licet præbere operam vel rem aliquam, quæ in talibus circumstantiis proximè ad peccatum adjuvat, & ad illud determinatè ordinatur; quia tunc est moraliter cooperari peccato alterius. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties ei subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, putà ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Nam hæ actiones in talibus circumstantiis proximè ad peccatum adjuvant & ordinantur.

XII. Licet rem & operam ex se licitam, nec per se & proximè ad peccatum concurrentem præbere eâ abusuro, si adsit justa causa & proportionata excusans, & desit intentio cooperandi ejus peccato, nec alter abutatur contra bonum Reipublicæ vel Ecclesiæ. Nam tunc ista suppeditans, in æstimatione prudenti, non censetur cooperari alterius peccato, sed solùm illud permittere ex urgenti causa, ob quam non tenetur illud impedire; & peccatum soli malitiæ abutentis imputatur. Hæc autem causa tantò gravior & urgentior esse debet; 1mo. Quantò gravius est peccatum, quod non impeditur. 2dò. Quantò subministratio tua minùs remotè illud attingit. 3tio. Quantò probabilius est te non suppeditante alterum non executurum peccatum. Item, ex communi, requiritur major causa, quando alter non est paratus ad peccandum, quia gravius malum patitur. 4to. Si abusurus sit contra justitiam: tunc enim requir tur tantum malum vitandum, quod ex Charitate non tenearis subire ad impediendum tale damnum tertii: nam strictiùs tenemur impedire peccata alterius, quæ nocent aliis, quàm quæ non nocent; in his enim solus peccans damnum spirituale voluntariè subit, in illis autem insuper innocens damnum invitus patitur. 401

Hinc 1mo. Parochus potest & debet Eucharistiam ministrare peccatori occulto eam publicè petenti. 2do. Excusantur Caupones vinum vendentes militibus eo abusuris ad ebrietatem, si denegare non possint sine damno vitæ, vel bonorum omnium. 3tio. In necessitate licet ab alio petere quod potest sine peccato facere, quamvis prævidetur peccaturus, v. g. mutuum, quo indiges, ab usurario.

CAPUT

402 CAPUT III.

De peccatis Virtuti Religionis oppositis.

PEccata virtuti Religionis opposita generatim duo duntaxat numerantur; unum, quod ei per excessum opponitur, non quòd nimium in vero Dei cultu excedi possit, sed quia vitiosus est aliquando & inordinatus cultus, qui ei impenditur; & hoc peccati genus *Superstitio* nominatur. Alterum quod ei opponitur per defectum, atque *Irreligiositas* nuncupatur. Utriusque variæ sunt Species, prout jam in prooemio nostro annotavimus; de quibus ordine hìc agemus. Duæ igitur erunt hujus Capitis Sectiones, in quarum prima de Superstitione, & ejus speciebus; in secunda verò de Irreligiositate ejusque speciebus differemus.

403 SECTIO I.

De Superstitione & ejus Speciebus.

Superstitio est *cultus inordinatus ac vitiosus veri vel falsi numinis.* Dicitur autem *superstitio* vel à verbo *supersto*; quia per eam redditur cultus indebitus & vanus iis rebus, quæ suprà nos stant, putà Soli, Lunæ, & aliis Sideribus: vel à superstite defuncti memoria, cui honores divini exhibentur in ejus imagine, ut legitur Sap. 14. à v. 15. usque ad finem.

404 Superstitio generatim duplex est, una ex parte rei cultæ, qua cultus creaturæ tanquam Deo exhibetur, & dicitur cultus falsi numinis: alia ex parte modi colendi, qua verus Deus quidem colitur, sed modô inordinatô, & dicitur vitiosus veri Dei cultus; hicque rursus est duplex, scilicet falsus, & superfluus. Cultus falsus est, cùm falsa miracula prædicantur, vel Scriptis mandantur in confirmationem veræ fidei, & sic verorum fides enervatur; vel falsæ reliquiæ obtruduntur; vel cùm auctoritate propria proponitur aliquid tanquam institutum à Deo vel ab Ecclesia, quod re ipsa non est; vel adhibentur cæremoniæ veteris Legis, quæ sunt à Deo repudiatæ; nam significabant Christum venturum, quem tamen jam venisse fides docet; vel cùm Laicus Deum colit tanquam publicus Ecclesiæ Minister. Hæc Superstitionis species est semper ex se mortalis; quia gravem irreverentiam Deo infert, graviterque repugnat ejus honori ac cultui, qui sola veritate nititur. *Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare*, Joan. 4.

Cultus superfluus est modus veri Dei colendi præter Dei & Ecclesiæ institutionem, aut communem fidelium usum, & inutilis ad honorem Dei, & ad excitandam spiritûs devotionem, vel domandam concupiscentiam; ut orare adhibitô certô numerô, situ, colore cereorum; non nere die Sabbati in honorem B. V. interim aliis operibus servilibus insistendo; certum quemdam Missarum numerum legere vel legi curare ad obtinendum quemdam peculiarem effectum, *qui numerus*, inquit Concilium Tridentinum Sess. 22. Decretô de vitandis in celebratione Missarum, *magis à superstitioso cultu, quàm à vera Religione inventus est.* Nam superfluum est medium, quod fini non congruit; finis autem divini cultûs est honor Dei per subjectionem mentis & corporis, inquit S. Thomas, q. 93. a. 2. & cùm exterior Dei cultus ad interiorem ordinetur, omnis ille, qui ad interiorem non conducit, superfluus est, qualiscumque sit illum adhibentis intentio. Hæc superstitio seclusô scandalô, & contemptu cæremoniarum Ecclesiæ, ac communis fidelium usûs; & modò actio illa, quæ exhibetur, alias nulla lege sit prohibita, 405

non est, nisi peccatum veniale; quia & materia levis est, & irreverentia non censetur gravis ob simplicitatem. Secùs si fiat post prohibitionem Superioris. Si tamen in Missa, vel in administratione Sacramentorum, relictis Rubricis, aliæ Cæremoniæ etiam pro sua devotione, & secuso contemptu, adhiberentur, videtur non posse excusari à peccato mortali, ob materiæ gravitatem & periculum grave, gravemque præsumptionem.

406 Cultus dicitur etiam superfluus ratione certitudinis vanæ, id est, non nixæ promissione divina; ut cùm quis certò credit se à tali morbo vel periculo liberandum, gestando imaginem, vel Reliquias Sanctorum, vel verba Scripturæ, &c. Quia licèt hæc pia sint, tamen à talibus nullus effectus absolutè & infallibiliter expectari potest; cùm nullam habeant virtutem naturalem, nec divinam promissionem absolutam.

Ad hunc superfluum cultum etiam revocari possunt triginta Missæ illæ, quas Gregorianas, quòd à S. Gregorio Magno introductas ferat opinio, nuncupant; vi quarum scilicet, si continuis triginta diebus, nullo prætermisso, una post alteram, legantur pro anima cujuslibet recèns defuncti, eandem à pœnis Purgatorii illicò liberatum iri ajunt; verùm hæc vana & fictitia traditio est, & historia.

407 Ex parte Objecti quod colitur seu numinis falsi, generatim triplex est Superstitionis species, nimirùm Idololatria, Divinatio, & Vana Observantia, ad quam revocantur Maleficium & Magia. Quinque ergo sunt hujusmodi superstitionis species, de quibus singulis paragraphis nobis agendum.

§. I.

De Idololatria.

408 Idololatria est *supremus ac divinus cultus creaturæ exhibitus*, sive est *actus, quo cultus supremus & soli Deo debitus tribuitur Creaturæ*; ut oblatio Sacrificii facta Idolo, & quodvis signum honoris, quo quis Creaturæ tanquam Deo se submittere intendit: v. g. genuflexio, suffitus, &c. Maximum est peccatum, & omnium gravissimum, 1mo. Quia prohibetur Exod. 20. v. 3. *Non habebis Deos alienos coram me.* Et infra, *Non adorabis ea, neque coles;* non adorabis, inquam, exteriùs, nec coles interiùs, ut exponit Glossa. Undè qui tempore persecutionis, etiam ex mortis metu, idola exteriùs veneraretur, tametsi interiùs servaret fidem, non esset à mortali peccato immunis, prout unanimiter docent Theologi. 2do. Quia honorem soli Deo debitum ad viles creaturas transferre, peccatum est læsæ Majestatis divinæ, quo vix gravius ullum concipi potest.

(*k*) Sunt autem per se tria signa externa Latriæ, seu cultûs supremi soli Deo debiti, nempè Sacrificium, Templum, & Altare, quæ proindè sine gravi crimine nulli Creaturæ offerri possunt. Alia verò signa, quibus Deus colitur, ut genuflexio, inclinatio capitis, etiam inferiori cultui convenire possunt, & ab intentione necnon circumstantiis determinantur.

Idololatria triplex est; alia perfecta, 409
qua quis divinum honorem Idolo defert, quia illud falsò putat esse Deum. Alia minùs perfecta; cùm quis Creaturæ cultum externum soli Deo debitum defert, non credens eam habere divinitatem, sed

(*k*) Vide dicta in Appendice ad Tract. de Incarnat. Tom. 2. Theol. nostræ ubi de cultu Sanctorum disseruimus.

sed ex pravo affectu, v. g. ex odio veri Dei, vel cupiditate aliquid à Creatura illa, putà Diabolo, obtinendi. Hæc ob malitiam voluntatis est gravius crimen, quàm perfecta. Et alia denique simulata; cum scilicet quis sine existimatione divinitatis, & interno affectu colendi, sed ex solo mortis metu, supremum cultum Creaturæ exteriùs solùm exhibet. Hæc, ut jam dictum, est semper peccatum mortale; nam continet gravem injuriam ac irreverentiam in Deum, deferendo Creaturæ honorem externum soli Deo debitum. Estque etiam crimen læsæ Majestatis divinæ; est etiam mendacium perniciosum contra Religionem, ac Confessionem Fidei, cùm cultus exterior sit signum interioris.

§. II.

410 *De Divinatione.*

Divinatio sic dicta videtur, quòd sit quasi quædam divinitatis æmulatio; atque definiri potest, *Inquisitio cognitionis rerum occultarum ope dæmonis expressè vel tacitè invocati.*

Dicitur 1mo. *Inquisitio cognitionis*, sive ea cognitio de facto obtineatur, sive non.

2do. *Rerum occultarum*, id est, earum rerum, quæ ab homine propriâ industriâ cognosci nequeunt; sive soli Deo cognitæ sint, ut sunt secreta cordis, & futura libera, sive à Dæmone naturaliter sciri possint, ut sunt actus externi hominum præsentes vel præteriti.

3tio. *Ope Dæmonis:* nam cognitio occultorum cùm naturaliter hìc & nunc haberi non possit, vel expectatur à Deo, vel à Dæmone; non à Deo, qui non vult, ut homo res ejusmodi cognoscat, aut saltem ut earum notitiam non nisi naturalibus mediis assequatur. Ergo superest, ut expectetur à Dæmone.

4to. *Expressè vel tacitè invocati*, id est, sive Dæmon expressè invocetur, ut eum invocare solent Magi; sive tacitè, cùm scilicet observantur ea, quæ ad talem notitiam naturaliter non deducunt, ut faciunt Genethliaci, qui ex hora nativitatis, & Syderum inspectione, futuram hominum conditionem præsagiunt; Chiromantii & Physionomi, qui ex manuum aut faciei lineamentis, vitæ diuturnitatem, morbos, animi indolem colligunt; Augures, qui ex avium garritu, aut animalium vocibus futura prædicunt.

Igitur Divinatio ex parte pacti est 411
duplex: una quæ fit cum expressa Dæmonis Invocatione seu pactione cum eo: ut cùm quis verbis Dæmonem invocat, vel aliquid usurpat, per quod putat Dæmonem cooperari. Altera quæ fit cum tacita & implicita ejus invocatione: ut cum ad occultorum notitiam assequendam adhibentur media vana & improportionata.

Divinatio autem ex parte medii mul- 412
tiplex est, seu variis modis & mediis perficitur; ut per Præstigium, cùm Dæmon variis apparitionibus oculos perstringit; per Necromantiam, quæ fit per mortuos in speciem suscitatos; per Chiromantiam, quæ, ut dictum, per lineas manûs; Aruspicium, quod per motum, situm, aut numerum avium; Augurium, quod per garritum avium; Astrologiam judiciariam, quæ per situm ac concursum Syderum; per Sortem divinatoriam, de qua mox plura; item per eam, quæ fit per somnia, vel signa in aëre, aqua, igne, corporibus terrestribus apparentia, &c.

Sed ex communi hæc omnia inter se 413
morali specie non differunt, cùm non

Qqqqq 3 habeant

habeant malitiam notabiliter inter se diversam, atque unum est æquè grave Divinationis peccatum ac alterum Porro Divinationem gravissimum esse peccatum fatentur omnes, 1mo. Quia per eam homines fiunt socii dæmonum, quod severè prohibet Apostolus, 1. Corinth. 10. 2do. Quia qui eam exercent, præcipua divinitatis insignia sibi arrogant, juxta illud Isaiæ cap. 14. v. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.*

414 Not. 1mo. Aruspicium & Augurium, quibus aliqui naturales effectus, v. g. serenitas, pluvia, tempestas conjiciuntur, non sunt Divinationis peccata, nec ad eam pertinent; quia hi effectus non conjiciuntur ope Dæmonis, sed ex causis naturalibus, nempe ex avium & animalium motu, garritu, volatu, qui sunt proportionati cognitioni saltem probabili talium.

415 Not. 2do. Astrologiam judiciariam duntaxat inter Divinationis species reponimus, non verò Astrologiam naturalem. Duplex igitur est Astrologia naturalis una, Judiciaria altera. Naturalis est ea, qua ex Syderum concursu prænuntiantur eclypses, venti, pluviæ, frigus, æstus, & alii similes effectus, qui cum istis connexionem naturalem habent, ut frugum ubertas & sterilitas: & hæc licita est. Judiciaria verò est ea, qua ex Syderum aspectu & concursu futura libera, & quæ à sola hominis libertate pendent, ut matrimonia, dignitates, exilia, &c. prænuntiantur: & hæc prorsùs est illicita, atquè à S. Scriptura, Patribus, multis Conciliis, & utroque jure, necnon à Sixto V. Constit. 17. graviter damnatur, ac prohibetur; cùm actus liberi non possint per Astra cognosci, quippe qui ab Astris non pendent, sed à sola voluntate libera.

Not. 3tio. Inter Divinationis species 416
etiam Sortem numeravimus, sed quæ Divinatoria est. Nam Sortes sunt triplicis generis 1mo. *Divisoriæ*, quibus decernitur cui aliquid tribuendum sit; & eæ sunt licitæ, sive in pœnis, ut cùm è reis pluribus unus aut alter puniendus est; sive in functionibus onerosis, ut cùm pestis tempore Sacerdotes designandi sunt, qui Sacramenta administraturi sunt; sive in bonorum partitione, cùm partes æquale ad ea jus habent, atque in sortitionem consentiunt: tunc enim *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat*, Proverb. 18. Nam non sunt superstitiosæ, quia non assumuntur ad investigandum aliquid occultum; nec injustæ, cùm ordinentur ad quemdam contractum, in quo æqualis est contrahentium conditio, ut res fit illius, cui sors obtigerit. Attamen sortes divisoriæ in Ecclesiasticis electionibus sunt prohibitæ Cap. 3. *de Sortibus.* Item Arg. *cap.* 1. *de R. I. in* 6. Nec licet etiam Officia Sæcularia sorte distribuere ob periculum eligendi indignum, aut minùs dignum. Nam Beneficia & Officia tùm Ecclesiastica tùm Sæcularia conferri debent dignioribus, qui non sorte, sed diligenti rationis inquisitione cognosci possunt.

2do. *Consultoriæ*, quibus inquiritur 417
quid in aliqua re obscura sit agendum; & eæ sunt illicitæ, quia saltem continent tentationem Dei, & diabolicæ deceptionis periculum; solet enim Dæmon se iis immiscere; undè sub anathemate prohibentur Cap. *Sortes* 26. quæst. 5. Licitæ tamen esse possunt, si vel ad eas impellat Deus, ut contigit in electione S. Matthiæ Act. 1. vel hæc concurrant, 1mo. Necessitas & humani consilii defectus. 2do. Ut effectus à solo Deo expectetur. 3tio. Ut reverenter consulatur. 4to. Ut sit materia, circa quam prohibitum non

non ſit uti ſortibus; ſors enim, in Officiis tùm Eccleſiaſticis tùm Sæcularibus, ut primùm diximus, prohibita eſt. His conditionibus *Sortes . . . à Domino temperantur*, Prov. 16.

418 3tio. *Divinatoriæ*, quibus inquiritur rei occultæ vel futuræ cognitio; ut cùm ex cribri verſione divinantur fures, ſagæ, &c. aut ex taxillorum projectu prædicitur quis victoriam obtenturus ſit, &c. Hæ ſortes ſunt ſuperſtitioſæ & graviter illicitæ; ſunt enim medium vanum, & ad tales effectus improportionatum, ideoque tacitam dæmonis invocationem continent. Si tamen ad eas impellat Deus, quod vix unquam præſumi debet, licitæ eſſe poſſunt; ſicut licitè iis uſus eſt Joſue ad explorandum ſacrilegium Achan.

419 Not. 4to. Ex his colligi poteſt, quid ſentiendum ſit de divinatione per ſomnia; nam licet aliqua ſomnia à Deo immitti poſſint; qui tamen facilè & temerè ſomniis credit, non excuſatur à gravi culpa, etſi dicat ſe credere illa eſſe à Deo, quia morali periculo Dæmoniacæ deceptionis ſe exponit, & quantùm eſt ex ſe vult illis credere, etiamſi à Dæmone ſint; quia ex iis tamen effectus liberi prænoſci nequeunt; undè has divinationes prohibet Scriptura Levit. 19. *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia.* Et Eccli. 34. *Multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.* Porro quando ſomnium ad peccatum vel ad aliquid imprudens, aut vanum impellit, aut poſt ſomnium homo remanet animô turbatô & minùs promptô ac propensô ad opera virtutum, certum eſt illud à Deo non eſſe.

§. III.

De Vana Obſervantia. 420

Vana Obſervantia eſt *ſuperſtitio, quæ ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media vana, inutilia, & improportionata;* vel *quâ quis ex obſervatione eventûs fortuiti actiones ſuas vanè dirigit;* ut cùm quis certa verba profert, aut adhibet herbas in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ collectas, &c. Non differt à divinatione, niſi quòd hæc ad cognitionem occultorum ordinetur, illa verò ad effectum externum, vel opus obſervantis. Quare quæ dicta ſunt de divinatione, debent cum proportione accommodari vanæ obſervantiæ.

Tres aſſignantur illius ſpecies, 1ma 421 eſt *Ars notoria*, quâ quis ſcientiam vult acquirere ſine ſtudio & per media inutilia, vana, & improportionata, v. g. per verba ignota, certas preces, aliquam potionem, &c. Hac arte uti dicuntur Anabaptiſtæ, qui hauſtô Cœnæ ſuæ poculô ſcripturas ante ignotas legunt, dæmone hæc circa illos agente; undè hac ſcientia aliquando per Catholicorum exorciſmos privantur. 2da. Dicitur *Obſervantia ſanitatum*, cùm quis homines aut animalia ſanare, aut in iis aliquid operari conatur vanis & inefficacibus mediis, putà ſi quis vulneribus mederi, ſanguinem ſiſtere, dolores mitigare, hominem telis aut enſibus impervium reddere velit per certa ſigna, ceremonias inanes, ignota nomina, characterum impreſſionem; item ſi eos effectus producere intendat per media naturalia, aut etiam ſupernaturalia, ſed quibus, tanquam neceſſariæ, adjunguntur circumſtantiæ quædam frivolæ, aut incertæ, vel apocryphæ; ut quòd remedia componi debeant ex herbis tali die collectis; quòd jumentis aperiatur vena certo

certo die alicui Sancto dicata; quòd preces tali numerô & ordine recitentur; quòd qui easdem tali tempore recitat, aut Scapulare gestat, non sit sine Confessione moriturus; & alia hujusmodi penè innumera.

3tia. Est *Observatio futurorum eventuum*, qua quis ex eventu fortuito bonum aliquod aut malum sibi vel aliis eventurum ominatur, & indè actiones suas dirigit; ut si quis pede ad limen offenso malum aliquod sibi portendi credat, & ideò domum regrediatur; vel si quis credat aliquos dies esse infaustos, ideoque negotia omittat; alios verò faustos, quibus ea conficiat; quod prohibetur Cap. *Quis* 26. quæst. 7. nam cùm ista nullam habeant vim naturalem vel supernaturalem ad ea mala vel prospera annuntianda, nec cum illis connexionem habeant, observantur ut signa vana, quibus cooperatur Dæmon, ut hominum animos talibus vanitatibus implicet, & à Deo ac virtutibus avertat.

422 Circa hæc & alia Superstitionis genera hanc observandam esse regulam arbitramur: Dum aliqua fiunt ad eos effectus habendos, ad quos neque valent naturaliter, neque ex Dei aut Ecclesiæ instituto sunt ordinata, procul dubio sunt superstitiosa, adeoque in quacumque materia peccatum mortale, ob expressum vel tacitum, quod continent, cum Dæmone commercium. Et verò impium est verbis etiam sacris, quæ ad aliquem effectum nec à Deo, nec ab Ecclesia instituta sunt plus efficaciæ attribuere, quàm ipsismet Sacramentis; in hoc tamen errore versantur, qui se per certa verba morbos sanare putant: Sacramenta enim non prosunt ponentibus obicem; eæ verò superstitiones, à quocumque, etiam impiissimo, observentur, infallibilem effectum habent, ut ajunt, incendia extinguunt, morbos fugant, &c.

Attamen arbitrantur Theologi, rusticos, mulierculas, personas simplices aliquando excusari per bonam fidem, inadvertentiam, & similia.

Nec condemnandi sunt, qui proferunt verba Scripturæ, v. g. aut gestant Reliquias, vel recitant quasdam preces, quæ nec falsum, nec vanum continent, ad obtinendum aliquid à Deo, si saluti eorum expedire judicaverit, non tribuendo illis vim certam & absolutè infallibilem: hoc enim pium ac bonum est, modò nullâ vanâ circumstantiâ contaminetur pium istud exercitium.

§. IV.

De Magia. 423

Magia generatim est *ratio operandi mira, seu mirabiles quosdam & insolitos effectus*, hoc est, qui habent causam latentem sed creatam, ac proindè quæ non superant naturales hominis vel Angeli vires; & in eo mira distinguuntur à miraculis, quòd miraculum causa sit supernaturalis, nec alia possit agnosci, quàm Deus, qui solus potest movere creaturas supra earum vires ad producendum quemcumque voluerit effectum. Mira verò procedant ex naturali creaturæ virtute, sed occulta, & à sapientioribus duntaxat cognita, & idcirco idiotæ plura mirantur, quàm Philosophi, qui apud Persas dicuntur Magi; *Magia* quippe est nomen Persicum, quod idem est ac *Sapientia*, seu *Philosophia:* quo sensu dicitur Matth. 2. *Ecce Magi ab Oriente venerunt*, id est sapientes, seu Astrologi. In Scripturis tamen *Magus* frequentiùs significat eum, qui arte diabolica utitur, Levit. 19. v. 31. *Non declinetis ad Magos.* Act. 8. v. 9. de Simone dicitur: *Qui fuerat in civitate Magus, seducens gentem Samariæ.*

Igitur

424 Igitur Magia duplex est, ***naturalis*** scilicet & *superstitiosa*. Magia naturalis est *ratio operandi mira per causas naturales occultas industriâ humanâ absque Dæmonis opera*. Quando causæ illæ latentes arte quadam, putà medicâ, mathematicâ deprehenduntur, est Magia artificialis, licita, & nulli periculo obnoxia; periti siquidem in hac arte certi sunt dæmonem in suis operationibus non admisceri. Si autem causa operantem lateat, nec possit etiam à peritioribus sufficienter explicari, ut de pulveris sympatici effectibus narrant (*l*), periculosima est illa Magia naturalis, valdeque timendum, ne mirabiles illi effectus in tacita diaboli pacta & conventa potiùs, quàm in occultam naturæ virtutem referendi sint.

Magia superstitiosa est *ratio operandi mira ope Dæmonis, sive expressè invocetur, sive implicitè tantum;* ut cùm quis ad aliquid faciendum utitur rebus & mediis, quæ nullam cum effectu proportionem habent, & naturæ legibus repugnant, ut cùm hîc pungitur figura, & alibi homo sentit dolorem; cùm quis brevissimo tempore in locum valdè remotum transfertur, &c. Est species vanæ observantiæ.

Dicitur 1mo. *Ratio operandi*, ut distinguatur à Divinatione, quæ est *ratio cognoscendi*.

2do. *Mira*, non miracula; namque vera miracula ex dictis sunt opera omnipotentiæ divinæ solius, quæ naturæ legibus non constringitur sicut causæ secundæ, alioqui fidem nostram inefficaciter probarent. Ergo magica arte non potest mortuus resurgere, eadem numerò persona in duobus locis distantibus simul præsens constitui, forma humani corporis in bestialem mutari; quia in natura nulla seminalis virtus inest ad ista patranda. Quòd si talia aliquando videantur fieri, præstigiæ sunt & deceptiones. Utrum autem Dæmones in corpore assumpto generare possint, ut visum est nonnullis è veteribus, controvertitur inter Philosophos. Certum est, quòd id non possit, nisi mediante semine humano aliundè adducto, & conservante nativum calorem, ab ipsis fieri.

Dicitur 3tio. *Ope dæmonis, &c.* Quo Magia superstitiosa à naturali distinguitur.

Porro tribus potissimùm indiciis colligitur, Magiam esse superstitiosam & diabolicam. 1mo. Si opera excedant vim naturæ. 2do. Si ea adhibeantur, quæ per se nullam habere possunt efficaciam ad effectum ponendum, ut characteres, certæ figuræ, verba ignota, falsa, absurda, non cohærentia, vel etiam sacra, tanquam per se efficacia, &, ut loquuntur, ex opere operatò. Sicut enim venefici poculum lethiferum condiunt mellitis liquoribus; sic dæmon, ex Tertulliano, venenum erroris & impietatis rebus sacratioribus admiscere solet 425

(*l*) Ajunt quidem hos effectus per effluvia substantialia è pulvere sympatico erumpentia atque per aërem ad corpus illud, in quo eos producunt, transeuntia fieri. Sed cùm effluvia illa sint minutissima & insenbilia corpuscula, vix concipi potest, imò ne vix quidem, quî quandoque etiam ad corpora ab ipso pulvere sympatico pluribus leucis distantia & dissita sine ullo obice deferri possint, ita quidem, ut ab aliis interpositis corporibus nullatenùs impediantur, repellantur, aut saltem aliò divertantur. Sed posset hic dici, hæc eadem ratione fieri, qua, prout est Philosophorum communis sententia, profluvia magnetica ab uno mundi polo egressa ad magnetem in superficie terræ positam deferuntur & ab illa, seu aliunde in alterum mundi polum demigrant.

solet. 3tio. Si ad efficaciam operis requirantur circumstantiæ vanæ & superfluæ, v. g. quòd fieri debeat tali die, horâ, numerô, à masculo inter fratres ordine nativitatis septimo, &c.

426 Magia, quemadmodùm & Divinatio, quævisque vana observantia, est semper de se mortale peccatum, ob commercium cum Dæmone; à quo sola ignorantia invincibilis excusat, qualis certè non est in rudibus, qui moniti ab iis non abstinent, vel qui in dubio ea exercent. Undè Deut. 18. dicitur: *Cave, ne imitari velis abominationes illarum gentium. Nec inveniatur in te... qui Ariolos sciscitetur & observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos.*

Imò aliquando Magia est multiplex peccatum: undè Confessarii Magos interrogare debent: an non dæmoni sacrificia aut preces fuderint, quod est idololatria; an non Deo aut Sanctis renuntiaverint, quod est Apostasia; an non in Deum aut Christi humanitatem convitia pronuntiaverint, aut Sacramentis, præsertim Eucharistiâ indignè abusi sint, quod est blasphemia, & Sacrilegium, &c.

Nec obstat, quòd quis testificetur, se renuntirae omni pacto cum dæmone. Quia renuntiatio facto contraria non excusat, sed est mera illusio: sed qui testificatur se omni pacto renuntiare, re ipsa facit contra testificationem suam, cùm mediis vanis & inutilibus utitur; quia media hæc nonnisi ex dæmonis operatione ea, quæ expectantur, producere possunt. Hinc cap. c. *de Sortileg.* præcipit Alexander III. ut Sacerdos, qui *non ea intentione, ut vocaret dæmonium, sed ut inspectione astrolabii furtum cujusdam Ecclesiæ posset recuperari*, furem detegere voluerat, ab Altaris ministerio per annum suspendatur, quòd gravissimè peccasset.

§. V.

De Maleficio.

427 Maleficium est *ratio operandi mira & noxia ope dæmonis*; seu est *superstitio, qua quis ope dæmonis nocet alteri vel in se, vel in suis.* Est etiam species vanæ observantiæ nec à Magia differt, nisi quòd hæc exerceatur vel ad ostentationem, vel comodum proprium aut alienum, atque simpliciter Magia nuncupetur; Maleficium verò ad nocendum aliis fiat, triplicemque malitiam contineat mortalem, scilicet contra Religionem, Charitatem & Justitiam.

Maleficium duplex est, *Amatorium*, 428 seu *Philtrum*, quo flectuntur homines ad amorem venereum, non quasi dæmon voluntatem cogat: undè qui tentationibus ab eo per philtra inductis consentiunt, mortaliter peccant; quia ex quamvis importunæ per Dei gratiam vinci possunt; sed quia spiritus immundus humores commovet, & phantasiam concutit, adeoque exponit ruinæ, nisi ad orationem, jejunium, & Sacramenta recurratur. Et *Veneficium*, quo mors, morbi, dolores inferuntur; quò referri potest maleficium tùm circa copulam carnalem, tùm circa infantes etiam baptizatos, quibus nocent striges & lamiæ, ut putat S. Augustinus lib. 3. de Civ. Dei cap. 14.

Utrumque Maleficii genus est grave peccatum, ut jam dictum, ac præter commercium cum diabolo sæpè annexam habet hæresim, apostasiam, Sacrilegium, &c. Unde Magi, Malefici, & alii id genus nunquam absolvendi sunt, nisi omnem cum dæmone societa-

dietatem abjurent, artis magicæ instrumenta, libros, schedas comburant, illata proximo damna reparent. Si tamen dæmoni chirographum dederint, necesse non est, ut illud repetant, sed satis est, si pœnitentiæ lacrymis ipsum delere moliantur.

429 Porro Maleficium tollere licet 1mo. Remediis naturalibus, quæ petuntur ex herbis & pharmacis Medicorum; imò hæc remedia ab initio tentari convenit, ne quod naturæ opus est, dæmonis opus esse temerè credatur. 2do. Remediis supernaturalibus, ut sunt oratio, jejunia, confessio, Eucharistiæ susceptio, aquæ benedictæ usus, Reliquiæ Sanctorum, frequens nominis Jesu, & B. Virginis invocatio, signum Crucis, cujus magna est vis contra omnes Sathanæ laqueos. Olim usus fuit, ut deferretur è collo suspensum initium Evangelii secundùm Joannem, ut notat S. Hieronymus in v. 5. c. 23. S. Matth. In his tamen vitanda superstitio, & effectus omnis divinæ voluntati committendus. 3tio. Remediis moralibus, quo nomine intelligimus ea, quibus dissolvi potest pactum, per quod dæmon homini nocet, quod fit amovendo, aut destruendo signa magica, ad quorum præsentiam diabolus nocumentum infert, dummodò hæc remedia nullam maleficii rationem habeant; nam solvere maleficium per aliud maleficium nullatenùs licet, nec proinde petere à maleficio etiam parato, ut maleficium per aliud maleficium tollat. Ratio est; quia non licet ab alio petere id, quod ab eo nullatenus fieri potest; hoc enim est consentire rei intrinsecè malæ, quod nunquam licet ex Apostolo Rom. 1. ubi digni dicuntur morte non solùm qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Atqui maleficium per aliud maleficium destrui benè & licitè non potest, quia posterius maleficium, æquè ac prius, includit expressam vel tacitam dæmonis invocationem, quæ nunquam usurpari potest. Ergo licèt destructio maleficii sit aliquid in se bonum, prout tamen fit per commercium cum dæmone, est aliquid pessimum.

At licitum est petere à malefico ut tollat maleficium modô licitô; quia per se licitum est ab eo petere, ut injustè nocere desinat, cùm ad id teneatur: Et hoc etiamsi à Dæmone modum illum licitum accepisset; quia eo uti malum non est. Sic si diabolus ipse thesaurum absconditum indicasset, liceret eum quærere, cùm non videatur illicitum uti scientiâ à dæmone acceptâ, quæ in se nihil mali habet, modò sine recursu ad dæmonem exerceri possit. Imò etiamsi petens probabiliter credat aut etiam moraliter certus sit, maleficium à Mago illicitô potiùs, quàm licitô modô, destructum iri; quia tunc peto rem, quam petendi jus habeo, & quæ ab alio licitè præstari potest. Unde non magis pecco, quàm cùm juramentum peto à Gentili, quem nonnisi per idola sua juraturum certò scio; & mutuum ab Usurario, quem nonnisi sub usuris illud mihi daturum novi. Et verò tametsi ex charitate teneamur proximi peccatum vitare, hoc ex malitia solùm operantis provenit; & aliàs nobis grave damnum salutis ex tali maleficio imminet. Atqui in præsenti casu grave nobis imminet etiam salutis damnum, quot enim peccatis sunt expositi, qui v. g. matrimonium consummare nequeunt maleficiô præpediti, &c. Aliundè verò quòd maleficus maleficium peccando solvat, ex ejus solùm malitia provenit; cùm supponamus eum posse viâ licitâ maleficium solvere. 430

Aliud est, si scimus maleficum nullũ licitum destruendi maleficii modum cognoscere; vel etiam dubitamus, num talem licitum modum noverit; tunc enim non

non possumus sine peccato maleficii dissolutionem ab ipso petere, ex ratione hîc superiùs allata.

SECTIO II.

431 ### *De Irreligiositate.*

Irreligiositas est *peccatum, quo Deus in se, vel in rebus aut personis sacris inhonoratur.* Quinque sunt illius species, scilicet Blasphemia, Tentatio Dei, Sacrilegium, Perjurium, & Simonia. Quas singulis paragraphis expendimus.

§. I.

432 ### *De Blasphemia.*

Blasphemia nomen græcum idem significat ac nocens dictum seu maledictum, & definitur *Locutio contumeliosa in Deum.*

Dicitur 1mo. *Locutio* sive externa & oris, sive interna & animi, ut cùm *dixit insipiens in corde suo, non est Deus,* Psal. 13. ut distinguatur a contumelia, quæ factis irrogatur, qualis fuit Christi consputatio, flagellatio, &c.

Dicitur 2o. *Contumeliosa;* quia fit contra Deum, in quem, utpotè ubique præsentem omnis maledictio vera est contumelia; & sic distinguitur à detractione, quæ est maledictio personæ absentis.

Dicitur 3tio. *In Deum. Jam enim vulgò,* ait S. Augustinus de moribus Manichæorum cap. 12. *Blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere;* de Deo, inquam, vel in se, vel in creaturis quatenùs Dei sunt, & in eis relucet divina sanctitas, potentia, &c. Quòd si creaturæ absolutè & in se sumantur, maledictum in eas prolatum non est blasphemia nisi latè sumpta: quo sensu dicit Apostolus ad Titum cap. 2. *Admone illos . . . neminem blasphemare.*

Blasphemia dividitur 1mo. in inter- 433
nam & externam. 2do. In eam, quæ est contra Deum, & eàm quæ est contra ejus creaturas, quatenus ejus sunt, putà contra Sanctos, &c. De quibus primùm dictum est. 3tio. Præcipuè in hæreticalem, imprecativam, & merè dehonestativam. Hæreticalis est ea, quæ aliquid falsum de Deo pronuntiat, aut ei attribuendo, quod ei non convenit; ut si dicatur tyrannus, crudelis, injustus, &c. Item O miserum Deum! aut de eo negando, quod ei convenit; ut si dicatur non esse omnipotens, bonus, misericors, non curare nostra, non prospicere rebus humanis, non omnia ab eo esse benè ordinata, Dæmonem esse Deo meliorem, &c. Aut tribuendo creaturæ quod Deo proprium est, ut si dicatur Dæmon aliquid creasse, vel mundum regere, &c. Hæc blasphemia dicitur *hæreticalis*, quia conjunctum exprimit errorem doctrinæ Catholicæ repugnantem.

Igitur Hæreticalis est hæc Blasphemia, *Denego Deum, Christum;* quia denegatur Deo existentia aut dominium; & ista, *Denego Evangelia;* quia denegatur Deo veritas infallibilis. Item si dicas: *Denego Deum, si hoc ita non est;* quia negare Deum etiam sub conditione cujusvis Objecti, est negare quod Deo proprium est, scilicet existentiam à quolibet Objecto creato independentem. Si tamen non crederetur error per blasphemiam expressus, tunc non committeretur hæresis, sed grave duntaxat peccatum contra externam Fidei confessionem, & aliud contra Dei honorem.

Blasphemia imprecativa est ea, qua 434
quis Deo malum imprecatur, ut *pereat Deus, sit maledictus.* Hæc odium Dei con-

continet, atque in damnatis frequens est, & in desperabundis.

Merè dehonestativa est ea, qua enuntiatur aliquid existens in Deo, sed indecenter & per modum contumeliæ ac contemptûs. Talis hæc Juliani Apostatæ blasphemia fuit: *Vicisti Galilæe.* Talis etiam est eorum, qui indignabundi nominant Christi caput, viscera, &c.

335 Rursùs Blasphemia alia dicitur in Patrem, alia in Filium, alia in Spiritum Sanctum, secundùm perfectiones, quæ licèt communes sint toti Trinitati, cuilibet tamen Personæ appropriantur, ut potentia Patri, Sapientia & scientia Filio, bonitas & charitas Spiritui sancto. Hinc Blasphemia, quæ ex infirmitate potiùs, quàm ex malitia procedit, dicitur esse in Patrem: quæ ex ignorantia in Filium: quæ ex malitia in Spiritum sanctum; & hæc in iis præsertim reperitur, qui manifesta Dei opera diabolo attribuunt, ut olim Pharisæi.

336 Ad Blasphemiam revocantur alia signa contra Deum, licèt non adsint verba, ut in Cœlum spuere, infrendere dentibus, &c. Item vituperia & verba contumeliosa tùm contra res sacras, cùm ad Deum, utpotè eorum auctorem, redundent; tùm contra Sanctos, quia, ut ait S. Thomas q. 13. a. 1. sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantùm laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit; ita & Blasphemia, quæ fit in Sanctos, redundat in Deum, qui in iis elucet; & ad hoc sufficit virtualis habitudo ad Deum. Quare cap. 2. *de Maledict.* graviter punitur, *qui contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maximè B. Virginem, linguam in Blasphemiam publicè relaxare præsumpserit.*

337 Imo Blasphemia est, maledicere Creaturis irrationabilibus, quatenus sunt creaturæ Dei vel ejus instrumenta ut tempestati: nam sub hac ratione iis maledicere, est Creatori maledicere, ait S. Thom. q. 76. a. 2. Blasphemia tamen immediatè in Deum prolata gravior est, quàm quæ in Sanctos, & hæc gravior eâ, quæ in Creaturas cæteras profertur.

338 Omnis Blasphemia in quacumque materia est peccatum mortale; quia quælibet Dei contumelia vel maledictio, utpotè Dei majestatem positivè deprimens, gravem Deo injuriam infert. Hinc ea Lex Levit. 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Et Psal. 36. *Maledicentes ei disperibunt.* Ergo *nihil horribilius Blasphemiâ, quæ ponit in excelsum os suum,* inquit Sanct. Hieronymus *in Isai. cap.* 18. (*m*). Ad hoc autem non requiritur formalis intentio Deum inhonorandi, sed sufficit virtualis, cùm quis v. g. ex ira aut indignatione, imò etiam ex joco ea profert, quæ ex communi intelli-

(*m*) In nova lege graves quoque pœnæ in blasphemos decernuntur, tùm ab Ecclesiastica tùm à sæculari potestate Cap. *Statuimus* tit de *Maledict.* sic habetur: *Septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto dum aguntur Missarum solemnia blasphemus existens, in ultimo illorum die Dominico, pallium & calceamenta non habeat: ligatus corrigiâ ad collum: septemque præcedentibus feriis sextis in pane jejunet & aqua, Ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet quoque prædictorum dierum, tres, si poterit, reficiat pauperes. . . cui etiam, si renuerit recipere, aut peragere pœnitentiam suprà dictam, Ecclesia interdicatur ingressus, & in obitu Ecclesiasticâ careat sepulturâ.* Leges quoque civiles graviter animadvertunt in blasphemos, aliquando usque ad pœnam capitis, utpotè Reipublicæ Christianæ plurimùm noxios.

telligendi modo, aut ex circumstantiis Dei inhonorationem continent.

Ex his intelliget Confessarius, quid inquirere debeat ab iis, qui se reos blasphemiæ accusant. Quæret imprimis, quam blasphemiam protulerint; quia rudiores juramentum cum blasphemia confundere solent, ità ut dicant se blasphemasse, cùm simplex protulerint juramentum. Deinde examinabit, qualis fuerit illa blasphemia, an hæreticalis & sensu hæretico prolata, an imprecativa, ut aliquando contingit in altercatoribus, an dehonestativa duntaxat; circa quam etiam inquiret, an ex Dei odio prodierit, aut saltem ex tædio, vel indignatione contra divinam providentiam, in quo casu est vera blasphemia: si ex inadvertentia prolata sit, blasphemia non est, ex S. Thoma, q. 13. a. 2 ad 3. Non tamen à mortali excusabit eos, qui quidem sine pravo affectu in Deum, sed in jurgio duntaxat, Christi mortem, caput, aut sanguinem appellant; quia hæc vix dici possunt sine Dei contemptu, vix audiri sine scandalo & piarum aurium offensione. Unde Pœnitentiale Romanum sic jurantes gravi pœnæ subjicit his verbis: *Si jurasti per capillum Dei, aut caput ejus, vel alio modo blasphemiâ usus fueris; si semel nesciens fecisti, septem dies in pane & aqua pœniteas.*

439 Superest dicendum de iis, qui quidem nec jurant, nec blasphemant, sed nomina Dei & Jesu, ac Sanctorum singulis ferè verbis appellant, & ex quadam animi levitate, nonnunquam etiam ex impatientia, si quid novi aut inopinati occurrat, statim exclamant, *Jesu; Deus bone!* quod expressè prohibetur Eccli. 23. *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis; quoniam non eris immunis ab eis;* hoc est, propter irreverentem horum nominum appellationem non eris immunis à peccato. Enimverò, cùm nomen Dei sit res sacratissima & omnem sanctitatem exuperans, assumi non debet sine summa pietate & reverentia. *In nomine Jesu*, inquit Apostolus Philipp. 2. *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.* Peccant ergo, qui sanctissimum & terribile illud nomen sine ullo religionis sensu usurpant, illudque frustrà intexunt in confabulationibus suis tanquam aliquid commune & merè profanum (*n*).

§. II.

De Tentatione Dei. 440

Tentationis nomen hîc non sumitur pro inductione ad peccatum, ut quando dicimur tentari, id est, ad peccatum induci à mundo, carne, & diabolo, & de qua Jacobus cap. 1. ait: *Deus neminem tentat:* sed prout circa experimentum aliquod capiendum versatur.

Igitur Tentatio Dei definitur *dictum vel factum vel omissio ad capiendum experimentum divinæ alicujus perfectionis, ut potentiæ, bonitatis, &c. per extraordinarium effectum à Deo temerè expectatum.* Atqui id fieri potest dupliciter, 1mo. expressè, ut fecit Monachus ille, de quo loquitur Cassianus Collat. 2. qui se in puteum projecit, ratus sibi adfuturos Angelos, qui eum in manibus portarent; quò etiam pertinent probationes, quæ olim fiebant candenti ferrô, aut aqua fervente, vel duel-

(*n*) Assidua etiam nominatio Dæmonis licèt sine imprecatione, sed per modum loquendi, cùm Christianum non deceat, omninò vitanda est: & ratione scandali potest esse grave peccatum.

duellô (o). 2do. Implicitè, cùm quis ad obtinendum finem ordinariis mediis non utitur: sic Deum tentant, qui remediis uti nolunt ad sanitatem, cibô & potu ad vitæ conservationem, qui sine ullo studio volunt docere aut concionari, &c.

441 Tentatio Dei est grave peccatum, 1mo. Quia prohibetur Deut. 6. & Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* 2do. Quia magna censetur irreverentia, quòd vilis creatura præsumat Deum leges providentiæ suæ ad nutum illius immutaturum, ac miracula operaturum. Fieri tamen potest, ut tentatio non sit nisi veniale peccatum, ut si quis nec intendat, nec advertat seu cogitet actionem suam ad Dei tentationem pertinere. Imò contingere potest, ut Deus sine peccato tentetur, ut cùm Genes. 15. Abraham ajebat ad Deum: *Domine Deus meus, undè scire possum, quod possessurus sim* terram Chanaan? Et cùm necessitas urget, nec aliud suppetit medium; modò id fiat cum summa humilitate, resque tota divinæ voluntati permittatur, exemplô trium juvenum Daniel. 3. vers. 17. & Discipulorum Christi, Act. 4. vers. 3. nec sine causa ac sine vivido Spiritus sancti impulsu miracula à Deo petantur.

442 Tentatio Dei quandoque adjunctam habet infidelitatem, ut siquis dubitans de aliqua Dei perfectione, vel providentia, eam miraculô experiri cupiat. Quandoque est etiam contra Charitatem propriam, ut si conjuncta sit cum periculo vitæ, aut gravis læsionis.

§. III.

443 ### *De Sacrilegio.*

Sacrilegium est *violatio, seu indigna tractatio rei sacræ*, hoc est, rei Deo dicatæ, seu ad Dei cultum specialiter destinatæ.

Violatur autem res Sacra, cùm aliquid fit, quod peculiariter sanctitati illius, vel reverentiæ illi debitæ seu Deo in illa debitæ repugnat: sive violatio rei Sacræ est qualibet irreverentia in illam.

Cùm triplicis generis sit res Sacra, 444 scilicet persona, locus, & res aliæ, hinc etiam tres Sacrilegii species numerantur, nimirùm personale, locale, & reale.

Sacrilegium personale est, quo indignè tractatur persona Sacra, ut Clericus, vel Religiosus: quod fit quatuor modis: 1mo. eos injustè percutiendo, aut quamlibet aliam actionem violentam ac contumeliosam in eos injustè exercendo, contra privilegium Canonis *Si quis suadente*. atque manus violentas suadente diabolo in illum injiciendo; Si v. g. vestis ejus, aut pileus cum magna ejus dejectione & contumelia detrahatur; si conspuatur, pulvere conspergatur, injustè detineatur cum magno ejus dedecore. In his & similibus casibus excommunicatio incurritur, nisi materiæ levitas excuset à peccato mortali, ut contingit in pueris Clericali tonsurâ initiatis, qui non censentur gravi contumeliâ se afficere, dum in rixa se propellunt, aut pugnô se percutiunt. 2do. Eos subjiciendo Tribunali sæculari, vel eos ad illud provocando contra privilegium fori. 3tio. Imponendo eis tributa, vel onera publica sine legitima auctoritate contra immunitatem Ecclesiasticam, nam hæc privilegia eis concessa sunt intuitu Religionis. 4to. Omne peccatum contra castitatem à Religiosis vel Clericis Sacro Ordine insignitis commissum est Sacrilegium: quia per votum corpus suum & animam specialiter Deo consecrârunt quoad fugam omnis actûs

(o) Damnantur hæ probationes cap. *Mennam* 2. q. 5. & cap. ult. *de Purgat. Vulgar.*

actûs venerei. Hoc etiam incurrunt alii, qui cum ipsis peccant, cùm ei cooperentur. Item cujuslibet voti violatio est Sacrilegium; nam eo ipso quòd res per votum Deo dicata sit, jam est jure divino ad Dei cultum destinata, ideoque Sacra.

445 Sacrilegium locale est *violatio loci Sacri*, ut Templi, & Cœmeterii. Qualis est omnis actio irreverentiam loci includens, aut specialem habens cum sanctitate loci vel cultu divino repugnantiam sive ex natura sua, sive ex prohibitione Ecclesiæ; ut 1mo. Effractio, spoliatio, incensio Ecclesiæ, eversio Altaris, cap. 22. *de sent. excom.* 2do. Homicidium, effusio illicita sanguinis aut seminis humani, sepultura excommunicati non tolerati, aut non baptizati; nam his polluitur locus sacer. 3tio. Usus profanus Ecclesiæ tanquam vulgaris loci, ut si in ea fiant negotiationes, exercitium judiciorum sæcularium, seditio, conclamatio, vana & profana colloquia, confabulationes quælibet tempore divini officii, vel quævis alia quæ cultum divinum turbare aut impedire possunt, aut oculos divinæ Majestatis offendere, cap. *Decet.* de immunit. in 6. ex Concilio Lateranensi II. à quo hæc omnia prohibentur. 4to. Extractio violenta rei seu delinquentium in casibus prohibitis è loco Sacro, ubi Lex asyli viget; conversio materialium Ecclesiæ dirutæ in usus profanos. 5to. Convitia fusa in loco Sacro, cap. 4. Dist. 42. 6to. Furtum sive rei Sacræ, sive profanæ in loco Sacro, quamvis ibi non depositæ, ut occulta crumenæ abscissio, &c. ex cap. *Quisquis.* 17. q. 4. ubi Joannes VIII. ait: *Sacrilegium committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, sive Sacrum de non Sacro.* Ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; sed generaliter & indistinctè accipiendum est, quod Lex generaliter dicit. Et ad reverentiam Ecclesiæ pertinet, ut res omnes in ea positæ à furtis & injuriis sint liberæ.

Sacrilegium reale est *violatio seu indigna tractatio rei Sacræ distinctæ à persona & loco.* 446 Res autem illæ dicuntur Sacræ, quæ vel sanctitatem producunt, ut Sacramenta: vel quæ Sacra significant, ut verba Scripturæ: vel quæ Sacra repræsentant, ut Imagines Christi & Sanctorum, item Cæremoniæ Sacræ: vel quæ sunt particulæ, aut res Sanctorum, ut Reliquiæ: vel quæ ad cultum Dei, & ejus Ministrorum sustentationem, ususque pios sunt consecrata seu destinata, ut Vasa Sacra, Ornamenta; item bona temporalia Ecclesiæ, c. 4. & seq. 17. q. 4. & Cap. *Nulli* 12. q. 2. Et ex Concilio Lateranensi Generali II. Can. 10. & aliis.

Porro Res Sacra dupliciter violatur, 447 adeoque circa eam Sacrilegium dupliciter committitur, 1mo. positivè, cum scilicet re ipsa indignè tractatur. 2do. negativè, cùm eâ curâ, qua decet non custoditur, ut si Vasa Sacra, Pallæ, Corporalia præsertim, non teneantur satis munda; si permittantur species in pixide corrumpi; si Eucharistia sub clavi non asservetur, ex cap. 1. & 2. *de Custod. Euchar. &c.*

Cùm autem in iis rebus diversæ sint habitudines ad Sanctitatem, seu diversa sit ratio sanctitatis; ideò diversas constituunt species rerumSacrarum,& sic earum violationes sunt Sacrilegia diversæ speciei.

Ad hanc tertiam Sacrilegii speciem 448 quidam Theologi revocant violationem seu profanationem temporis Deo dicati, quale sunt dies Dominici ac Festi, eò quòd sint mensura actionum Sacrarum, & ad illas destinati. At alii putant violationem diei Festi non esse propriè Sacrilegium, sed Irreligiositatem quandam; quia, inquiunt, non propter tempus præcisè certæ actiones præcipiuntur,aut prohibentur die festo, sed propter mysterium, quod gratâ memoriâ die illo recolitur; cùm contrà nonnulla prohibeantur in loco Sacro, directè ob loci venerationem.

Igitur

449 Igitur ex dictis, Sacrilegium reale est indigna administratio vel susceptio Sacramaentorum; profanatio Reliquiarum, Imaginum, Vasorum Sacrorum, ut si quis utatur Calice ad potandum, Ornamenta sacra ad usus profanos adhibeat; abusio Verborum S. Scripturæ non solùm ad errores confirmandos, sed etiam ad res profanas: Undè Concilium Tridentinum Sess. 4. Verbi Dei violatores appellat, jubetque puniri, eos, qui verba & sententias S. Scripturæ ad profana quæque convertunt, & torquent ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detrationes, &c. Item invasio bonorum sive mobilium sive immobilium, & jurium Ecclesiæ, suppressio piorum legatorum, defraudatio decimarum, &c. Nam hæc ad Dei cultum data sunt.

450 Sacrilegium est peccatum ex genere suo mortale 1mo. Quia Deum inhonorat in rebus sacris, quæ cùm ejus cultui consecratæ sint, violari non possunt quin ipse Deus contemni censeatur. 2do. Quia graves pœnæ ab Ecclesia contra Sacrilegos decernuntur, ut excommunicatio contra percussores Clericorum; contra eos, qui infringunt & spoliant Ecclesias, aut eas incendunt, cap. 19. & 22. *De sent. excomm.* 3tio. Quia ratio ipsa dictat Sancta sanctè & reverenter esse tractanda: est autem tantò gravius crimen, cæteris paribus, quantò res, quæ violatur, est sanctior & sacratior.

Potest tamen Sacrilegium non esse nisi veniale peccatum, tùm propter inadvertentiam, tùm propter tenuitatem materiæ, quæ non ita pugnet cum Sanctitate loci, ut si quis in transitu perEcclesiam vendat aliquid aut emat sine mora in paciscendo, aut unum assem surripiat in Ecclesia. Qui in Cœmeterio mercatus & nundinas exercent, non sunt immunes à peccato, nisi magna necessitas quædam ad id in talibus locis faciendum impellat.

Porrò cùm Sacrilegium novam speciem peccati constituat ratione specialis deformitatis oppositæ Religioni, debet semper exprimi in Confessione. Hinc circumstantiæ personæ sacræ in luxuria, loci sacri in furto, &c. declaranda est; nam utrumque continet duplicem malitiam specie diversam, unam contra Religionem, alteram contra Castitatem vel justitiam. Imò quia omnia Sacrilegia non sunt ejusdem speciei infimæ, nec gravitatis; atque Sanctitas, quæ per Sacrilegium violatur non sit ejusdem naturæ, quia aliter persona Deo dicata sancta est, aliter locus Deo consecratus, debent quoque pœnitentes exprimere, quo in genere & qua in re Sacrilegium commiserint. 451

Denique ex hactenùs de Sacrilegio discussis & expensis non obscure colligitur, omnia peccata saltem externa in Ecclesia commissa, non modò ea, quæ specialiter ab eadem prohibita sunt in loco sacro, quales sunt actus suprà recensiti, sed etiam quæcumque alia indè malitiam sacrilegii contrahere: quia repugnant Sanctitati loci Deo consecrati, & propriæ ejus institutioni, quæ est, ut Deus in eo piè colatur: nam per se & ex natura rei indecentiam & irreverentiam arguit, ut locus orationi & cultui divino dicatus convertatur in locum peccati & offensionis Dei. Enimverò si actus profanus de se & alibi licitus, ut venditio Columbarum ad usum Templi violat Sanctitatem loci, & ideo Matth. 21. prohibetur à Christo, qui ejiciebat omnes vendentes & ementes in Templo, quia Templum est *Domus orationis*, hoc est, solis piis actionibus destinatum: a fortiori actus per se malus factus in loco sacro Sacrilegium est. Deinde à Concilio Generali Lugdunensi cap. *Decet.* prohiben- 452

hibentur in Ecclesia quæcumque possunt oculos divinæ Majestatis offendere.

Diximus *saltem externa.* Multi enim id negant de actibus seu peccatis merè internis: quia, inquiunt, actus seu peccatum merè internum nullam habet relationem ad locum sacrum utpotè sensibilem, nec proindè repugnat ejus Sanctitati ac reverentiæ. Verùm hæc ratio non ità solida videtur, ut omnes eâ convinci possint.

§ IV.

De Perjurio.

453 Suprà in Tractatu de Virtute Religionis Capite 4. §. 1. Juramentum definivimus, *quòd sit invocatio Dei in testem eorum, quæ asseruntur aut promittuntur.* & §. 3. ad licitum juramentum has tres inter alias requiri conditiones, scilicet veritatem, judicium, & justitiam, quæ si defuerint, juramentum illicitum fore, & ad perjurium degenerare, diximus. Insuper, prout ex ipsa Juramenti definitione liquet, atque eodem c. 4. §. 1. adnotavimus, juramentum aliud est *assertorium*, scilicet quo interpositâ de attestatione asserimus aliquid esse vel fuisse; aliud *promissorium*, nempè quo confirmamus id, quod pollicemur, &c.

454 Unde Perjurium generatim & latè sumptum definiri potest, quòd sit *invocatio Dei in testem eorum quæ vel sine veritate vel sine justitia, vel sine judicio, vel sine bis tribus conditionibus simul sumptis asseruntur & promittuntur.*

Diximus *Generatim & latè sumptum*; nam Perjurium strictè sumptum illud solum est Juramentum, cui deest veritas. Unde definiri potest *Invocatio Dei in testem falsitatis.* Juramenta verò quibus deest judicium & justitia, nonnisi latiori sensu ut plurimùm perjuria dici possunt; prout ibidem annotavimus, necnon ex ipso perjurii nomine apertum est, quamvis & hoc sensu perjurium sumatur apud Gratianum 22. q. 2. Unde & nobis cum eo, illa sub nomine Perjurii recensere placet.

Igitur circa Perjurium sic suis conditionibus distinctum quæritur primò num si solo judicio defectuosum sit peccatum sit & quale. Porrò ex dictis in Tract. de Relig. cit. loc. Juramentum cui deest judicium illud dicitur, quod fit sine necessitate, sine prudentia Christiana, & pro re levi. Sit modò

CONCLUSIO I.

Perjurium seu Juramentum solo judicii delectu vitiosum, non est nisi veniale peccatum, modò absit contemptus, scandalumve, & periculum jurandi falsum. 455

Prob. Quod levem duntaxat irreverentiam contra Deum continet, non est peccatum lethale. Atqui tale est juramentum, cui non deest nisi judicium. Hoc enim juramentum id solùm habet vitii, quòd in eo divina auctoritas interponatur ad confirmandam rem parvi, vel nullius momenti, non verò ad confirmandam falsitatem. Atqui hæc irreverentia gravis non est. Ergo.

Diximus, modò *absit contemptus*; quia ratione contemptûs solent peccata fieri mortalia, ut in Tract. de legibus ostendimus. Idque adhuc hîc est evidentius, quia talis contemptus in ipsum Deum, per quem juratur, directè cadit; contemptus autem Dei est gravissima illius injuria, ut per se constat.

Di-

Diximus 2do. *Et Scandalum.* Gravis enim peccati rei sunt, qui quod est in Religione sacratissimum, ut Christi mortem & sanguinem, sive per iram, sive in joco pronuntiant. Item verba, quæ in Laicis non multùm arguuntur, in Religiosis & Sacerdotibus scandalum parere solent.

Dixi 3tio. *Si absit periculum jurandi falsum.* Nam lethaliter peccat, qui se conjicit in periculum lethaliter peccandi juxta illud Eccli. 3. v. 17. *Qui amat periculum in illo peribit.* Sed qui sine judicio frequenter jurat, conjicit se in periculum lethaliter peccandi, scilicet jurandi falsum.

456 Undè quisque tenetur sub mortali consuetudinem jurandi sine necessitate vitare & contractam evellere; quia hæc affert morale periculum pejerandi, ut constat experientiâ, & ex cap. 26. *de Jur. jur. Ex frequenti & incauta juratione perjurium sæpè contingit.* Et ex S. Augustino Epist. 89. *Jurandi consuetudine & in perjurium sæpè caditur, & semper perjurio propinquatur.* Idem docent S. Chrysostomus, S. Isidorus, &c. Ratio est, quia hæc consuetudo propter nimiam facilitatem & proclivitatem ex ea contractam constituit hominem in periculo morali jurandi leviter ac temerè, ideoque sine consideratione sufficienti ad judicium prudens ac certum de veritate, & consequenter in periculo jurandi falsum. At quisque tenetur sub mortali vitare ac tollere periculum morale peccandi mortaliter; nam, ut suprà ex Eccli 3. dictum, *qui amat periculum peribit in illo.* Et quisque tenetur graviter velle efficaciter vitare peccatum mortale. Ergo &c. Hinc illud Eccli. 23. *Jurationi non assuescas os tuum, multi enim casus in illa . . . vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.* Quod verum est etiam de consuetudine jurandi absque advertentia an juretur, necne; quia hæc consuetudo exponit periculo proximo incidendi in juramenta falsa, quæ, quamvis inadvertenter & sine animo jurandi prolata sint, habent tamen turpitudinem ac difformitatem objectivam, ob quam graviter disconveniunt naturæ rationali, & ratione cujus homo tenetur ea non velle, neque in se, neque in causa: quippè exteriùs sonant perjurium, & eum sensum ingerunt audientibus. Hæc autem juramenta indeliberata sunt sufficienter voluntaria ac libera in causâ, nempe in consuetudine, & in negligentia eam extirpandi. A fortiori id verum est de consuetudine jurandi advertenter & indiscriminatim sive verum sive falsum, vel jurandi inadvertenter circa rei juratæ veritatem: quia exponit proximo periculo jurandi falsum; Undè iis, qui hac prava jurandi consuetudine detinentur, negari debet absolutionis beneficium, nisi pravam consuetudinem tollere, & in dies pro virili minuere satagant.

Quæritur 2do. num Perjurium seu Juramentum, cui deest Justitia, sive quod est de re illicita & inhonesta sit grave peccatum? Sit

CONCLUSIO II. 457

Perjurium seu Juramentum, cui deest justitia, sive sit promissorium sive assertorium sæpissimè est peccatum mortale. Igitur 1mo. Qui sine animo & intentione faciendi jurat se facturum rem illicitam, etiam venialem, mortaliter peccat. Ratio est, quia strictè perjurus est, utpotè qui vocet Deum

 in

in testem falsi & mendacii. Atqui strictum perjurium est peccatum mortale, ut ex Conclusione sequenti patebit. Ergo.

458 2do. Qui jurat se rem mortaliter malam esse facturum, sive cum animo, sive sine animo ejusdem implendæ mortaliter peccat. Ratio est; quia ibi grave est peccatum, ubi gravis est irreverentia, & talis Dei contemptus, ut vix major fingi possit. Atqui tale est peccatum illius, qui adducit Deum in testem voluntatis efficacis, quam habet, mortaliter peccandi. Talis enim est sicut servus, cui non satis est transgredi Domini sui mandatum, nisi insuper vocet eum in testem transgressionis suæ; sicque inobedientiæ suæ addit impudentiam & contumeliam; ac proinde omnem Dei timorem & reverentiam exuisse videtur, ut qui eò audaciæ prosilierit, ut velit Deum esse testem actionis, quàm ipse summè odit ac detestatur, necnon sub gravissimis pœnis prohibet.

459 3tio. Perjurium seu Juramentum assertorium rei mortaliter malæ, cui deest justitia est peccatum mortale. Ratio est; qui assumere nomen Dei tanquam instrumentum ad cooperandum gravi peccato, magnam in Deum irreverentiam continet, adeoque est grave peccatum. Sed qui jurat, ut illicitè asserat rem mortaliter malam à proximo peractam, assumit nomen Dei ad cooperandum gravi injustitiæ peccato, nempè ad efficiendum, ut sibi de fratre suo detrahenti plena fides habeatur. Ergo.

De his omnibus facilè conveniunt omnes Theologi; At verò an Perjurium seu Juramentum cui deest justitia, tùm promissorium, tùm assertorium de re venialiter tantùm mala, sit peccatum mortale ac veniale tantùm non conveniunt. Aliqui tuentur tale juramentum esse mortale peccatum; quia, inquiunt, qui v. g. jurat se peccatum veniale facturum cum intentione etiam & animo illud faciendi, per ipsam Dei auctoritatem vult se confirmare in proposito venialiter peccandi. Atqui qui se in tali proposito per Dei auctoritatem vult se confirmare, grave peccatum comittit (quamvis illud non tam grave sit, ac illud, quo aliquis vult se confirmare in proposito peccandi mortaliter) An non enim gravem erga Deum irreverentiam committit, qui Deum mali propositi confirmatorem & fautorem esse posse existimat? Item, qui jurat de re venialiter illicita, vi juramenti tenetur habere propositum peccandi venialiter, alioqui jurando contra veritatem peccaret mortaliter, ut suprà dictum est; Atqui gravis irreverentia est in eo, quòd divini nominis assumptio hominem cogat ad habendum peccandi propositum. Ergo, &c.

Cæteri tamen communiter velut probabile tenent, eum, qui jurat se peccatum veniale facturum, nonnisi venialiter peccare, si animum habeat promissum implendi; Quia, inquiunt, tali juramentô gravem & mortalem irreverentiam erga Deum ejusque æternam & summam veritatem & bonitatem non committunt.

Duo tamen notanda hîc volunt. 1mo. 460
Etsi hæc juramenti species non pertingat ad malitiam peccati mortalis, est tamen peccatum intra latitudinem peccati venialis valdè grave; longè enim pejus est jurare de re mala, quàm de honesta vel indifferenti sine necessitate. 2do. Juramentum hoc in mul-

multis casibus à mortali excusari non potest. Ratio est, quia proferri solet ex impotenti iræ impetu; porro homo iratus facilè judicat leve esse quod minatur, cùm re vera grave sit: deindè sæpè advertere potest, se, post sedatam iram, malum, quod minatur, non esse illaturum, & tunc strictè perjurus est. 3tio. Sæpè hæc juramenta proferri solent cum verbis quæ blasphemiam sonant: adeoque gravem irreverentiam Deo irrogant, quæ proinde nunquam sunt sine gravi peccato, juxta illud Concilii Trecensis an. 1427. *Sunt nonnulli tam Laici, quàm Ecclesiastici viri, qui Redemptorem suum turpiter inhonorantes, detestabilia in ejus blasphemiam faciunt juramenta, putà per carnem suam, per sanguinem, per mortem, per plagas, per caput, per viscera, vel aliud concernens ejus humanitatem jurantes, & ipsum Redemptorem nostrum pro nobis omnibus in cruce mortem passum crucifigunt.*

461 Quæritur 3tio. Num Juramentum assertorium, cui deest veritas, id est, perjurium propriè & strictè sumptum, semper & in omni materia, etiam levi & veniali sit peccatum mortale. Pro quo sit

CONCLUSIO III.

Juramentum assertorium cui deest veritas, hoc est, perjurium propriè & strictè sumptum, semper & in omni materia est peccatum mortale, nisi excuset inadvertentia.

462 Prob. 1mo. ex S. Augustino Serm. 180. aliàs 28. de verbis Apostoli; ubi, *Perjurium*, inquit, *peccatum esse, & grande peccatum, nemo dubitat . . . tantum mali habet juratio, ut qui lapides colunt, timeant falsum jurare per lapides: tu non times Deum præsentem, Deum viventem, Deum scientem, Deum in contemptorem vindicantem? . . . Videtis quàm ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda! Quis enim hoc fieri velit? omnes homines talia detestantur.* Certè colores, quibus hîc perjurium delineat S. Augustinus, grave & gravissimum esse peccatum manifestè demonstrant.

Prob. 2do. Ex gravissimis, quæ in perjuros sancitæ sunt, pœnis; quæ utique gravissimam esse perjurii culpam supponunt. 1mo. Causâ 6. q. 1. cap. *Infames.* perjuri incurrunt infamiam, si crimen ipsorum sit notorium notorietate juris, id est, si in foro judiciali fuerint publicè convicti & declarati; quam infamiam sequitur irregularitas & inhabilitas ad Beneficia recipienda: cæterùm sola notorietas facti magnam apud omnes probos parit infamiam, quæ sufficit, ut quis a dignitatibus excludatur, ut docent communiter Doctores. 2do. Caus. 2. 2. q. 5. c. 4. & præcedentibus; qui pejeravit aut alios sciens in perjurium induxit, *quadraginta dies* pœnitere debet *in pane & aqua, & septem sequentes annos, & nunquam esse sine pœnitentia.* 3tio. Cap. 10. & 11. *De jurejur.* Perjurus debet Beneficiò, quod jam habet, privari, & ab Ecclesiis excludi, seu nullum deinceps recipere Beneficium, & ad illud inhabilis judicari. 4to. Perjurus ne quidem post peractam pœnitentiam admittitur ad ferendum testimonium, licèt admitti possit, qui in alia cecidit crimina, si de iis pœnitentiam egerit, cap. 54. *De testibus & attestationibus. Quia ex retroactis*, inquit S. Thomas q. 89. art. 10. *præsumitur, quòd debitam reverentiam juramento non exhibebunt.* 463

464 Prob. 3tio. Ex censura hujus propositionis, quam perstrinxit Innocentius XI. *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*

Prob. 4to. Ratione. Si perjurium esset aliquando peccatum simpliciter veniale, vel maximè, cùm est in materia levi. Atqui tunc etiam est mortale: nam quod ex genere suo veniale est, imò etiam bonum, illud, si in Dei contemptum fiat, est peccatum mortale: *Undè*, sunt verba S. Thomæ q. 98. a. 2. & 3. *multò magis quidquid est, quod de sui ratione pertinet ad contemptum Dei, est peccatum mortale.* Atqui *perjurium de sui ratione importat contemptum Dei, quia per hoc datur intelligere, vel quòd Deus veritatem non cognoscat, vel quòd falsitatem testari velit.* Ergo *ille* etiam, *qui jocosè perjurat, non evitat divinam irreverentiam, sed quantùm ad aliquid magis auget*; quatenùs absque ulla causa nomen Dei prophanat, & *ideo non excusatur à peccato mortali.*

465 Diximus in Conclusione, nisi excuset *inadvertentia*, quæ sicut alia peccata, sic etiam perjurii peccatum notabiliter minuere potest, & intra venialis culpæ limites coercere, imò quandoque ab omni peccato excusare potest; si nempè sit invincibilis, qualis censetur in eo, qui jurandi consuetudinem retractavit, & de ea seriò dolet. Si autem sit leviter duntaxat culpabilis, excusat à gravi peccato, non tamen à veniali, seu, ut loquuntur, à tanto non à toto. At si crassa sit, penitusque voluntaria, qualis est in iis, qui jurandi consuetudinem non retractant, in qua advertunt, & advertere possunt se multa miscere perjuria, nullatenùs à mortali peccato excusat. Aptiora verò remedia, quibus fieri potest, ut quis ad Juramenta sua advertat, & deponat inveteratam jurandi consuetudinem, sunt ex parte jurantis, frequens confessio, eleemosyna, oratio brevis pro singulis juramentis, quæ temerè prolata fuerint. Ex parte Confessarii prudens absolutionis dilatio, &c.

Quæritur 4to. An Perjurium promissorium sit peccatum mortale. Porro tribus modis peccari potest adversùs Juramentum promissorium. 1mo. Si absit intentio jurandi, etiamsi exteriùs proferatur Juramentum. 2do. Si jurans non habeat actu intentionem implendi id, quod promittit. 3tio. Si intentionem quidem hanc habeat de facto, sed eam posteà adimplere nolit, mutata scilicet priori voluntate. Modò sit 466

CONCLUSIO IV.

Perjurium promissorium est peccatum mortale 1mo. Si absit intentio jurandi. 2do. Si absit intentio implendi id, quod juratur. Et 3tio. Si intentio illa adimplendi id, quod juratur, mutetur, nec adimpleatur saltem in re gravi.

Prob. 1ma. pars. Ibi est grave peccatum, ubi est gravis contra Deum irreverentia. Atqui gravis est contra Deum irreverentia, quòd quis Dei nomine utatur ad alios decipiendos, & Deum, saltem exteriùs, in mendacii testem adducat. Ergo & ibidem est grave peccatum. Hinc patet quàm meritò Innocentius XI. hanc reprobaverit propositionem: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* 467

Prob. 2da. pars. Peccat mortaliter, qui strictè perjurus est, & Deum vocat in testem mendacii. Sed qui jurat si- 468

ne

ne intentione adimplendi id, quod juravit, strictè perjurus est. Ergo &c. Atque id verum est non solùm si materia gravis sit, sed etiam levis fuerit, ut patet ex dictis de perjurio assertorio: quod & intelligendum est de prima parte hujus Conclusionis.

469 Pars 3tia. ab omnibus admittitur; quia utique mortaliter peccat, qui, quantùm in se est, Deum facit auctorem seu testem falsi circa materiam gravem & magni momenti.

470 Verùm an similiter mortaliter peccet, qui id non implet, quod, interpositô juramentô, promisit, si levis aut minimi duntaxat momenti id sit, nec ne; non conveniunt Doctores.

Multi asserunt ex duplici ratione. 1mo. Quia talis, quantùm in se est, facit Deum authorem & testem falsi, non secùs ac in re gravis momenti. Nam sicut Deus efficitur testis falsi, quando sub ejus testimonio asseritur ut actu existens id, quod non est actu; ita efficitur testis falsi, quando non impletur id, quod sub ejus testimonio affirmatum fuit esse aliquando implendum; quia Deus, quantùm fuit in voluntate jurantis, jam testatus est hoc esse suo tempore implendum. Ergo sicut qui jurando asserit id esse actu, quod actu non est, peccat mortaliter, etiamsi materia levis sit; ita à pari peccat mortaliter, qui non implet id, quod, quantùm in se fuit, Deus ab ipso implendum esse testatus est. 2do. Quia tunc levitas materiæ efficit, ut peccatum leve sit, quando materia est per se & immediatè Objectum peccati; sic ideò levis intemperantia, in cibo vel potu, est leve peccatum, quia cibus & potus sunt immediata temperantiæ materia, in quibus si leviter excedatur, etiam nonnisi leviter destruitur temperantia. Atqui materia promissionis non est Objectum actûs Juramenti, sed honor Dei, qui servari debet. Ergo gravitas vel levitas perjurii cujuscumque non est metienda ex quantitate materiæ, quæ promissa est, sed ex honore Dei, qui læsus fuit: jam verò honor Dei, qui sic læditur, ut Deus fiat testis falsi, quantùm est in homine, non potest nisi gravissimè lædi. Ergo in omni perjurio promissorio, quantumvis sit de re levi, non potest esse nisi grave peccatum.

Multi alii autem negant 1mo. Quia ex S. Thoma q. 89. a. 8. major est obligatio Voti, quàm Juramenti. Atqui nisi Juramentum saltem in materia levi, sine gravi peccato violari posset, major esset obligatio Juramenti quàm Voti, cùm Voti obligatio nonnunquam ad peccatum veniale decrescat, ob materiæ levitatem. Ergo fieri etiam potest, ut Juramentum sub peccato solùm veniali obliget. 2do. Juramentum de peccato veniali faciendo non est probabiliter peccatum mortale, prout communis sententia docere videtur. Ergo nec violatio Juramenti de re levis momenti facienda erit peccatum mortale; non enim est major in uno, quàm in altero irreverentia. 3tio. Quotidie contingit, ut patet juret se filium suum pœnâ aliquâ mulctaturum esse; item ex duobus qui in ingressu domûs honore se præveniunt, juret alter se non ingressurum priorem, qui tamen alterius importunitate victus prior ingreditur. Atqui vix credi potest in his esse perjurium mortale. Ergo materiæ levitas à perjurio mortali excusat. Et verò quis aureos centum debens, æstimet se, etiam post Juramentum de solvendo, mortaliter peccare, si summam hanc uno asse minorem solvat? 471

Hæc ita ex utraque parte disputantur. Nos arbitramur melius & tutius fore, si quis vel non juret, vel neminimam

nimam quidem hujus, quod juravit, partem omittat.

472 Quæritur 5to. An liceat exigere juramentum ab eo, qui prævidetur pejeraturus?

Conclusio V.

Non licet personæ privatæ etiam in Judicio exigere juramentum ab eo, qui prævidetur pejeraturus; licet tamen Judici ad instantiam partis.

473 Prob. 1ma. pars 1mo. ex S. Augustino, cujus verba referuntur 22. q. 5. cap. 5. *Scribite*, ait, in cordibus vestris quod dico. *Ille qui hominem provocat ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam; quia homicida corpus occisurus est, ille animam.* Et Serm. 180. aliàs 28. de verb. Apost. *Si scit, & cogit jurare, homicida est; ille enim suo perjurio se perimit; sed iste manum interficientis & expressit, & pressit.*

Prob. 2do. Ratione. 1mo. Non licet sine justa causa alicui offerre materiam, ex qua prævidetur, eum peccandi occasionem esse sumpturum. Sed qui Juramentum exigit, aut recipit ab eo, quem prævidet esse pejeraturum, offert ei peccandi materiam, ut satis patet; eamque offert sine causa, cùm nihil indè sit emolumenti percepturus, ut supponitur, & evidens est. Si enim exigas, ut debitor tuus juret, & prævidens eum juraturum esse nihil ab eo tibi deberi, non magis debitum tuum recuperaturus es, quàm si non jurasset. Ergo. 2do. Tenemur ex charitate impedire peccatum proximi, saltem cùm facilè possumus. Atqui tunc facilè potest impediri perjurium, cùm, ut dictum, nulla sit utilitas exigendi à tali juramentum. Nec quis habet jus illud exigendi, nisi quatenus ad debitum recuperandum conducit: sed ad hoc non conducit, cùm alter prævidetur pejeraturus. Ergo.

Porro censetur quis prævidere & scire alterum esse pejeraturum, cùm vidit hoc vel illud facientem, quod tamen paratus est jurare, à se factum non fuisse. Item si certus sit, alterum sibi debere, & hujus debiti oblitum non esse, & tamen vult alter jurare se nihil debere, vel solvisse, quod debebat. Denique si sciat eum non multi facere perjurium, aliàs pejerasse, largioris esse conscientiæ.

Prob. 2da. pars. Scilicet id licere Judici ad instantiam partis. Quia id exigit juris ordo & officium Judicis, qui debet procedere secundùm publicam scientiam, ad quam hoc juramentum inservit. Quo casu non Judex, sed is, cui jus dicere debet, censetur juramentum exigere. Hæc est ratio S. Thomæ q. 98. a. 4. ubi, *Si*, inquit, *aliquis exigat juramentum tanquam persona publica, secundùm quod exigit ordo juris ad petitionem alterius, non videtur esse in culpa, si ipse juramentum exigat, sive sciat eum falsum jurare sive verum; quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit.* 474

Hìc aliqua adhuc notanda veniunt. 475
1mo. Non esse licitum Judici in ullà causa Juramentum exigere ab utraque parte: *Hæc enim consuetudo impia est, Deo inimica, & Christianæ Religioni nimis contraria, quia sine dubio ex duobus contra se jurantibus, unus perjurus efficitur*; inquit Concilium Valentin. III. 2do. Si quis dubitet, an alter sit pejeraturus, tunc in re gravi potest ab eo exigere juramentum; quia in dubio nemo præsumitur malus, aut peccaturus; & hoc potest esse utile ad recuperandum

dum id, quod tibi debetur, nec aliter potes illud recuperare. 3tio. Aliquos esse casus, in quibus etiam privatus possit Juramentum ab eo exigere, quem prævidet pejeraturum; ut cùm id gravis exigit necessitas: putà si in aliquo contractu exactio Juramenti necessaria sit vel utilis, ut resiliens juramentô cogi possit per Judicem ad implendum id, quod promisit; si verò nulla similis causa subsit, non est exponendus quispiam periculo perjurii. Hinc meritò statutum est c. 3. *De cohabitatione Clericorum & mulierum*, ne Episcopi à Clericis exigant Juramentum de dimittendis concubinis, cùm vehemens præsumptio sit, quòd non stabunt juramentô; undè improbanda est aliquorum Confessariorum agendi ratio, qui compellunt pœnitentes ad jurandum, futurum, ut ab iis delictis, in quæ facilè labuntur, abstineant.

Nihil hîc de Juramento cum amphibologia & restrictione. Quid enim de eo sentiendum sit apertè colligi potest ex iis, quæ in Tractat. de Virtut. Moral. Cardinalibns, ubi de Virtutibus illis Virtuti Justititiæ annexis, quas partes Justitiæ potentiales nuncupant, circa mendacium disseruimus.

Solvuntur Objectiones.

476 Ob. 1mo. contra 1mam. Conclusionem. Exod. 20. v. 7. sic habetur: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.* Unde sic: Verba hæc, *Non habebit insontem Dominus &c.* gravem indicant vindictam, & consequenter gravem culpam. Sed qui sine judicio jurat, assumit nomen Domini frustrà & in vanum. Ergo.

Resp. 1mo. Dominum non habere insontem eum, qui etiam venialiter peccat; & nemo est, qui nesciat peccatum etiam veniale gravissimis in hac vita, & æternis in altera pœnis aliquando puniri: qui enim post admissum unum mortale & veniale peccatum moritur, pro utroque semper cruciabitur.

Resp. 2do. Hæc verba *in vanum*, idem esse juxta Interpretes, ac *mendaciter*: & verò nemo ambigit, quin eo loci præcipuè prohibeatur perjurium strictè sumptum.

Ob. 2do. Contra partem 1mam. Conclusionis 5tæ. Non peccat, qui malum permittit & illud non vult; quique non dat alteri nisi scandalum merè passivum. Atqui sic se habet qui petit juramentum ab eo, quem scit pejeraturum esse. Ille enim malum merè permittit, proinde nec illud vult, qui id tantùm exigit, quod alter licitè facere potest, & quod ab ipso licitè fieri peroptat: Sed qui juramentum petit à pejeraturo, id solùm petit, quod alter licitè facere potest: sicut qui mutuum petit ab Usurario, id postulat, quod alter sine usura dare potest; unde petendo non peccat, quia non tam dat occasionem peccandi, quàm eam alter malitiâ suâ & depravata voluntate arripiat. Ergo. 477

Resp. ad 1mum. neg. min. Qui enim ab eo, quem scit pejeraturum esse, juramentum exigit, est eidem gravis tentatio, & occasio proxima peccandi. Unde S. Augustinus suprà citatus *Ille* (jurans) inquit, *suô perjuriô se perimit; sed iste* (juramentum exigens) *manum interficientis & expressit & pressit*; adeoque graviter peccat.

Ad 2dum. neg. maj. Charitas enim non permittit, ut à proximo aliquid sine causa petatur, undè constituatur in

ea peccandi occasione, in qua prudenter judicatur futurum, ut succumbat. Atqui per inutilem de qua loquimur jurandi petitionem constituitur proximus in occasione peccandi, cui certissimè succumbet. Ergo.

Comparatio & paritas ex mutuo desumpta nobis favet: ut enim pecùnia mutuô accipi potest ab usurario propter certas causas, quibus sublatis, illicitum foret eam petere & accipere; sic & juramentum, ut paulò ante diximus, postulari licitè posset ab eo, qui crederetur pejeraturus, si certa adesset illud exigendi necessitas. Nullam verò privatus necessitatem habet petendi Juramentum à perjuro; quia Juramentum non exigitur nisi ad faciendam fidem, perjurium autem fidem facere non potest.

478 Ob. 3tio. Tam licet Juramentum ab eo exigere, quem probabiliter nosti pejeraturum, quàm liceat illud exigere ab eo, quem probabiliter nosti per idola juraturum. Atqui posterius licitum est, ut docet S. Augustinus (*p*) relatus in cap. *Movet.* 22. q. 1. & nos in Tract. de Relig. cap. 4. §. 3. ostendimus. Ergo & prius. Prob. maj. Ideò potes petere juramentum ab eo, quem nosti per idola juraturum, quia potest hîc & nunc non jurare per idola, sicut potest hîc & nunc usurarius gratìs mutuô dare. Atqui potest pariter hîc & nunc ille non pejerare, quem credis pejeraturum, & longè difficilius est ut Idololatra convertatur, & per Deum verum juret, quàm ut perjurus abstineat à pejerando. Ergo &c.

Resp. neg. utramque maj. Non enim ideò præcisè licitum est petere juramentum ab eo, qui per idola juraturus est, quia is potest hîc & nunc per ea non jurare, verùm quia juramentum quamvis per falsos Deos, valet ex parte jurantis ad faciendam fidem, & firmandum pactum; ac proindè potest esse medium utile ad avertendum grave damnum petentis. Licet autem ex gravi necessitate ab aliquo petere id, quod potest licitè præstare, etsi prævideatur peccaturus. At perjurium cognitum non potest prodesse privato, ut probavimus & supponimus, idcoque non est justa causa illud non impediendi. Si tamen aliquando foret necessitas aliqua, jam suprà innuimus, licitum fore juramentum exigere ab eo, qui pejeraturus est, non secùs ac ab illo, qui juraturus est per idola.

Ob. 4to. Saltem non peccabit, qui Juramentum petet ab eo, qui jam ad pejerandum dispositus est. 479

Resp. Imprimis homines voluntatem falsum jurandi concipere non solent, nisi dum actu urgentur ad jurandum; undè, qui juramentum exigunt, sunt sæpè causa totius peccati, quod alter admittit. Deinde qui petit juramentum ab eo, qui etiam paratus est ad jurandum, est saltem causa, cur externo perjurii opere nomen Dei polluatur; sicut ergo mortaliter peccat, qui parato ad adulterium, adulterii exteriùs consummandi materiam & occasionem præbet, ita & in proposito. Meritò igitur ait S. Augustinus *Serm.* 11. *Nonne meliùs erat, ut rem tuam, quam exigebas, perderes; quàm animam istius hominis falsa juratione perimeres:* & quidem inutiliter, cùm ipse pejeraturus sit?

Ob.

(*p*) Epist. 47. aliàs 154.

480 Ob. 5to. Contra 2dam. partem ejusdem Conclusionis. Ideò privatus non potest petere juramentum ab eo, quem scit, aut probabiliter judicat pejeraturum esse, quia tale Juramentum, utpotè perjurium, ad nihil inservire potest. Atqui non magis inservire potest perjurium respectu Judicis, quàm respectu cujuslibet privati, Ergo.

Resp. neg. min. Judex enim ostendere tenetur, se sententiam non temerè & leviter, sed ex legum præscripto, & servato juris ordine tulisse, ad quod requiritur, ut juramentum exigat, cùm adversa pars id juridicè petit. Ergo legitimam habet exigendi juramenti causam, quam non habet homo privatus. Debet tamen Judex seriò admonere juraturum, ne pejeret, actoremque urgere, ut Juramentum remittat, si videat eum esse certum de futuro alterius perjurio; debet insuper testes ad pejerandum dispositos à testimonio, quantum poterit, repellere, sicut fecit Daniel in causa Susannæ.

§. V.

481

De Simonia.

Simonia sic dicta est à Simone Mago, qui primus in nova lege, ut constat ex Act. cap. 8. Apostolis *obtulit pecuniam,* ut ab eis dona Spiritus sancti emeret. Hinc rerum sacrarum venditores, passim à SS. Patribus dicti sunt *Simones,* & aliquando Giezitæ, à Giezi Elisæi famulo, qui in veteri Lege, quantùm in se fuit, sanitatis gratiam vendidit Naaman Syro, ut habetur 4. Reg. c. 5.

482 Definitur communiter Simonia quòd sit *Studiosa voluntas emendi vel vendendi pretiô temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum.*

Dicitur 1mo. *Studiosa voluntas,* id est volitio deliberata ac libera. 2do. *Emendi vel vendendi,* quæ verba non strictè accipienda sunt, quasi Simonia non committatur nisi in casu veræ venditionis vel emptionis, sed latè pro quolibet contractu non gratuito, sive is nominatus sit, sive innominatus; ut docent omnes cum S. Thoma, 2. 2. q. 100. a. 1. ad 5. quare sufficit emptio & venditio virtualis. 3tio. *Pretiô temporali,* quo intelligitur pecunia, & res omnis pecuniâ æstimabilis, aut quævis commoditas temporalis. 4to. *Spirituale,* quo nomine intelligitur id, quod est supernaturale, seu id omne, quod pertinet ad cultum Dei, aut ad animæ salutem ordinatur, ut dona supernaturalia Spiritûs sancti, gratia gratis data & gratum faciens, Oratio, Sacramenta, Reliquiæ Sanctorum, Officia divina, Benedictiones; item omnis potestas supernaturalis, ejusque usus, ut actus Ordinis, vel jurisdictionis Ecclesiasticæ. Hinc Conciones, & Catecheses sacræ, quæ, prout in Ecclesia fiunt à Clericis, ordinantur ad audientium salutem, sunt materia Simoniæ. Secùs de munere & actu docendi Theologiam, quia Theologia, licèt versetur circa Objectum supernaturale, potest propriis viribus acquiri, & actio eam docendi per se primò non ordinatur ad animæ salutem, neque immediatè dirigitur ad movendam voluntatem; Idem dicendum de actu docendi rudimenta fidei per Ludimagistros in Scholis, quia hic actus non est sacra functio. 5to. *Vel annexum spirituali;* quo intelligitur id omne, quod ad spirituale ordinatur, vel ab eo dependet, aut ei conjungitur. Potest autem conjungi vel antecedenter, ut jus Patronatûs, quod præsupponitur præsentationi ad Beneficium; Altaria, Vasa Sacra, quæ antecedenter ordinantur ad Sacrificium Missæ, & ei præ-

supponuntur: vel concomitanter, ut labor intrinsecus & necessarius administrationi Sacramentorum: vel consequenter, ut proventus Beneficii, qui supponunt Officium divinum.

483 Not. Allata definitio strictè est Simoniæ juris divini, non Simoniæ juris Ecclesiastici saltem omnis: Nam non convenit Simoniæ, quæ reperitur in permutationibus, & resignationibus factis sine auctoritate Superioris citra temporale pretium. Unde generatim omnis Simonia definiri potest: *quævis pactio, datio, & acceptio rei spiritualis, vel spirituali annexæ, lege probibita, ob reverentiam rei Sacræ.* Porrò id in spiritualibus est Simonia, quod in temporalibus usura; & sicut datur usura palliata, ita & Simonia.

De Simonia sic definita & explicata varia hîc nobis sunt dicenda & exponenda; ut 1mo. Quotuplex sit. 2do. Quale peccatum. 3tio. De ejus causis dicendum, & 4to. Illius pœnæ recensendæ sunt. Quæ singula singulis titulis expendimus; ne materiæ atque rerum dicendarum & exponendarum amplitudo confusionem pariat.

I.

484 *Quotuplex sit Simonia?*

Simonia dividitur 1mo. In eam, quæ est juris divini, & in eam, quæ est juris humani. Prior est ea, quæ ideò prohibita est, quia mala est ex sua natura: Talis est emptio, vel venditio etiam virtualis rei aut actionis Sacræ; nam recta ratio dictat, rem Sacram indignè ac irreverenter tractari hoc ipso, quod datur vel accipitur pro re temporali, tunc enim de facto æquiparatur rei temporali, sicque deprimitur.

Simonia juris humani est pactio, aut commutatio, aut acceptio, quæ ex natura sua non habet malitiam Simoniæ, sed solùm ex prohibitione Ecclesiæ facta ex motivo Religionis, seu intuitu reverentiæ erga res Sacras. Nam lex facit, ut Objectum suum sit materia illius virtutis, ex cujus motivo fertur: sic communio à non jejuno facta est Sacrilegium; quia Ecclesia ex motivo reverentiæ vetuit sumptionem cujuslibet rei ante communionem.

Dividitur 2do. In Mentalem, Conventionalem, Realem, & Confidentialem. 485

Simonia *mentalis* non est præcisè nudum propositum comittendi Simoniam; nam hæc dicitur *purè mentalis*, & hoc modo etiam datur furtum mentale, seu merè internum; sed est actio externa facta ex intentione Simoniaca exteriùs non apparente: sive est datio vel acceptio rei spiritualis pro temporali, vel temporalis pro spirituali, nullo interveniente pacto etiam tacito: ut si quis serviat Episcopo hac intentione, ut pro obsequio temporali ei procuret Beneficium, nulla tamen verbis aut nutibus facta conventione. Igitur duplex generatim est Simonia mentalis, una, quæ *purè mentalis*, alia quæ *non purè mentalis* dicitur, quæ communiter, ut dictum, intelligi solet & exprimitur nomine *Simoniæ mentalis*; eaque meliùs diceretur *Simonia occulta*, quàm mentalis, quia re ipsa est realis, nec in sola voluntate consistit, quemadmodùm purè mentalis: undè etiam est vera Simonia necnon coram Deo ejusdem speciei ac realis, ex cap. 34. *de Simon.*

Simonia *conventionalis* est venditio vel emptio rei spiritualis &c. cum pacto tacito vel expresso, sed nondum tamen executioni mandata saltem ab utraque parte. Si conventio solùm peracta 486

sit,

sit, nihilque prorsùs traditum aut receptum, Simonia hæc dicitur *purè conventionalis*; si verò ex una parte aliquid datum sit, putà si traditum sit pretium temporale, sed nondùm tradita res spiritualis, aut contrà si res spiritualis tradita sit, nondum traditô pretiô temporali, dicitur Simonia *conventionalis mixta seu semirealis*.

487 Simonia *realis* est pactum pretii temporalis utrimque completum saltem ex parte, ut si datum sit Beneficium pro centum nummis, sive ex toto, sive saltem ex parte persolutis; quod addimus, quia ad Simoniam realem sufficit solutio partis pretii cum receptione rei spiritualis vel spirituali annexæ. Imò censeretur Simoniam complevisse, qui licèt nullam pecuniæ partem solvisset, tradidisset instrumentum aut chirographum, quo se ad eam solvendam obstringeret, etiamsi nec animum nec intentionem haberet solvendi posteà; quia ille omnis est Simoniacus, qui per viam temporalis pervenit ad spirituale. Sed qui promittit pecuniam, etiam sine chirographo, & intentione eam solvendi, pervenit ad spirituale mediante temporali, nempe promissione sua. Ergo.

488 Simonia *confidentialis*, seu *confidentia*, quæ eadem esse videtur ac Simonia *conventionalis mixta*, fit, cùm quis alteri Beneficium procurat, eligendo, præstando, postulando, resignando, commendatione, vel alia ratione cum confidentia, hoc est, cum pacto expressò vel tacito, ut is, cui procuratur, illud aliquando resignet procuranti vel alteri, aut ut pensionem vel fructus aliquos ex eo præstet. Hæc Simonia graviter prohibetur à Pio IV. Bullâ 85. & à Pio V. Bullâ *Intolerabilis*. Dicitur *confidentialis*, eò quòd procuratio Beneficii nitatur confidentiâ pactionis, vi cujus Beneficium ipsùm, vel fructus illius, pensiove expectatur.

Quatuor modis committitur 1mo. Per *accessum*, ut cùm Prælatus volens tibi per ætatem incapaci procurare Beneficium, illud confert alteri ea conditione, ut quamprimùm capax fueris, illud accipias. 2do. Per *ingressum*, ut cùm quis Beneficium sibi collatum ante captam ejus possessionem, alteri resignat eo pacto, ut illud posteà ingrediatur, si iste moriatur, vel illud dimissurus sit. 3tio. Per *regressum*, cùm quis Beficium à se possessum alteri resignat ea conditione, ut iste sibi vel alteri idem Beneficium resignaturus sit convenienti tempore. 4to. Si præsentans, resignans, conferens, &c. paciscatur expresSè vel tacitè, ut pensio, vel pars fructuum Beneficii sibi vel alteri detur. Porrò ad hanc Simoniam requiritur, ut accessus, ingressus, & regressus sint in idem Beneficium. Hinc, qui resignat Beneficium alteri ea lege, ut hic aliud, quod possidet, dimissurus sit in favorem tertii, non est reus Simoniæ confidentialis, sed conventionalis, vel realis.

Modò hîc adhuc exponendum est, 489 quibus casibus Simonia sit juris divini, ideoque indispensabilis; quibus verò sit juris humani.

Quantùm ad 1mum. Ea generatim ut Simoniaca prohibentur jure divino naturali & positivo, quæ, cùm sint spiritualia, vel spiritualibus annexa, commutantur pro temporali. Speciatim verò sequentia. 1mo. Dare vel accipere temporale pro virtutibus supernaturalibus, donis Spiritûs sancti, Sacramentis, Reliquiis sacris, quavis potestate spirituali sive Ordinis, sive jurisdictionis, ejusve actu, Prælaturâ Religiosorum, jure eligendi, usu gratiarum gratis datarum, precibus, Officiis divinis, Missa, Concione, quavis functione spirituali, &c. Nam hæc omnia ad finem supernaturalem per se primò ordinantur; & sup-

posita fide recta ratio dictat res Sanctas Sancte esse tractandas, & res supernaturalis Ordinis, ideoque inæstimabiles pretiô temporali, ut viles & infimas indignè tractari, si re temporali commutentur. 2do. Dare vel accipere temporale pro Beneficio Ecclesiastico etiam simplici, & solùm quoad jus percipiendi fructus temporales. Habetur ex cap. *Salvator*. & ex cap. *Ex multis* 1. q. 3. Et ratio est; quia jus illud ita est connexum Officio Spirituali, ut non possit obtineri, nisi ratione illius Officii, cujus exercendi jus habeatur; nam jus percipiendi fructus temporales Beneficii est jus tales fructus obtinendi Ministeriô spirituali, cujus exercendi jus habeatur: Beneficium enim est propter Officium ex cap. ult. *de Rescript*. in 6. & ex Trident. Sess. 12. cap. 3. *Cùm Beneficia ad divinum cultum, atque Ecclesiastica munia sint constituta.* Ita ut jus percipiendi reditus necessariò & ex justitia debeatur, & acquisitum sit ei, qui habet titulum, id est, potestatem exercendi tale Ministerium spirituale, propter quod fructus sunt destinati. Ergo jus illud percipiendi fructus vendi non potest, quin vendatur primariò & directè jus exercendi Officium spirituale, & ipsum officium, ex quo jus provenit, ex cap. *Si quis* 1. q. 3. Quare etsi non tenearis dare Beneficium alteri, tamen si conferas, teneris gratis conferre, nec potes temporale ei annexum subtrahere. *Beneficia nullo modo vendere licet: quia eis venditis intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici*, ait S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 4. Potest tamen Papa, ex plenitudine potestatis, Titulum seu jus Officii Spiritualis abrogare, & temporale Beneficii ob Ecclesiæ necessitatem, vel majorem utilitatem alienare. Et tunc temporale Beneficii separatum à titulo nihil haberet spirituale, nec proindè ejus distractio esset Simoniaca.

3tio. Omnis transactio in Beneficiis, vel aliis rebus spiritualibus, facta compensatione cum re propriè temporali; nam tunc spirituale commutatur cum temporali. 4to. Dare vel exigere temporale non solùm pro receptione seu admissione ad Religionem, ut patet, (nam hæc est quid spirituale, cùm ex se ordinetur ad animæ salutem, perfectionem, ac Dei cultum) sed etiam pro sustentatione ingredientis Religionem, quando bona Monasterii sufficiunt; quia jus vivendi ex bonis Religionis est ex institutione Ecclesiæ, & mente Fundatorum annexum Professioni, sicut jus percipiendi reditus annexum est admissioni ad Canonicatum: ita ut illud nequeat obtineri, nisi ratione professionis, quæ est quid spirituale: nam Monasteria sunt dotata, & auctoritate Ecclesiæ sic instituta, ut homines ibi adscripti liberiùs Deo vacare, & assiduè pro fidelibus orare possint. Ergo nihil exigi potest pro jure vivendi ex bonis Monasterii, quin exigatur pro ipsa Professione, ex qua provenit hoc jus, quod est spirituale, vel saltem spirituali annexum. Quemadmodùm igitur non potest citra Simoniam juris divini in Beneficio conferendo vel resignando vendi vel emi jus percipiendi proventus temporales propter ejus connexionem cum spirituali titulo; ita ut qui unum vendit, alterum, nempe spirituale, non relinquat invenditum, ex Cap. *Si quis* 1. q. 3. sup. cit. ita etiam non potest vendi jus utendi bonis temporalibus Monasterii propter ejus connexionem cum ipsa Professione Religiosa, in qua fundatur. Deinde admissio ad Religionem est admissio ad omnia jura Religiosorum, inter quæ est jus vivendi ex bonis Religionis. Quare cùm Alexander III. Cap. *Non satis*. Innocentius III. Cap. *Dilectus*. & Concilium Generale Lateranense IV. Cap. *Quo-*

Quoniam De Simon. id graviter prohibent, in hoc juris divini naturalis observationem præcipiunt. Si autem Monasterium sit pauper, nec possit plures sustentare, non est Simonia exigere ab ingredientibus aliquid; quia illud exigitur non pro jure alimentorum, nec ut pretium Religionis, sed ut habeat Monasterium unde ei possit providere, & ut alii Religiosi non careant necessariis, ad quæ jam habent jus acquisitum. Ita S. Thomas in 4. Dist. 25. q. 3. a. 2. ad 7. Sed erit injustitia & Simonia, si quid amplius exigatur ultra id, quod requiritur ad hunc finem, quia jam cessat ratio allata quoad excessum. Quod tamen est intelligendum moraliter, nec consistit in indivisibili. 5to. Vendere jus Patronatûs; quia hoc jus est spirituale, nam est potestas ad actum spiritualem, nempè præsentationem, quæ dat jus præsentato ad Beneficium habendum, ita ut necessariò institui debeat, si sit idoneus Cap. 18. *De jur. patron.* Atqui potestas ad actum spiritualem est spiritualis. 6to. Est etiam Simonia juris divini post collatum spirituale, vel spirituali annexum, & nullo præcedente pacto, dare vel exigere aliquid temporale tanquam debitum, vel ut pretium, aut mercedem, vel compensationem ex cap. 39. *De Simon.* Nam tunc factô ipsô temporale æquiparatur spirituali, quasi esset illius pretium, exemplô Giezi, qui pecuniam pro curatione lepræ miraculosè factâ petiit. Licet tamen, seclusa Ecclesiæ prohibitione, aliquid gratis oblatum accipere, postquam res spiritualis gratis collata est; quia non datur pro re spirituali, sed ex gratitudine & benevolentia ex cap. 30. *De Simon.*

490 Quantùm verò ad Simoniam juris humani, communiter hi sequentes casus recensentur, in quibus ea committi dicitur. 1mo. Permutatio Beneficiorum sine auctoritate Prælati, nullo interveniente etiamsi um pretio. Item Resignatio extra Curiam Romanam in favorem certæ personæ, & Resignatio cum pacto, ut Resignatarius suum Beneficium cedat tertio, vel cum confidentia accessûs, aut regressûs. Nam in his non commutatur spirituale nec spirituali annexum pro temporali: undè licet commutare Beneficia cum auctoritate Episcopi, *Clement. De rer. permut.* Et Papa potest in aliis dispensare. Ista sunt tamen Simoniaca, quia prohibita sunt ab Ecclesia ob reverentiam rei Sacræ, & ob periculum, ne fiant ex aliquo motivo temporali. vid. Tract. de Relig. cap. 5. §. 3. circa finem, ubi de vacat. Beneficiorum. 2do. Venditio Officiorum Sacristæ, Oeconomi, Defensoris, Advocati, Procuratoris Ecclesiæ, &c. De quibus cap. *Salvator* 1. q.3. Nam talis venditio prohibita est intuitu Religionis, non quòd ista Officia sint in se quid spirituale, aut Sacrum, sed propter quamdam conjunctionem, quam habent cum sacra supellectili, rebus, & Ministris Ecclesiæ. 3tio. Acceptio munerum etsi modicorum spontè ac gratis oblatorum ex occasione examinis ad Parochiam, ex Trid. Sess. 24. c. 18. Item ex occasione collationis Ordinum, Tonsuræ, Litterarum dimissoriarum, aut testimonialium, ex Trid. Sess. 21. cap. 1. Diximus *ex occasione*; nam dare vel accipere aliquid pro collatione Ordinum, Tonsuræ; aut pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus, est Simoniacum jure divino: cùm ista sint actus procedentes à potestate spirituali Ordinis & Jurisdictionis, proindeque spirituales. Subscriptio verò earumdem litterarum, cùm sit complementum illarum, est quid spirituale, aut saltem pertinens ad aliquid spirituale, nempè ad actum Jurisdictionis. Deindè quando principale fieri debet gratis, gratis etiam ac-

acceſſorium fieri debet, cùm ex Reg. Juris, *acceſſorium ſequatur naturam principalis.*

491 Attamen permutatio rerum ſpiritualium inter ſe Simoniaca non eſt, ſi illæ non habeant annexum aliquod temporale commodum, & nullum interveniat pretium; quia nullo jure eſt vetita: non jure divino; nam nulla eſt per ſe irreverentia, ſi res Sacra cum alia commutetur nullo interveniente pretio, cùm utraque ſit ejusdem ordinis. Neque jure Eccleſiaſtico; nam licèt in jure generaliter prohibeatur omnis pactio in rebus ſpiritualibus, hoc intelligitur de iis, quibus annexum eſt aliquod temporale commodum, vel quæ ſit interveniente pretio temporali. Hinc licitè duo paciſcuntur mutuas preces, mutua ſacrificia, mutuam operam ſacram, v. g. me obligo ad celebrandum cras Miſſam pro te, ut tu alio die eam pro me celebres.

II.

De gravitate Simoniæ.

492 Simonia peccatum eſt inter gravia graviſſimum. Conſtat 1mo. ex 4. Reg. 5. ubi Giezi correptus fuit leprâ, quòd pecuniam pro curatione lepræ per miraculum factæ exegiſſet. Et ex Act. 8. ubi ſtatim ac Simon ſuam de emendo Spiritu ſancto intentionem Apoſtolis aperuit, his, quaſi fulgure, ſancti Petri verbis perculſus eſt: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri . . . in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.* Atqui verba hæc grande ſcelus ſupponunt. Item Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Conſtat 2do. Ex Canonibus. Gelaſius Papa relatus 1. q. 1. cap. 6. *Dantem*, inquit, *& accipientem damnatio Simonis involvit.* Paſchalis relatus 1. q. 2. cap. ult. *Patet*, ait, *Simoniacos velut primos & præcipuos hæreticos ab omnibus Fidelibus reſpuendos . . . omnia enim crimina ad comparationem Simoniacæ hæreſis quaſi pro nihilo reputantur.* Idem eſt ſtylus aliorum Canonum, à quibus Simonia vocatur *execrabile flagitium, flagitium piaculare*, &c. Conſtat 3tio. Ex ratione. Vitium juri divino, naturali, & humano, Religionique oppoſitum, pro grandi crimine haberi debet. Atqui Simonia adverſatur 1mo. Juri divino & voluntati Dei, qui Matth. 10. dixit: *Gratis accepiſtis, gratis date*; quæ verba jam ab Apoſtolorum temporibus arctum continere præceptum judicata ſunt. 2do. Repugnat juri naturali: Jus enim naturæ vetat, ne ea vendantur, quæ ſunt invendibilia, & quorum venditor Dominus non eſt, nec à Domino accepit poteſtatem vendendi. Atqui ſpiritualia, & ſpiritualibus annexa ſunt hujusmodi, ut evidens eſt. 3tio. Repugnat juri humano, ut patet ex titulis *De Simonia* in Jure Canonico contentis. 4to. Demum, idem ſcelus oppoſitum eſt Religioni in ratione Sacrilegii, cùm per illud ſanctiſſima quæque prophanè, irreverenter, & indignè pertractentur. Ergo.

Igitur Simonia ſemper eſt peccatum 493
mortale, nec in ea datur parvitas materiæ, qua peccatum veniale effici poſſit. Nam illa parvitas materiæ repeteretur vel ex parte rei ſpiritualis, vel ex parte pretii pro ea dati. Non ex primo capite, quia res ſpiritualis, quæcumque ea ſit, tam alti eſt ordinis, ut indigna ejus contrectatio magna cenſeri debeat: non ex altero capite; quia è contrà, quò vilius offertur pro re ſpirituali pretium, eò magis contemni cen-

censetur, adeoque gravior est, quæ in eam committitur irreverentia.

494 Neque etiam à gravi Simoniæ peccato immunis est, qui, prout Sæculô præteritô malè sani quidam Theologastri tueri ausi sunt, dat aut accipit temporale, non quidem, ut ajebant, tanquam pretium rei spiritualis, sed solùm tanquam motivum ejusdem rei spiritualis obtinendæ.

Nam 1mo. Ea subtilitate posita & admissa Balaam, Giezi, & ipse Simon facilè excusabuntur à Simonia. Quis enim putet Simonem ipsum eò usque delirasse, ut crederet pecuniam, quam offerebat Apostolis, ejusdem esse pretii cum Spiritu Sancto? Sanè hoc ei unum exprobravit S. Petrus, quod existimaret *donum Dei pecuniâ possideri.* An non autem æquè possedisset, si pecuniam dedisset ut motivum, quo Apostolos flecteret, quàm si eandem obtulisset instar pretii. Difficile etiam ostendi potest Giezi à Naaman munera accepisse alio, quàm gratuitæ compensationis, titulo; undè non eum increpavit Elisæus, quasi pecuniam ut pretium miraculosæ curationis accepisset: Sed *accepisti*, inquit, *argentum, & accepisti vestes . . . & lepra Naaman adhærebit tibi* 4. Reg. 5. Imò nemo, dummodò rudis & prorsùs hebes non fuerit, hac posita opinione in Simoniam incidet: nam quis non fugiet Simoniam, dum pecuniam, qua Beneficia comparabit, non ut pretium Beneficiorum dabit, sed ut motivum, quo patronos, aut alios ad eorum collationem inducat? 2do. Canones simpliciter prohibuerunt, ne quis ad Ordines, ad Beneficia, &c. mediante pecunia ascenderet; neque eos unquam à censuris suis exemerunt, qui pecuniam non ut pretium, sed ut motivum darent. Cap. 34. *De Simonia* sic habet: *Simonia committitur, quando aliquis offert bona suà alicui Ecclesiæ, ut in Canonicum admittatur, etiamsi sine pacto vel conditione qualibet offerat, si is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per bona temporalia, quæ offert, spiritualia valeat adipisci.* Sed qui pecuniam dat, ut motivum, ea intentione ducitur, ut per temporalia bona, spiritualia comparet. Ergo. Item 1. q. 3. c. 9. *Concilium Chalcedonense condemnat eos*, inquit Alexander II. *qui Ecclesiæ Beneficium interventu pecuniæ acquirunt.* Sed qui pecuniam dant, ut motivum, procul dubio Beneficia interventu pecuniæ acquirunt. 3tiò. Qui dat munus Judici, ut motivum ad obtinendam iniquam sententiam, dicitur emere justitiam, & Judex, qui propter hæc munera jus dicit, dicitur vendere justitiam, quia nempe dat unum locô alterius. Ergo à pari, qui dat temporale, ut alium moveat ad collationem Beneficii, emit virtualiter Beneficium, & qui ea de causa confert, virtualiter vendit. Undè meritò damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam, quando temporale est solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contrà.*

Ex his colligitur eum Simoniæ reum esse, 1mo. Qui Magnatis aut Ministri 495
domum ingreditur principaliter, ut Abbatiam obtineat. 2do. Qui consanguineo Præbendam confert, *ut magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua &c*, inquit S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. a. 3. Secus *si conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque* af-

affectionem carnalem; tunc enim *est quidem illicita & carnalis collatio, non tamen Simoniaca quia nihil ibi accipitur.* inquit idem S. Doctor, hîc a. 5. ad 2. 3. 3tio. Idem 2. 2. q. 100. a. 5. dicit de eo, qui dat Beneficium Ecclesiasticum alicui hoc pacto vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, aut certam pauperibus summam eroget; *id enim* ait, *est manifesta Simonia.* 4to. Id etiam dicendum de iis, qui Tonsuram, Ordinesve suscipiunt, ut Beneficium consequantur, ii enim Simoniam committunt saltem mentalem. 5to. *Clericus, qui vadit ad Ecclesiam principaliter propter retributiones, quas recipit tanquam finem sui operis, committit Simoniam*, inquit S. Thomas Quodlib. 5. a. 21. & Quodlib. 8. q. 6. a. 11. 6to. Imò reus est Simoniæ, qui in aliqua Diœcesi spirituales exercet functiones, ut Canonicatum aut aliquam dignitatem assequi possit: *Qui enim*, ait Bernardus lib. de vita & morib. Cleric. c. 5. *evangelizat, ut manducet, perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur.* Qui tamen primaria intentione Dei gloriam, & Ecclesiæ obsequium, secundariâ verò Beneficium quæreret, non esset peccati reus, secundùm communem Doctorum opinionem, quamvis sint qui eis contradicant. 7mo. Hæ propositiones, quas aliqui approbant, *Memor ero beneficii, quod mihi confers, ero gratus, suo tempore gratias agam*, sunt plenæ periculi, & ab iis penitùs est abstinendum; cùm enim omnes avaritiæ studeant, & munera excœcent oculos etiam sapientum, difficile est, ut ex gratitudinis promissiones non moveant; & determinent Collatorem. Et verò quare fiunt, nisi ut moveant; an non promissio novam parit obligationem fidelitatis, quæ est pretiô æstimabilis? An non, si non detur id, de quo conventum est, queritur alter tanquam de injuria sibi facta, & fide non servata?

III.

De Causis Simoniæ.

Simoniæ causæ duæ recenseri generatim possunt, efficiens scilicet, & materialis. Causa efficiens est Subjectum committendæ Simoniæ capax. Causa materialis duplex est *proxima*, & *remota* Illa est venditio & emptio. Ista verò vel est pretium, quo emitur, vel ipsa res spiritualis quæ emitur; & hæc rursus vel ex rei natura, vel solùm ob Ecclesiæ prohibitionem vendi, aut commutari non potest. 496

Extra dubium est, Subjectum Simoniæ esse, seu Simoniam committere 1mo. eos, qui dant & accipiunt temporale pro spirituali, quod facere possunt omnes *cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint*, ut habetur cap. 2. *De Simon.* inter Extravag. commun. 2do. Ab eorum mediatoribus, qui idcircò in eadem Extravag. excommunicationis sententiâ feriuntur, *à qua nisi à Romano Pontifice non possint absolvi præterquam in mortis articulo.* Et ubicumque ab iis, qui *pro officii sui loco contra Simoniacam hæresim vehementer non exarserint*, ut habetur 1. q. 1. cap. 5.

Quantùm ad Simoniæ causam materialem seu materiam: proxima, ut diximus, est venditio & emptio, quibus nominibus intelligitur quilibet contractus, sive nominatus, sive innominatus, quo datur aliquid temporale, ut vicissim detur spirituale. In hac autem materia dat temporale, qui ipsum remittit; & dat spirituale, qui spirituali renuntiat, undè accedente pacto Simoniacus est. 497

Ma-

Major difficultas in eo eſt, ut dignoſcatur, an Simonia toties committatur, quoties occaſione ſpiritualis datur vel accipitur temporale. Porrò ſex ſequentes recenſeri ſolent tituli, qui in hocce caſu à labe Simoniacæ excuſant, ſcilicet 1mo. Liberalitas ſeu Gratitudo. 2do. Stipendium & debita Suſtentatio. 3tio. Labor. 4to. Amiſſio commodi temporalis, quo quis ſe privat faciendo opus ſpirituale. 5to. Conſuetudo legitima. 6to. Redemptio iniquæ vexationis.

498 Primò quidem gratuita donatio à Simonia excuſat. Ratio eſt, quia quod omninò gratis datur, nec datur per modum pretii, nec ea intentione, ut is, cui fit donum temporale, ad alterius doni refuſionem accendatur. Sed cautè ponderandum eſt, an non ſub hoc gratuitæ donationis titulo ſæpiùs latitet & involvatur Simonia, dum id, quod gratis dari dicitur, plerumque vix alia, quàm obtinendi Beneficii intentione datur, aut datur ex pacto; cùm tamen pactum ex natura ſua onus ſeu obligationem fidelitatis & juſtitiæ importet, ac proindè gratuitæ donationis naturam evertat. Cæterùm faciliùs præſumitur Simoniaca intentio 1mo. Si aliquid diviti aut Superiori ſpondeatur, aut detur à paupere vel inferiore, ii enim non ita facilè liberales eſſe ſolent. 2do. Si res data vel promiſſa, talis ſit momenti, ut communiter dari non ſoleat gratuitò. 3tio. Si, quod datur, detur tempore neceſſitatis.

499 Secundò, excuſat titulus ſtipendii, & legitimæ ſuſtentationis. *Quis enim militat ſuis ſtipendiis unquam? . . . Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* 1. Cor. 9. Hinc culpâ carent ſive Fideles, qui Eccleſiæ miniſtris temporalia bona largiuntur; ſive miniſtri, qui Chriſti & Apoſtolorum exemplô pias oblationes, vel alia ſtipendia ex conſuetudine, vel Eccleſiæ legibus accipiunt. Cavendum tamen, ne ſub ſtipendii prætextu lateat Simonia, vel aliquid inſtar Simoniæ prohibitum. Sic 1mo. vetat cap. 42. *De Simonia*, ne Clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & ſimilibus pecuniam exigant, & extorqueant, iis nempè modis, qui Eccleſiæ Miniſtros dedecent, v. g. denegando ſpiritualia, donec vel numerata ſit pecunia, vel de ea numeranda cautio data fuerit, quod juxta S. Thomam hîc a. 3. venditionis, adeoque Simoniæ ſpeciem habet. Sic 2do. juxta multos, qui plus exigit ſtipendii, quàm ſibi verè debitum ſit, non injuſtitiæ ſolùm, ſed & Simoniæ reus eſt; quia quod ſtipendii locum non habet, non alio accipi videtur titulo, quàm in pretium ſpiritualis miniſterii: atque licèt dicat quis ſe non habere intentionem vendendi, in ipſo tamen uſu & exercitio contrarium profitetur, quod ad Simoniam ſufficit. Idem dicendum de iis, qui de novo ſtipendio paciſcuntur pro functionibus, ad quas jam ex officio tenentur. An autem Sacerdos, qui habet aliundè, undè vivat, aliquid recipere poſſit, diſputatur inter Theologos; negant aliqui, plures affirmant, tùm quia nemo etiam dives, ſuis ſtipendiis militat; tùm quia Stipendium illud ex natura rei debetur.

Tertiò, excuſat labor: ſed labor ille 500
duplex eſt, alius eſt actioni ſpirituali *intrinſecus*, ut fatigatio neceſſaria ad concionem, aut celebrationem Miſſæ; alius *extrinſecus*, ſine quo aliàs opus fieri poteſt, ut celebratio Miſſæ, vel concio facienda in loco admodùm remoto. Labor intrinſecus nunquam vendi poteſt ſine Simonia, ut communiter ſentiunt Theologi, 1mo. Quia, cùm

Christus præcepit, ut spiritualia gratis darentur, præcipit etiam, ut gratis daretur id, sine quo spiritualia dari non possunt. 2do. Quia labor ad aliquam actionem necessarius in unum cum ea opus coalescit, & sic ejusdem fit cum ea conditionis: quid enim aliud est labor in celebranda Missa intrinsecè necessarius, quàm recitatio orationum, oblatio, consecratio, & alia ejusdem generis, quæ sunt ipsa Missa. Ergo cùm Missa sine immani Sacrilegio vendi non possit, nec labor eidem intrinsecè necessarius vendi potest. 3tio. Quia etiamsi labor ille præcederet opus spirituale, nullam tamen æstimationem habet, nisi ratione operis spiritualis, ad quod ordinatur: hinc studium & præparatio ad concionem seorsim vendi non possunt; verùm labor extrinsecus seorsim pretiô æstimari & vendi potest. Igitur Sacerdos pro concione, celebratione Missæ licitè quidquam accipere non potest, nisi aut longiùs iter peragere debeat, aut tali horâ graviter sibi incommodâ celebrare non teneatur; quia sic pœnam hanc compensare potest; aut titulô stipendii, & legitimæ sustentationis, aut denique laudabilis, necnon legitimæ consuetudinis, de qua mox loquemur.

501 Quartò, excusat à Simonia, quemadmodùm ab Usura, lucrum cessans & damnum emergens: hinc Simoniæ labem non contrahit, qui accipit pecuniam, non quidem ut alteri Beneficium procuret, sed ut suum in scribendo, iter agendo, &c. laborem compenset. In his tamen solius laboris, non autem Beneficii habenda est ratio, nec pensandus laboris successus, aut Beneficii pinguedo; quia tunc pretium pro Beneficio traderetur, quatenùs labor non in se sed ratione Beneficii æstimaretur, quod Simoniacum est; Unde Simonia committitur ab eo, qui tradit alteri pecuniam eumve promissis aut muneribus impellit, ut pro se Beneficium à Principe, aliove Collatore postulet; quia tunc, ut inquit S. Thomas hîc a. 6. *muneris interventu spiritualia assequitur*, quod nunquam licet.

Quintò, excusat consuetudo legitima 502
& laudabilis, qualis reputatur non ea, quæ ab exactione, aliisve similibus principiis originem duxit, sed quæ ex pietate & liberalitate populorum nata est; quod enim ex tali consuetudine datur, non in pretium rei spiritualis datur, sed per modum oblationis & stipendii. Hinc tamen not. 1mo. Nullam esse consuetudinem, quæ excuset à Simonia jure naturali prohibita; quia nulla est consuetudo, quæ Dei, aut naturæ leges abrogare possit. 2do. Etsi fieri possit, ut Simonia jure positivo inducta consuetudine tollatur; quod tamen non temerè & facilè præsumendum est, sed videndum, quid sentiant Confessarii, Doctores, Prælati, & præsertim quid ferat Curiæ Romanæ stylus.

Sextò, excusat redemptio injustè ve- 503
xationis, quam scilicet patiuntur ii, qui vi aut alia iniquitate impediuntur à consecutione boni spiritualis, in quo jus habent; ii enim, si pecuniâ aut muneribus ex hac vexatione se redimant, à peccato sunt immunes. Ratio est, quia non tradunt temporale pro spirituali, quod jam verè ipsorum est; sed pro liberatione ab injuria & cessatione vexationis, quæ est aliquid temporale. Sed hîc quædam cavenda sunt: 1mo. Ne res, quæ ad iniquæ vexationis redemptionem traditur, sit spiritualis; si quis enim in pingui Beneficio vexetur, & tenue Beneficium vexatori tradat aut promittat, Simoniacus est, quia dat spirituale pro temporali. 2do. Ne

Ne vexatio, quæ redimitur, justa sit, aut saltem probabilis, ut cùm quis justè, vel saltem probabiliter impetitur: tunc enim pecunia non tam dari videtur pro ipsa vexationis cessatione, quàm pro re spirituali, ad quam, moraliter loquendo, mediante pecunia pervenitur. Ita S. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 4. Et verò non licet pecuniæ ope facere, ut jus adhuc infirmum, firmum evadat. 3tio. Ne redemptio ab iis fieri præsumatur, qui non habent *jus in re*, sed solùm *jus ad rem*, quæ conditio graviter est ponderanda: inde enim sequitur, eum, qui à Patrono nominatus est ad Beneficium, cujus institutio ei iniquè denegatur, Simoniacum esse, si vexationem hanc pecuniâ redimat, quia sola institutio canonica tribuit jus in re; à fortiori Simoniæ reus est, qui ut Collatoris consanguineum sibi ex infenso amicum reddat, eidem munera offert, ne diutiùs Collatorem à conferendo sibi Beneficio avertat. Ita S. Thomas hîc a. 2. ad 5. & S. Antoninus primùm cit. & colligitur ex cap. 23. *De Simonia.* 4to. Cavendum, ne ablatio vexationis sit collatio boni spiritualis, quia sicut hæc emi non potest, sic nec illa tunc redimi potest. Hinc si electus sim ad Beneficium, & Episcopus injustè mihi deneget confirmationem, hanc vexationem redimere non licet; quia in hoc casu remotio vexationis nihil est aliud quàm confirmatio, quæ, cùm sit actus spiritualis, emi non potest. 5to. In re tam periculosa recurrendum est ad Superiorem, si ad eum pateat accessus. Ita censent graves Theologi, & sic statuerat S. Carolus Borromæus, prohibens, ne quis ipso inconsulto redimeret injustam vexationem; tùm quia sæpè injusta videtur, quæ justa est; tùm quia Superior ut communis pater poterit litem componere, & sic omnem Simoniæ suspicionem tollere. Hæc de proxima Simoniæ causa materiali.

Quantùm ad causam materialem remotam Simoniæ, quæ, ut suprà jam annotavimus, duplex est, *pretium* scilicet, quo res spiritualis emitur, vel *ipsa res spiritualis*, quæ emitur, sequentia sunt expendenda. Et quidem primò quoad pretium temporale, quo, ut suprà in allata Simoniæ definitione jam observavimus, intelligitur pecunia & res omnis pecuniâ æstimabilis, ac quævis commoditas temporalias. Secundùm omnes cum S. Gregorio cap. *Sunt* 1. q. 1. & S. Thoma 2. 2. q. 100. a. 5. Simoniæ pretium triplex est. 1mo. *Munus ab obsequio*, id est, quodvis obsequium, servitium, ministerium in rebus temporalibus præstitum, vel præstandum: ut si quis alteri Beneficium conferat pro eo, quòd ejus negotia gesserit, &c. 2do. *Munus à manu*, scilicet pecunia, vel res omnis mobilis aut immobilis pretiô æstimabilis, ut gemmæ, equus, vinum, prædium, remissio debiti, jus aliquod, &c. 3tio. *Munus à lingua*, nempe favor, patrocinium, intercessio, adulatio, laus, commendatio apud alium, & similia; nam hæc sunt pretiô æstimabilia, & commodum temporale pariunt; ut si quis Collatoris vel Patroni amico vel famulo det munera, ut pro ipso Beneficium petat, eum laudet, ac commendet, &c. Hinc c. *Salvator* 1. q. 3. *Qui res Ecclesiasticas munere lingua, vel indebiti obsequii vel pecuniæ largitur vel adipiscitur, Simoniacus est.* Nam in his casibus commutatur, saltem æquivalenter & moraliter spirituale vel spirituali annexum pro temporali; & interventu rei temporalis acquiritur spirituale. 104

De altera remota Simoniæ materia, scilicet de rebus spiritualibus; ut de Simonia in Sacramentis & Sacramentalibus scilicet rebus religioso cultui consecratis, necnon ritu, quo res sacra efficitur; quid dicendum sit habetur ex

dictis hîc tit. 1. præsertim circa finem, ubi & de Simonia in collatione & exercitio Sacrorum Ordinum, in ingressu Religionis, in Beneficiis, & eorum permutationibus, quantùm opus esse arbitrati sumus, sufficienter egimus.

IV.

De Simoniacorum pœnis.

505 Non loquimur hîc de pœna æterna, quæ Simoniacos omnes manet, nisi, quod perrarum est, seriò resipiscant. De his agimus pœnis, quas contra nefarium hoc hominum genus decrevit Ecclesia. Priùs verò quàm eas singillatim explicemus, quædam, principiorum instar, sunt supponenda.

1mo. Nulla Simonia quantumvis completa & realis inducit ipso facto pœnas in Jure contentas, præter eam, quæ committitur vel in Ordinatione, vel in Religionis ingressu, aut professione, aut in Beneficio, quo nomine comprehenduntur etiam Officia quælibet jurisdictionem spiritualem habentia, ut Provincialatus, Prioratus, Quardianatus, &c. Extrav. *Cùm detestabile.* de Simon. quia in his tribus ob honores, dignitates, vel commoda temporalia frequentiùs comittitur, aut saltem majus est illius periculum.

506 2do. Licèt quælibet Simonia etiam mentalis sit grave crimen, tamen consentiunt Doctores nullam pœnam juris contrahi ob Simoniam mentalem, quæ absque externo pacto expresso vel tacito admittitur, ex cap. 46. *de Simon.* cit. ubi de Simoniacis mentalibus dicitur *sufficere per solam pœnitentiam satisfacere suo Creatori.* Neque etiam ob Simoniam purè conventionalem, exceptâ confidentiali: quia jura has pœnas statuentia realem rei spiritualis receptionem requirunt, ut constat ex Extrav. 1. & 2. *De Simon.* & ex Canonibus 1. q. 1. & ideo consentiunt, nullam pœnam contrahi ob Simoniam mixtam, seu Semi-realem, quando non fuit tradita res spiritualis, sed solùm pretium seu res temporalis: nam donec res spiritualis acquiratur, & sic quasi contractetur, non censetur plenè consummata exteriùs Simonia.

An verò contrahantur pœnæ Canonicæ, si traditum sit Beneficium, vel alia res spiritualis, licèt pretium promissum nulla ex parte fuerit solutum, controvertitur. Affirmant alii, atque probant 1mo. ex Extrav. *Cùm detestabile.* hoc tit. ubi pœnæ imponuntur sub disjunctione illis, qui *dando vel recipiendo Simoniam admiserint*; adeoque videatur sufficere, eam ex una parte esse completam, licèt nondum ex altera. Et cap. *Siquis* 44. h. t. ubi dicitur, quòd tam Ordinans, quàm Ordinandus sub promissione, quòd non postulabit Ordinatus ab Ordinante provisionem, id est, sustentationem alioquin de jure debitam Ordinato ad Sacros sine titulo, arg. c. *Cùm secundùm* 16. *De præbend.* incurrat suspensionem per triennium; cùm tamen hæc videatur esse sola Simonia conventionalis mixta. Et ex cap. De confessis, 2. ubi Innocentius III. damnat Simoniæ quemdam Canonicum Bethlehem, *qui pro præstando alterius electioni consensu, quingentorum aureorum obligationem receperat*, eumque Beneficiò privat. Ergo ad hoc, ut incurrantur pœnæ Canonicæ, sufficit donatio spiritualis, & promissio aut obligatio rei temporalis. Item ex Bulla Pii V. quæ incipit *Intolerabilis*, ubi §. 3. declarat, pœnas ibidem statutas incurri, *licèt ipsum confidentiæ crimen alterius tantùm partis conscientiâ sit admissum.* Verùm hæc Bulla loquitur 507

de

de Simonia confidentiali, in quo hoc est speciale. Denique probant ex cap. *Ea quæ*. 1. q. 3. ubi Urbanus II. sic loquitur: *Quidquid ergo vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel datâ, vel NB. promissâ pecuniâ acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus.* Ergo ad hoc ut incurrantur pœnæ Canonicæ, sufficit sola promissio &c. 2do. Ex stylo, ut quidem ajunt, Curiæ Romanæ, quæ tales pro Simoniacis habet. 3tio. Ratione: Cùm enim traditur Beneficium, etiam cum pretii promissione, ibi verissima est venditio & emptio, sicut in aliis contractibus humanis. Ergo est Simonia realis, quæ pœnis Canonicis subjacet.

508 Alii, & quidem communiùs, docent solam Simoniam realem utrimque completam traditione rei spiritualis simul & pretii, aut partis pretii inducere pœnas juris Ecclesiastici: & probant 1mo. ex praxi Curiæ Romanæ & Rotæ, vi cujus Beneficium simoniacè acceptum ipso jure non vacat, nec ita provisus est excommunicatus, nec, si in sacris celebraverit, est irregularis, nisi pretium aut saltem pars pretii soluta fuerit. Filliucius quoque, qui tot annos Romæ docuit & scripsit, affirmat pariter hanc esse Romanæ Pœnitentiariæ praxim. 2do. Quia non magis perfectæ sunt emptio & venditio, quando traditum est spirituale, & non temporale, quàm dum traditum est temporale, & non spirituale. Atqui in hoc posteriori casu non incurruntur pœnæ juris, ut suprà ex consensu communi Doctorum diximus. Ergo nec in priori casu. 3tio. Quia pœnæ juris, præsertim graves, impositæ pro aliquo actu, intelliguntur de actu perfectè completo, & ex omni parte consummato exteriùs cum effectu, nisi lex aliud disertè exprimat: nam ex Regula Juris, *Odia sunt restringenda.* 4to. Quia textus ex jure pro contraria opinione adducti solùm probant, eos, qui Simoniæ conventionalis, exceptâ confidentiali, rei sunt, posse à Judice spoliari Beneficiis, quæ hâc viâ consecuti fuère, non autem probat eos spoliatos esse ipso facto & ante omnem Judicis sententiam. Et quidem, ajunt ulteriùs, tametsi Simonia quælibet conventionalis induceret pœnas de rigore juris, dicendum esset huic rigori Juris derogatum esse, vidente & consentiente Pontifice.

Dictum est *Aut partis pretii*; nam si, re spirituali tradita, promissi pretii pars aliqua fuerit soluta, tunc secundùm omnes contrahuntur pœnæ: quia tunc verè spirituale traditum est pro temporali, & vice versa; nec minùs completa est Simonia, quàm si ab initio conventum esset de sola illa minima quantitate, quæ soluta esset.

3tio. Triplex est genus pœnarum, quas Simoniacis infligunt Canones. Prima est pœna censuræ; secunda est invaliditas actûs simoniacè facti; tertia est restituendi obligatio; & hæ quidem pœnæ multùm inter se discrepant: Censuræ enim non incurruntur, nisi vel in Canonibus sint expressæ, vel ab homine decernantur; actus verò Simoniacè facti, ex natura rei invalidi esse possunt vel ex Juris dispositione, prout patebit ex dicendis. 509

Primò igitur exponendæ sunt singillatim pœnæ in Simoniacos Jure Canonico constitutæ.

1mo. Pœnæ Simoniæ in Beneficiis & Officiis spiritualibus sunt 1mo. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso factô incurrunt, tùm qui Simoniacè eligunt, præsentant, instituunt; tùm qui sic eliguntur, præsentantur, instituuntur; item mediatores, procuratores simoniacæ ordinationis, aut collationis

nis Beneficii secutæ, ut parentes, amici, & omnes, qui suam operam interponunt, vel pecuniam offerunt, Extrav. *Cùm detestabile*, & alibi. 2do. Omnis simoniaca electio, præsentatio, resignatio, provisio, collatio irrita est, nullumque jus tribuit; ita ut sic provisus teneatur ante omnem sententiam Beneficium dimittere, & omnes fructus Ecclesiæ restituere, cùm nullum jus in Beneficium acquirat. Ibid. & ex Concilio Constantiensi Sess. 43. Idque, ut diximus, quamvis Simonia sit solum conventionalis mixta; item etiam si Simonia ipso proviso inscio commissa sit, nisi quis, ut eum inhabilem redderet, pecuniam dederit, vel ipse de Simonia suspicans, expresse contradixerit, cap. 27. & 33. *De Simon.* Imò si sciens tertii Simoniam in procurando tibi Beneficio, illud acceptasti, nulla est tua provisio, quamvis contradixeris: quia acceptando cooperatus es executioni Simoniæ cognitæ; item si pecuniam ab alio promissam solveris, vel solutam reddideris, ex eod cap. 33.

Porro juxta varios ignoranti Simoniam non favet regula Cancellariæ de Triennali possessione ad præscriptionem; quia expresse exigitur possessio *absque Simoniaco ingressu.* Sed multi alii docent eum, qui mediante tertii Simoniâ Beneficium accepit, posse illud retinere, si integrô trienniô hanc Simoniam ignorârit: quia illa verba, *absque Simoniaco ingressu*, videntur in rigore requirere, ut Simonia se teneat ex parte ingredientis Beneficium; nam licèt collatio sit Simoniaca, ingressus tamen, seu actio, qua provisus ingreditur, non est Simoniaca; nec ipsa punitur, sed actio mediatoris, quæ fuit Simoniaca, neque hæc strictè *ingressus* appellatur, sed potiùs apertio portæ, ut alter ingredi queat. Verùm in hoc consuli debet usus Curiæ Romanæ. Constat autem eum, qui Beneficium per Simoniam parentum vel amicorum, licèt ignorans, obtinuit, si hanc ante elapsum triennium resciverit, teneri statim illud purè resignare, & omnes fructus perceptos extantes restituere, non tamen eos, quos bona fide consumpsit, cùm eos bona fide possederit. Ita communis post S. Thomam q. 100. a. 6. ad 3. Nam irritatio directè fertur à Jure in omnem provisionem & acquisitionem, quæ fit per Simoniacam labem, nec ad hanc requiritur culpa, vel scientia acquirentis aut conferentis, ex cap. 33. *de Simon.* 3tio. Simoniacè electus vel provisus fit ipso facto inhabilis ad idem Beneficium, nec potest illud ex Episcopi dispensatione obtinere, cap. 27. *de Simon.* & cap. penult. *de Elect.* ubi excipitur, si sit Beneficium simplex, &, ipso electô ignorante nec ratum habente, Simonia commissa sit; tunc enim post puram resignationem potest Episcopus dispensare. Imò ex Bulla Pii V. Simoniacus fit etiam inhabilis ad quascumque alias dignitates, & quæcumque alia Beneficia obtinenda.

Has quoque pœnas ex communi in- 510
currunt etiam ii, qui propria auctoritate permutant Beneficia: nam ii in jure dicuntur Simoniaci, & verè committunt Simoniam Juris Ecclesiastici. Item Simonia realis in Prælaturis Regularium, ut sunt Abbatis, Prioris, Guardiani, Rectoris, Provincialis, &c. inducit nullitatem actûs, obligationem dimittendi Superioris munus, & Excommunicationem Papæ reservatam; nam sunt Officia Ecclesiastiam jurisdictionem habentia, idque expresse statuitur à Paulo II. Extrav. *Cùm detestabile.* de Simon. Et constat etiam ex Bulla Martini V. in Concilio Constantiensi Sess. 43. infrà adducenda.

2do.

511 2do. Pœnæ Simoniæ confidentialis ex Bulla 85. Pii IV. & Bulla etiam 85. Pii V. sunt 1mo. Excommunicatio Papæ reservata contra utrumque contrahentem, si sint inferiores Episcopis; nam hi incurrunt solùm interdictum ab ingressu Ecclesiæ. 2do. Privatio Beneficii per Confidentiam obtenti, & quidem ante omnem sententiam; cùm ejus collatio nulla sit. 3tio. Inhabilitas ad idem Beneficium, & ad alia acquirenda. 4to. Privatio Beneficiorum anteà legitimè possessorum & Pensionum priùs obtentarum; non tamen, juxta multos, ante sententiam Judicis declaratoriam, cùm justô titulô possideantur; & dicunt ita usu receptum esse. 5to. Beneficia per Confidentiam collata & accepta, reservata sunt Papæ; quare resignari non possunt in manus Ordinariorum, nec ab iis conferri. Insuper fructus Beneficiorum per Confidentiam acquisitorum, & Pensionum sic constitutarum reservantur Cameræ Apostolicæ.

512 Not. 1mo. Ut contrahantur hæ pœnæ, requiritur, ut datum sit & acceptum Beneficium, ut patet ex his verbis Bullæ Pii. IV. *Omnes & singulos, quia Beneficia, vel Pensiones hoc intercedente vitio receperunt.* Non tamen necesse est, ut, qui Beneficium accepit, promissionem suam impleverit, hoc est, vel pretium promissum solverit, vel Beneficium alteri resignaverit, vel pensionem solverit, aut fructus Beneficii ab alio percipi permiserit. Nam hoc specialiter statutum est contra hanc Simoniam, quæ gravioribus pœnis punitur, eò quòd innumeris fraudibus sit obnoxia, & magis latenter, quàm quævis alia committatur, habeatque speciem successionis hæreditariæ in Jure valdè exosam. Imò has pœnas incurrit Beneficium recipiens, qui novit intentionem confidentiariam dimittentis, quamvis recipiat sine tali intentione, ut significant hæc verba Bullæ Pii V. *Etiam sola dimittentis intentione receperit.*

Not. 2do. Cùm Constitutiones Pii IV. 513 & Pii V. novas pœnas non superaddant ratione Confidentiæ, nisi contra illum solùm, qui per Confidentiam recipit Beneficium vel Pensionem; soli recipientes privantur Beneficiis & Pensionibus anteà legitimè acquisitis; non autem resignantes sub pactione confidentiali, aut ad id cooperantes; qui tamen ut verè Simoniaci incurrunt excommunicationem Papalem jure antiquo latam, si confidentiaria pactio fuerit ex utraque parte completa.

3tio. Pœnæ Simoniæ in Ordinatione sunt 1mo. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrit tùm Ordinans tùm Ordinatus, Extravag. *Cùm detestabile.* quod multi extendunt ad primam Tonsuram, quia cap. 11. *De ætat. Præfic.* dicitur per eam conferri Ordo Clericalis, & usitatô loquendi modô aliquis per eam simpliciter constituitur in Ordine Clericorum. 2do. Ordinatus suspensus est ab Ordinibus, non solùm ab iis, quos Simoniacè suscepit, sed etiam ab omnibus simpliciter; Ibid. Ordinans verò suspensus est per triennium à collatione omnium Ordinum, etiam Tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, & interdictus est ab ingressu Ecclesiæ, juxta Bullam Sixti V. *Sanctum.* Sed dicunt, hanc Bullam non esse usu receptam in plerisque locis. Ex c. 45. *de Simon.* verò Ordinans suspensus est per triennium à collatione omnium Ordinum duntaxat. Qui autem nec sciens, nec volens Simoniacè ordinatus est, secundùm S. Thomam q. 100. a. 6. ad 3. & alios, non potest sine dispensatione Ordines exercere. 514

515 4to. Pœnæ Simoniæ commissæ circa ingressum Religionis, & Professionem sunt 1mo. Excommunicatio lata contra personas singulares dantes & accipientes. 2do. Suspensio ab Officiis Capitularibus, lata in Conventum, si consenserit. Utraque pœna ipso facto contrahitur, & Papæ reservatur, Extrav. *Sanè* de Simon. 3tio. Simoniacè scienter Professus in aliud arctius Monasterium in pœnam criminis detrudi debet. Cap. 25. *de Simon.*

516 Quantùm ad obligationē restituendi Simoniacè accepta, hæc minùs est pœna pactioni Simoniacæ annexa, quàm naturalis illius effectus. Cùm enim contractus Simoniacus sit irritus vel jurè naturali & divino, si Simonia illi repugnet, vel jure Ecclesiastico, si Simonia sit juris merè Ecclesiastici ; sequitur conventionem Simoniacam nullum effectum producere, & quæ per eam acquiruntur esse necessariò restituenda.

517 Primò igitur Beneficia, Dignitates, Officia & alia ejusmodi Simoniacè accepta non possunt in conscientia retineri, sed dimitti debent cum omnibus fructibus, ante omnem sententiam. Constat tùm ex consensu Doctorum, & sensu ac usu Ecclesiæ tùm ex cap. *Si quis dator.* & cap. *Ea quæ.* 1. q. 3. tùm quia sine justo titulo possidentur, cùm omnis collatio, provisio, & pactio Simoniaca irrita sit & nulla, saltem Jure Ecclesiastico, cap. ult. *De Pact.* & proindè careat omni effectu, nullumque jus tribuat ; ut declaravit Martinus V. in Conc. Constant. Sess. 43. approbante, *Electiones, postulationes, confirmationes, & quævis provisiones Simoniacæ Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Officiorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque deinceps facta, nullæ sint ipso Jure, nullumque jus cuiquam acquiratur, nec promoti, nec confirmati, aut provisi faciant fructus suos, sed ad illorum restitutionem, tanquam iniquè ablata percipientes, teneantur.* Idem declarat Paulus II. in Extrav. *Cùm detestabile.* De Simon. confirmata à Pio V. Idem etiam docet S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 6. ubi sic loquitur : *Nullus potest licitè retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisivit, putà si aliquis dispensator de rebus Domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem Domini sui, ille, qui acciperet, licitè retinere non posset ; Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & Ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur, secundùm illud Matth. 10. gratis accepistis, gratis date. Et ideò qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licitè retinere non potest.* Undè quamvis hæc irritatio esset tantùm de Jure Ecclesiastico, ut multi docent, tamen, illâ suppositâ, obligatio relinquendi Beneficium cum omnibus suis fructibus, est de Jure divino naturali, ut patet; nam jure naturali non licet retinere alienum sine ullo jure ad illud.


Ad hanc autem nullitatem, & restitutionis obligationem, sufficit Simonia conventionalis tantùm & occulta, cùm sit vera Simonia ; & ex Juribus citatis ad nullitatem sufficit, quòd provisiones sint Simoniacæ ; & in cap. *Ea quæ* 1. q. 3. Urbanus II. ait : *Quidquid vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel datâ vel promissâ peccuniâ aquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus.* Item sufficit Simonia ignorata à possidente Beneficium, ex cap. 26. *de Simon.* Quòd si acceptum

acceptum sit Beneficium nondum datô pretiô, hoc non debet solvi: quia Simonia fieret realis completa ex utraque parte, & sic contraheretur excommunicatio; nec Beneficium acceptum retineri potest, cùm ejus provisio & collatio nulla sit. Fructus verò percepti restitui debent Ecclesiæ, cùm sine ullo jure, sed injustè percepti fuerint, ex Conc. Constant. cit.

518 Secundò. Pretium seu quodvis temporale Simoniacè acceptum restitui debet, etiam jure divino naturali. Quia 1mo. contra jus dantis, & proinde injustè acceptum est. Nam qui dedit pretium habet jus, ut res spiritualis sibi gratis conferatur, saltem ex hypothesi quòd detur: Deus enim dedit omnibus jus res spirituales obtinendi gratis, juxta illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Et solùm imposuit onus alendi Ministros, juxta modum ab Ecclesiâ præscribendum. Qui autem dedit temporale, non intendit dare liberaliter, nec transferre dominium, nisi quatenùs debet, & quatenùs alter justè exigere potest, ut patet à simili de usura. Deinde res Spiritualis non est materia venditionis, sed est ex natura sua invendibilis: Jus autem temporale in re spirituali fundatum vendi nequit, nisi res ipsa spiritualis etiam vendatur, quæ tamen invendibilis est. 2do. Ecclesiæ Ministri sunt tantùm Dispensatores, non Domini rerum spiritualium; undè non possunt illas dispensare, nisi pro voluntate Christi jubentis, ut illæ gratis concedantur: aliàs non minùs injustè agunt, quàm Eleemosynarius Principis, qui pro eleemosyna ex voluntate Principis sui danda aliquid à pauperibus exigeret. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Et verò injustè exigit & accipit pretium, qui de suo nihil dat pretiô æstimabile, ut facit conferens Beneficium non gratis; nam fructus ad ipsum non pertinent, sed ad futurum Beneficii possessorem: jus verò ad fructus, utpotè fundatum in titulo spirituali, non est æstimabile pretiô temporali, & necessariò competit ex justitia ei, qui habet Beneficium. Ergò Patronus vel Collator injustè exigit pretium, nec habet titulum justum accipiendi, aut retinendi quidquam, quod omninò spontè ac liberaliter datum non sit.

Tertiò. Si Simonia sit realis in materia Beneficiali, Simoniacè accepta debent restitui Ecclesiæ, in qua est Beneficium, vel pauperibus loci, etiam ante omnem sententiam, ex cap. 11. *De Simon.* ubi dicitur, temporalia recepta pro dando assensu electioni Ecclesiasticæ restituenda esse illi Ecclesiæ, cùm ea sine gravi salutis periculo retineri non possint. Ita comunis. Sed si Simonia non sit in Beneficiali materia, juxta multos, accepta restitui debent ei, qui dedit: quia jure naturali res reddi debet ei, qui habet ejus dominium, nisi lex in pœnam ei reddi vetet. Sed qui dedit Simoniacè, retinet dominium rei datæ; cùm pactio Simoniaca nulla sit, nec proinde jus ullum transferat, & lex non prohibeat reddi quod Simoniacè datum est, nisi Simonia fuerit realis in Beneficio; nam cap. cit. ubi pecunia accepta dicitur restituenda esse non danti, sed Ecclesiæ, agitur solùm de Simonia reali in Beneficio, nec idem ullibi statuitur in aliis casibus: undè hæc pœna, cùm sit quid odiosum, non debet extendi ultra casus in Lege expressos. Imò cap. 19. *de Simon.* præcipitur reddi pecuniam ei, qui Religionem Simoniacè fuerat ingressus. 519

520 Quartò, quoad Simoniam mentalem, an scilicet hæc ad restitutionem obliget, æquè ac realis, & conventionalis mixta, non conveniunt Theologi. Multi negant, & probant 1mo. Ex cap. 46. de Simonia. Ubi Gregorius IX. ait: *Ad resignationes spiritualium & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente, utrimque taliter acquiruntur (in quo casu delinquentibus sufficit per solam pænitentiam suo satisfacere Creatori) eos pro Simonia hujusmodi non teneri.* 2do. Ex S. Thoma 2. 2. q. 100. a. 6. ad. 6. ubi, *Quoad Deum*, inquit, *sola voluntas facit Simoniacum; sed quoad pænam Ecclesiasticam exteriorem non punitur ut Simoniacus, ut abrenuntiare teneatur, sed debet de mala intentione pænitere.* 3tio. Quia sola injustitia externa seu effectiva inducit obligationem restituendi: at in Simonia mentali nulla est injustitia externa, sed solùm affectiva. 4to. Dicunt, talem esse usum Rotæ & Pœnitentiariæ; & addunt Ecclesiam non irritare collationem Beneficii, nisi Simonia sit externa saltem implicitè; nam Ecclesia non punit actus merè internos.



MANUA-

MANUALIS SFONDERATUS,

SEU

INNOCENTIÆ VINDICATÆ,


In qua graviſſimis argumentis ex S. THOMA petitis oſtenditur, Angelicum Doctorem pro Immaculato Conceptu Deiparæ ſcripſiſſe & ſenſiſſe,

AUCTORE

Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali & S. R. I. Principe & Abbate S. Galli COELESTINO SFONDERATI.

COMPENDIUM

ad Cap. 4. part. 1. Tract. de Peccatis.




Præloquium.

SUb finem præteriti Sæculi annô videlicet 1698. Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, & S. R. I. Princeps ac Abbas S. Galli in Helvetia Ord. S. P. N. Benedicti Opus vulgavit in duas partes divisum, Theologicam unam, in qua gravissimis argumentis plerumque ex S. Thoma petitis ostendit Deiparam immaculatè conceptam fuisse; alteram verò Symbolicam, ubi per plura Symbola ex variis naturæ rebus expressa ejusdem B. Virginis illibatus conceptus perpulchrè adumbratur. Quod præcellens Opus, cùm ante triginta & duos annos, annô videlicet 1716. quo tempore studiis Theologicis occupati è calamo & ore Rmi. D. Francisci Abbatis Schutterani Theologiam apud nos docentis Tractatum de Peccatis excipiebamus, fortè in manus nostras venisset, illius priorem partem, Theologicam videlicet, pro nostra erga B. Virginem Dei genitricem Mariam pietate singulari, & quò ad tuendam illius Immaculatam Conceptionem magis compararemur, eâ, qua pro juvenili, quam tunc agebamus, ætate nostra potuimus, diligentiâ & studiô statim redegimus in compendium, quod in gratiam Theologiæ Candidatorum, & piorum Beatissimæ Virginis immaculatè conceptæ clientum, prout suprà cap. 4. part. 1. Tract. de Peccat. adpromisimus, 11. §§. distinctum hìc subjicimus. Quo ut omnes benè fruantur enixè optamus.



ELEN-



ELENCHUS

Paragraphorum hoc Opusculo contentorum.

§ I.



§. I.

S. Thomas multis in locis docet Beatissimam Virginem fuisse immaculatè conceptam.

PRimus locus habetur 1. Sent. d. 44. q. 1. a. 3. ubi expresè ait : *Puritas attenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquid creatum reperiri, quo nihil purius esse possit in rebus creatis, si nulla contagione peccati infectum sit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit; fuit tamen sub Deo, quatenùs fuit in potentia ad peccandum.* Quid clarius pro immaculata conceptione?

Dicit namque 1mo. Tantam fuisse B. Virginis puritatem, ut in rebus creatis major esse non potuerit, quod falsum evaderet, si peccatum aliquando contraxisset, quia purior esse potuisset, si nunquam contraxisset. Ut ergo creatura aliqua purissima, ita ut purior dici non valeat, nuncupari valeat, non sufficit, ut nullum peccatum habeat, quod pluribus infantibus & adultis absque peccato ex hac vita decedentibus evenit; sed ut nunquam ullo corrupta fuerit peccato, quod in B. Virgine evenisse apertè indicat S. Thomas, dum illam ab omni peccato immunem pronuntiat. Ex quo refutatur Bergomensis, qui in *Tabula aurea* scribit S. Thomam hîc id tantùm voluisse, nempè, quòd B. Virgo peccatô originali quidem aliquando caruerit, non verò quòd non contraxerit.

At istud falsum est ex duplici ratione: 1mo. Quia si S. Thomas per hanc voculam *immunem* non aliud indigitare voluisset, quàm quòd Beatissima Virgo Maria aliquando caruerit quidem, tamen contraxerit peccatum originale, falsum foret B. Virginem omnium creaturarum purissimâ fuisse, quod tamen citatô locô contendit S. Thomas; quia etiam S. Joannes Baptista, Jeremias Propheta, imò omnes parvuli Baptismô tincti omni peccatô actuali & originali carent, adeoque æquè puri essent ac B. Virgo.

2do. Quia si B. Virgo peccatum semel contraxisset, non tantùm, ut vult S. Thomas, in hoc Deo dispar esset, quod posset peccare, Deus autem non; sed etiam in hoc, quòd illa aliquando peccaverit.

Accedit, quòd vox *immunis* non tantùm pro aliquo tempore carentiam, sed omnimodam & pro omni tempore carentiam significet: inde est, quòd homines non possint dici immunes à mortalitate, etsi, semel eâ expletâ, deinceps sint immortales; sic neque qui semel tributum solvit, à tributo immunis dici valet, &c.

Ex his vides utiquè quàm infeliciter Bergomensis S. Thomæ in hac parte interpretem egerit. Hinc alii immaculatæ B. Virginis Conceptionis hostes, quatenùs hoc tam clarô S. Thomæ testimoniô faciliùs liberarentur, præsentem textum eradi curârunt; inter quos fuit quidam Cosmas Morellus: is enim, teste Catharino lib. 2. de immaculata Concept §. *ad hæc*; & Raynaudô Tom. 8. pag. 291. in ultima editione Antverpensi, cui præfuerat, præsens hoc S. Thomæ testimonium expungi curavit.

2 Secundus S. Thomæ locus habetur in cap. 3. Epist. ad Galat. lect. 6. ubi, *Non inveni*, inquit, *mulierem à peccato actuali & originali omninò immunem, præter purissimam & omni laude dignissimam virginem Mariam.* Qui textus, licèt in Antiquioribus editionibus reperiatur, in recentioribus tamen omissus est. Et quidem quanquam, ut asserit Joannes Albertus Castrensis Dominicanus, Veneta editio ex correctissimis exemplaribus edita sit, Remigius Florentinus tamen in sua recenti editione Antverpensi, annô 1591. quæ Immaculato B. Virginis Conceptui favebant, intrepidè expunxit, adjectâ lituræ causâ; *quia*, inquit, *non benè addita sunt in editione Veneta.*

3 Tertius locus S. Thomæ desumitur ex Opusculo 4. de salutatione Angelica, ubi ita legitur: *Maria purissima fuit quantùm ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum aliquando incurrit.* Hic textus iterùm in ultimis editionibus omissus est; reperitur tamen in MS. Parisiensi apud Patres Præmonstratenses prope Lovanium. In MS. Bibliothecæ Corsendoncanæ Canonicorum Regularium propè Thurnantum in Folio, chartâque pergamenâ. In MS. Bibliothecæ Regiæ Parisiensis num. 690. In MS. Monasterii S. Martini Lovaniensis, litt. O. num. 7. & in alia editione Patrum Franciscanorum Coloniæ. Testaturque P. Petrus de Alva & Astorga Procurator Generalis fol. 943. lib. de Immaculata Concept. nullum à se hactenùs visum esse codicem MS. antiquum, in quo non sit ista clausula: *Quia neque originale, neque mortale, neque veniale peccatum incurrit.*

4 Quartus locus est in Epist. ad Rom. c. 5. ubi sic legitur: *Omnes in Adam peccaverunt excepta Beatissima Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati.* Ita legitur in MS. Codice Bibliothecæ Cardinalis Sfortiæ; quem textum P. Ferdinandus Guevarra Confessarius & Theologus Cardinalis de Trexo sub Urbano VIII. annô 1625. reperit; quæ tamen verba in triplici, Romana scilicet, Mediolanensi, ac Neapolitana editione expuncta reperit.

Quintus locus habetur in 1. Sent. D. 44. q. unica a. 3. Sextus, ibid. dist. 17. 5
q. 2. a. 4. Septimus, desumitur ex dist. 44. a. 2. ad Annibald. Octavus habetur in Opuscul. 61. de decem gradibus charitatis; in quibus locis repetit, ratamque habet notam illam S. Anselmi sententiam, videlicet: *Decuit, ut Virgo, quam Deus Unigenito suo præparavit in Matrem, ea puritate niteret, qua major sub Deo reperiri non potest.* Atque cit. Opuscul. 61. occasione hujus S. Anselmi sententiæ hæc inter alia addit: *Deum quidem effecisse Angelos speculum puritatis immaculatum, incoinquinatum; sed ad majorem omnipotentia suæ manifestationem aliud elaborasse tersius & purius Seraphinis, videlicet Beatissimam Virginem, ac tantæ puritatis, ut puriùs intelligi non possit, nisi Deus sit.* Quæ omnia, ut & Anselmi sententia minimè subsisterent, si B. Virgo aliquando peccatum originale contraxisse debuit; quia sic creari poterat, imò creatæ sunt innumeræ aliæ creaturæ puriores, hoc est, juxta regulam S. Thomæ, magis malo impermixtæ, & à peccato remotiores, putà Angelos, qui nullum originale peccatum contraxêre.

Denique graves ex Ordine Prædicatorum Theologi fatentur S. Thomam pro 6
immaculato conceptu, non contra eundem, scripsisse. Joannes Bromiardus, qui floruit circa annum 1260. in Summa Prædicantium verbô *Maria* a. 2. n. 10. *B. Virgo*, inquit, *fuit cæteris specialiùs & eminentiùs sanctificata, nam S. Thom. 3. p. q. 27. a. 2. ponit ejus sanctificationis excellentiam, quantùm ad temporis prioritatem, in hoc, quòd sanctificata fuit in ejus animatione,*

id

id est, in conjunctione animæ cum corpore, non ante.

Eodem modo citatum S. Thomæ locum legit S. Vincentius Ferrerius in Exemplari Summæ S. Thomæ, adjecta manu propria hac ad marginem inscriptione: *B. Virgo fuit immunis à peccato originali & actuali.* Hic tamen S. Doctoris locus in modernis editionibus corruptus est, ut infrà pluribus ostendemus.

P. Magister Casparus Catalanus de Monzonis electus Episcopus Ilerdensis Epistolâ ad Michaelem de Lanuza &c. annô 1651. Valentiæ datâ, cujus istud est initium: *Me percunctatur*, candidè fatetur S. Thomam B. Virginem immunem & præservatam à peccato originali affirmâsse.

Idem prorsùs sentit P. Magister Joannes à S. Thoma Theologus Complutensis insignis, utpotè quo nemo elegantiùs ac solidiùs doctrinam S. Thomæ illustravit, cùm Disp. 1. super 1. partem in procem. a. 2. docet, nullibi S. Thomam docuisse B. Virginem fuisse in culpa originali conceptam. Idem docet P. Franciscus de Arauxo Episcopus Segoviensis. Item Ferrariensis l. 4. contra Gent. c. 50. unanimiter insuper asserentes, quia quando S. Doctor dicit omnes incurrisse peccatum originale, solo Christo excepto, loquitur ex vi legis ordinariæ, relinquendo semper locum privilegio.

Annô quoque 1618. die 24. Junii Patres Dominicani Provinciæ Hispaniæ, indicto Madriti coram Lermensi Cardinali Conventu provinciali, supplicârunt Paulo V. dignetur ipsis imperare recitationem Officii, necnon celebrationem Festi Immaculatæ Conceptionis; utque è suggestu prædicent opinionem, quæ tenet, B. Virginem fuisse sine peccato originali conceptam, &c Hi tamen solemni more jurârant, se nihil docturos contra mentem & sententiam S. Thomæ; ergo credebant S. Thomam docuisse Immaculatum B. Virginis conceptum. Vid. Nierenb. in Except. pag. 211.

§. II.

Beatissima Virgo non esset idonea Mater Dei, si aliquando peccasset; ergo ex sententia S. Thomæ, nunquam contraxit peccatum originale.

S. Thomas 3. p. q. 27. a. 4. sic loquitur: *Beatissima Virgo non esset idonea Mater Dei, si aliquando peccasset, quia honor parentis redundat in prolem, juxta illud Prov. 17. gloria filiorum patres eorum. Unde & per oppositum ignominia Matris in Filium redundasset.*

Ex hoc textu breviter sic arguimus: Juxta S. Thomam Matrem Dei non decuit contraxisse peccatum etiam veniale. Ergo multò minùs originale. Ant. est S. Thomæ: Conf. sic ostenditur: Ideò dedecuit Matrem Dei peccasse etiam venialiter, quia peccatum veniale fecisset illam indignam, ut foret Mater Dei. Atqui multò magis faceret illam indignam peccatum originale; quippe peccatum veniale est levius originali, nullamque propriè dictam maculam animæ inurit, ut docet S. Thomas 1. p. q. 89. a. 1. At è contrà peccatum originale non tantùm animæ faciem maculat, verùm etiam penitùs obliterat fœdatque, necnon odiô dignam & mortis ream reddit, vitâque æternâ privat: inde est, quòd longè gravius dici debeat peccatô veniali, utpotè quod majora, quàm istud, animæ damna infert, dum penitùs à suo creatore avertit, graviorique pœnæ, æternæ nimirùm carentiæ visionis Dei, subjacet, &c. Ergo si à Matre Dei removendum est peccatum etiam veniale, utpotè ad ignominiam pertinens, ne etiam in Filium redundet; multò magis peccatum originale ab ea

removendum censere debemus ; quod longè magis infamaret ignominiosamque redderet Matrem Dei, consequenter & Filium ; quia sicut honor parentis redundat in prolem, sic è converso ignominia parentis etiam in prolem redundat.

§. III.

8 *Ecclesia non celebrat Festum nisi de aliquo Sancto. Ergo B. Virgo ex sensu S. Thomæ fuit sine peccato concepta.*

S. Thomas 3. p. q. 27. a. 1. pro certissima regula ponit : *Ecclesiam non celebrare Festum nisi pro aliquo Sancto :* Undè infert B. Virginem natam esse sine peccato originali, quia videlicet Ecclesia ejus Nativitatem celebrat. Id ipsum repetit 2. 2. q. 9. a. 1. ad 3. ubi, *Dicendum est*, inquit, *quòd diversæ consuetudines Ecclesiæ in cultu divino nullo modo veritati repugnant*, & *ideò sunt servandæ.*

Ex hac S. Thomæ doctrina sic conficitur argumentum. Ecclesia non celebrat Festum nisi de Sancto. Atqui celebrat Festum de Immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ. Ergo ejus Conceptio, ex sententia S. Thomæ est sancta, & per consequens omnis peccati expers.

Vi hujus argumenti perpensâ multi Adversariorum varia interpretationum perfugia quærentes, illius nervos incidere allaborant, ut eo faciliùs se liberare queant. Verùm ut cum S. Irenæo lib. 5. cap. 13. loquamur, *coguntur tam multa malè interpretari*, *qui unum nolunt benè intelligere.* Sufficere debet, quòd certum, imò plusquam certum sit 1mo. Ecclesiam conceptum immaculatum B. Virginis priùs publico cultui non exposuisse, quàm certissimis argumentis quæsita & comperta veritate : summæ quippe levitatis foret, necnon Ecclesiæ, omnium veritatum Scholæ gravitatem summoperè dedeceret, Deo Festum agere, quod in dubium vocari possit, &c.

2do. Certum est, per Conceptionem illam immaculatam B. Virginis Mariæ Ecclesiam aliud non intelligere, quàm primum animationis momentum, quo videlicet anima B. Virginis fuit unita corpori : aut si Ecclesia aliud intelligit, cur aliud non exprimit, cur potiùs sanctificationem, quàm immaculatam Conceptionem non vocat, ut vocant Adversarii ? At hos dudum jam redarguêre Summi Pontifices, prohibentes, ne Immaculatam Conceptionem *Sanctificationem* tantùm vocent Christicolæ. *Nonnulli*, inquit Sixtus IV. in Extrav. *grave nimis*, *diversorum Ordinum professores affirmare non erubuerunt*, *Romanam Ecclesiam solam spiritualem Conceptionem seu sanctificationem B. Virginis Mariæ celebrare* &c. Et infrà anathemate ferit eos, qui assererent, mortaliter peccare eos, qui hujusmodi Immaculatam Conceptionem celebrarent, aut ejus Officium recitarent. Atque hoc ipsum confirmavit Concilium Tridentinum Sess. 5.

Ex his habetur falsitas interpretationum, quas ad enervandum nostrum argumentum afferunt Adversarii ; quarum prima est, quòd Ecclesia celebret Festum Immaculatæ Conceptionis, quia probabile tantùm est, B. Virginem fuisse immaculatè conceptam. 2da. Ab Ecclesia spiritualem tantùm Conceptionem, illud nempè tempus, quo Virgo in matris utero ab originali peccato mundata fuit seu sanctificata, celebrari. 3tia. Ecclesiam non observare momentum quo anima B. Virginis corpori infusa est, sed posterius ab animatione momentum. Hæ falsæ, inquam, sunt interpretationes, & ex dictis luculenter satis refutatæ. Undè manet argumentum nostrum ; nempe : B. Virgo sine peccato nata est, quia ejus Nativitatem Ecclesia celebrat, ut

habet

habet S. Thomas, 3. p. q. 27. a. 1. & 2. 2. q. 93. a. 1. ad 3. Ergo etiam sine peccato concepta est, quia Ecclesia ejus Conceptionem celebrat: vel meliùs è converso: Ecclesia B. Virginis Nativitatem celebrat, quia sine peccato nata est. Ergo etiam ejus Conceptionem celebrat; quia sine peccato concepta est.

§. IV.

9 *Quamvis B. Virgo immaculatè fuerit concepta, eguit tamen redemptione. Ergo ex mente S. Thomæ non contraxit peccatum originale.*

Quoties S. Thomas in anima B. Virginis peccatum originale agnoscere videtur, hac semper utitur ratione; *quia si peccatum nullum nec veniale nec mortale nec originale contraxisset B. Virgo, sequeretur non fuisse à Christo redemptam, sicuti enim medicina supponit morbum, ita redemptio supponit captivitatem, quòd si nunquam captiva, ergo nunquam redempta.* Hanc rationem; *Quia si immunis fuisset à peccato originali non eguisset redemptione* decies in S. Thoma reperiri testatur Cardinalis Sfonderatus, sed falsam atque inanem & pro tali agnitam à S. Thoma fuisse ait; adeoque vel ex falsis principiis, quæ ipsemet pro falsis habuit, argumentatum esse, vel ejus mentem non fuisse ex tali ratione B. Virgini attribuere peccatum Originale; vel denique S. Thomæ suppositam esse tuetur hîc pag. 24. & seq. cui prorsùs assentimur, nisi ipsi adversarii nobiscum S. Thomam, non de actuali contractione, sed tantùm de debito contrahendi peccatum originale interpretandum putent. Inde iis facimus optionem, malintne concedere S. Thomam ex falsis principiis, quæ ipsemet pro falsis semper habuit, argumentatum esse, sicque sibi contradixisse (quod sanè tantô Doctore indignum est; quis enim nisi perfidus in re tam sacra, tantique momenti, pro veris principiis statuat ac venditet necnon aliis persuadere conetur, quæ falsa esse novit, atque alibi professus est?) aut non fuisse ejus mentem ex falso illo principio peccatum originale Deiparæ attribuere, & ideò nunquam attribuisse; quia nunquam aliter attribuit, nisi ex falsa illa & invalida ratione; *quia aliàs non eguisset redemptione.* Aut illum intellexisse, quia, nisi debitum contrahendi peccatum originale habuisset B. Virgo, sequeretur non fuisse redemptam, aut denique hanc clausulam: *Quia aliàs non eguisset redemptione* S. Thomæ suppositam esse. Eligant quid horum malint dicere Adversarii.

Et quidem falsam esse hanc argumentationem habetur ex eo; quia videtur tollere & redemptionem & medicinam præservativam, de quibus tamen in Scripturis sacris, SS. Patribus ac ipso S. Thoma frequens habetur mentio: Eccli. 18. dicitur: *Ante languorem adhibe medicinam.* Psalm. 43. *Qui redemisti David de gladio maligni*, id est, *Goliathi*, cui tamen David nunquam succubuerat. Item Ephes. 5. *Redimentes tempus, quia dies mali sunt*, non quòd tempus semel amissum revocare possimus, sed quia, ne amittamus, præcavere possumus. Et Psalm. 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori;* non quòd David eò semel devenerit, sed quia venisset, nisi Deus prohibuisset.

Ad Scripturæ sensum apertè differunt 10
SS. Patres, S. Augustinus super Genes. ad litt. *Major*, inquit, *gratia impenditur illi, cui conservatur innocentia, quàm cui remittitur culpa.* S. Bernardus Serm. 21. super Cantica ait: *Angelos fuisse redemptos sanguine Christi, non à peccato,*

quod commiserunt, *sed ab eo*, *quod possent committere.* Iterùm S. Augustinus in Psalm. 85. *Liberavit te ab ægritudine non in qua eras*, *sed in qua futurus eras.* Et lib. 1. Confess. cap. 1. *Omnia mibi dimissa fateor*, *quæ te duce non feci*, *&c.*

11 S. Thomas autem, cùm alibi agit de peccato originali agnoscit redemptionem præservativam; nam in 4. Dist. 43. quæst. 1. a. 4. ad 3. *Oportet*, inquit, *quòd quilibet personaliter redemptione Christi indigeat non solùm ratione naturæ; liberari autem à malo*, *vel à debito absolvi non potest*, *nisi qui debitum incurrit*, *vel in morbum incidit; undè dimissio debitorum*, *vel liberatio à malo*, *intelligi non potest*, *si aliquis sine debito*, *vel immunis à malo nascatur.* Ecce S. Thomas hîc admittit redemptionem, quæ non à malo, sed tantùm à debito malum incurrendi liberat; & hæc est redemptio præservativa. Clariùs adhuc ad nostram sententiam loquitur 3. p. q. 52. a. 2. ad 2. ubi, *Christus*, ait, *ad lymbum descendens dolores pœnarum absolvit sanctos Patres præservando ab eis*, *sicut Medicus dicitur solvere morbos*, *à quibus præservat per medicinam.* Et Opuscul. 7. *Deus liberat electos de malis pœnæ tripliciter*, *præservando*, *consolando*, *& dando bona.* Et 1. part. quæst. 20. a. 4. ad 5. repetit sententiam S. Augustini suprà relatam, scilicet, *Major ei gratia fit*, *qui conservatur in innocentia*, *quàm cui remittitur peccatum.* Quid clariùs esse potest ad evincendum, quòd, etiam S. Thomas admiserit redemptionem & medicinam præservativam?

Ad quemadmodum nemo est, qui medicinam præservativam (utpotè quæ à plurimis liberat malis, putà doloribus, vigiliis, siti, &c. quæ morbum consequuntur) curativâ seu eâ, quæ morbum jam supponit, nec à tot malis liberat, sicut præservativa, longè præstantiorem & perfectiorem non asserat; ita nullum est dubium, quin omnes redemptionem illam, quam curativam dicimus, longè imperfectiorem præservativâ concedant. Ad hoc non modò sacræ Scripturæ Sanctorumque Patrum testimoniis inducentibus, sed ultrò ipsa suadente ratione. Tantò quippe perfectior & major est redemptio, quantò à pluribus malis liberat, at multò à pluribus malis liberatur, qui non permittitur peccare (liberatur enim ab actuali culpa, à pudore, à pœnis, & irreparabili innocentiæ jactura) quàm qui actualiter permittitur peccare, quippe talis omnibus his malis est præpeditus.

Ex his ergo manifestè colligitur, malam omninò & falsam esse causalem illam: *Quia si non contraxisset peccatum &c. non eguisset redemptione;* cùm tamen B. Virgo perfectissimè sanguine Christi redimi potuit, licèt nullum contraxerit peccatum, modò fuerit præservata ne illud contraheret. Atqui fuit præservata; Christus enim, utpotè perfectissimus Redemptor sine dubio omnes redimendi modos explevit. Ergo oportuit, ut aliquam creaturam ab omni malo præservaret; perfectissima namque redemptio est, quæ ab omni malo præservat: quænam autem, putas, illa fuit? nonne B. Virgo? Aut si non hæc, quæ alia? At quomodò ab omni malo præservata, si non à peccato originali? Satiùs ergo erit, si nobiscum S. Thomam hîc ita interpreteris: *Si B. Virgo nec peccatum nec debitum illud incurrendi habuit*, *non eguit redemptione*, *&c.* Nisi dicere velis S. Thomam sic argumentatum fuisse: *B. Virgo si est præservata*, *est perfectissimè redempta. Ergo non est redempta.* Proindè ac si dicas: *Ignis est perfectissimè calidus*, *Ergo non est calidus.* Quod quàm absurdum sit nemo non videt.

§. V.

§. V.

12 *Celeberrimi ex Ordine Dominicanorum tenent B. Virginem esse Immaculatè conceptam. Ergo idem tenuit S. Thomas.*

Doctores sacri Ordinis Prædicatorum, qui post S. Thomam floruerunt, ita ejus reverentur doctrinam, ut se illam sequi velle juramentô adstringant. At eorum potior pars (præcipuos hîc tantùm recensebimus) suffragatur immaculatæ Conceptioni. Ergo ne perjuros dicas, quod sanè temerarium prorsùs foret, eos credidisse eandem S. Thomæ fuisse sententiam asseras necessum est.

1mo. Quidem Barcinonæ tabula asservatur ferè à temporibus S. Dominici, qui obiit annô 1221. in qua legitur, quòd libellum contra doctrinam Albigensium confecerit, in quo firmissima veritate confitebatur, *quia B. Virgo fuit immaculatè concepta, quippe de qua Spiritus sanctus per Salomonem dixit: tu pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Piumque suum effatum per miraculum, libellô ex igne, in quem projectus fuerat, inustô retractô confirmavit. Hæc de S. Dominico in memorata tabula, quæ Barcinonæ in Archiviis asservatur, leguntur. Porro hujus miraculi meminerunt Petrus Canisius, lib. 1. de Deipara, cap. 7. Salmeron, in Epist. ad Rom. Coccius, lib. 3. Thesauri, a. 1. Petrus de valle Cervi Cisterciensis, in Histor. Albigensium cap. 7. & ex illo Alexander Natalis ad Sæculum 13tium pag. 285. Gotischalchus, qui vixit ante Sixtum IV. Papam, in Serm. de Concept. B. V. editionis Hagenaviensis annô 1520. Hic author expressè scribit S. Dominicum in prætacto libello contra Albigenses defendisse immunitatem B. Virginis ab Originali peccato. Ejus libri meminit Suarez, 3. part. quæst. 27. D. 3. Sect. 15. Vasquez, D. 117. Lausanius in Vita S. Dominici, lib. 1. cap. 3. Surius Tom. 4. Senensis in Bibliotheca. Vincentius Beluacensis, qui 35tô post S. Dominicum annô obiit, in Speculo Histor. lib. 29. cap. 96. (*a*) Verba verò S. Dominici lib. de carne Christi, cap. 17. inter alia hæc sunt: *Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledictâ formatus; ita decuit in secundo Adam fieri.* Reputa jam tecum, an credi possit, S. Thomam à doctrina sui sancti Institutoris & Patris miraculô ultrò confirmata alienum esse potuisse.

2do. S. Vincentius Ferrerius, qui obiit annô 1419. cujus verba superiùs §. 1. jam retulimus; insuper Serm. de B. Virginis Conceptione, hæc eloquitur: *De nullo Sancto fit Festum Conceptionis nisi Christi & B. Virginis.* Et Serm. 2. de Nativit. *Non credatis*, inquit, *quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim ac anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in cælo celebraverunt Festum Conceptionis.* Allegat quidam, Bandellus nomine, contra Immaculatam Conceptionem S. Vincentium, sed planè corruptum, ut videre est apud Nierenbergium, in Except. Concil. Trident. pag. 244. Ex quo magis confirmatur, quod infrà de corruptis & vitiatis S. Thomæ locis & sententiis dicetur.

3tio. S. Albertus Magnus, lib. de Laudibus Virginis super *Missus: Hæc virgo sola*, inquit, *à communi regula excipitur, Omnes in Adam peccaverunt.* Idem, licèt

(*a*) Bzovius Tom. 13. Annalium ad annum 1204. num. 14. & 15. hoc miraculum non S. Dominico Ordinis Prædicatorum Institutori attribuit, sed cuidam alii Dominico Ordinis Cisterciensis.

licèt aliis verbis, repetit in Bibliis Marianis super Evang. Lucæ. Attamen alibi expressis verbis negat B. Virginem fuisse immaculatè conceptam; undè vel mutavit sententiam, vel ejus libri corrupti fuêre, prout de S. Thoma infrà videbimus.

4to. Joannes de Viterbio, de quo Raynaudus Tom. 8. in Tractat. de piet. Lugd. pag. 293. refert, quod primùm negaverit B. Virginem immaculatè conceptam fuisse; at cùm ad mortem infirmaretur, rogavit B. Virginem, ut, si esset immaculatè concepta, donaret illi sanitatem, seque toto vitæ tempore celebraturum & annuntiaturum populis immaculatam ejus conceptionem; indè statim integræ restitutus sanitati, non cessavit, ut promiserat, id ægrè licèt ferentibus Sodalibus suis, deprædicare & propugnare immaculatam B. Virginis Conceptionem.

5to. Joannes Taulerus, Serm. 1. de Purificat. B. V. *Culpæ Originalis*, inquit, *perpetuò expers fuit.*

6to. Joannes Bromiardus suprà §. 1. citatus; ubi vide.

7mo. B. Ludovicus Bertramus, Serm. de putissima Virgine, cui initium: *In hoc Sermone sunt quatuor partes* Sic inter alia loquitur: *Maximum beneficium fuit, quo in sua Conceptione ab originali labe præservata fuit.* Obiit autem Bertramus annô 1381.

8vo. Venerabilis Hieronymus Lanuza Episcopus Balbassarensis & Albaracinus, undecim rationibus immaculatam B. Virginis Conceptionem probat, quas refert Hieronymus Fusar in ejus vita, lib. 3. c. 12. Obiit Lanuza an. 1625.

9no. Magister Casparus Catalan, Epist. ad Joannem Bapt. de Lanuza; de qua vide suprà §. 1.

10mo. Ambrosius Catharinus Archi-Episcopus Compsanus integrum edidit Opusculum pto Immaculata Conceptione. Obiit annô 1552.

11mo. Jacobus de Voragine Archiepiscopus Genuensis in Historia Lombardica, binas historias & miracula refert, quæ in confirmationem Immaculatæ Conceptionis contigêre. Obiit an. 1298.

12mo. Vincentius Justinianus, in additionibus ad vitam B. Ludovici Bertrami, commendat miraculum S. Dominici pro puritate conceptûs Virginei suprà hîc relati: & habetur in Officio Bernardini de Bustis approbato à Sixto IV. in tertia die Octavæ, Lect. 4tâ. Et in Historia Albigensium Petri Larnensis, c. 7. quamvis in novis editionibus abrasa sit.

13tio. In Breviario perantiquo, quo utebantur Patres Dominicani, quodque asservatur in Bibliotheca Regia Escurialis, recitatur historia, quæ, ut Baronius in annotationibus ad 8. Decembris refert, occasio fuit S. Anselmo scribendi pro Immaculata Conceptione.

14to. Patres provinciæ Hispaniæ Paulo V. supplicant pro recitatione Officii Immaculatæ Conceptionis, prout suprà §. 1. jam retulimus.

15to. Armandus de Belloviso Magister sacri Palatii, Collat. 4. *Surgere*, inquit, *non est nisi cadentis, & quia B. Virgo in peccatum Originale veraciter cecidisset, nisi præservaretur, & omni privilegiô seclusô ideò dicitur: Surrexi & adhuc sum tecum.*

16to. Extat Decretum editum Præside Alberto de las Casas &c., & Hispali impressum annô 1524. hujus tenoris: *Quia Ordo Prædicatorum sustinuit hucusque opinionem, quòd B. Virgo concepta fuit in peccato originali; sed jam de hoc non est curandum &c. cùm tota ferè Ecclesia, cujus usus & auctoritas secundùm D. Tho-*

D. Thomam 2. 2. *q.* 10. *a.* 12. & 3. *part. q.* 68. *a.* 10. *prævalet dictis alterius cujuscumque Doctoris, jam afferat, quòd fuit præservata.*

17mo. Antiquissimum Martyrologium PP. Dominicanorum annô 1254. conscriptum ad diem 8. Decembris sic habet: *Conceptio S. Mariæ Virginis, Festum duplex.* Idem habet Martyrologium annô 1579. jussu Seraphini Cavalis Generalis Ord. Prædic. editum; & in libello, cui titulus: *Horæ B. Mariæ Virginis ad usum FF. Prædicatorum Ordinis S. Dominici*, editô Parisiis annô 1529. Item Raymundus Lullus in Prologo Tractatûs *de Conceptione* fatetur, an. 1250. Festum Immaculatæ Conceptionis fuisse à PP. Dominicanis celebratum in Galliis.

18vo. Palaus & Alvarus Pizarus testantur, B. Raymundum de Pennafort, qui annô 1230. in vivis agebat, sæpiùs è Cathedra pro Immaculata Conceptione dixisse.

19no. Vincentius Cassali, qui floruit sub an. 1217. in nonnullis tractatibus Panegyricis Mysterium Immaculatæ Conceptionis multifariàm & acutè explicat.

20mo. Vincentius Belluacensis in suo Speculo Historico circa annum 1244. lib. 7. cap. 121. affert & laudat verba S. Ildefonsi, quibus Immaculatam Conceptionem affirmat.

21mo. Joannes de Fennario Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, referente Ambrosio Catharino in Disput. ad Concilium Tridentinum part. 1. col. 66. dicere solebat: *Antiquiores Magistros, quantò magis docti, & sancti essent, tantò magis eam sententiam ultrò amplexaturos, non quidem sectantes alios, sed cunctos ipsi antevertentes, animo multò promptiore, ac propensiore pro gloria Matris Dei.*

22do. Annô 1635. in Capitulo Beneventano editum est sequens Decretum: *Nostri Religiosi, & Communitates assistant concionibus & festis bujus Mysterii*, Immaculatæ Conceptionis, & *aliis actionibus publicis, & in omnibus occasionibus laudetur, glorificetur, & sustentetur prædicta doctrina.*

23tio. Sunt adhuc plurimi præter enumeratos, quorum aliquos duntaxat recensebimus. Nierembergius in Except. Concil. Trident. pag. 194. duodecim Magistros sacri Palatii enumerat, quinque Generales, & centum circiter Doctores, inter quos Hugo Cardinalis in cap. 1. & 10. Lucæ, qui vixit sub an. 1250. Paludanus in Sermonibus tribus de Conceptione annô 1320. Herveus Generalis in Comment. Epist. 2. ad Corinth. annô 1325. Bartholomæus de Pisa, Tractat. de Virg. fruct. annô 1335. Holchot, in Sapient. num. 160. annô 1349. Sanctius de la Puente Magister sacri Palatii, Serm. de Concept. annô 1419. Leonardus de Utino in Sanctorali, Serm. 12. annô 1445. Petrus Dore, lib. de Idea virtutum cap. 1. & 2. annô 1500. Jacobus Austratus, lib. 3. Moral. cap. ult. annô 1522. Claudius de Rosa, in Opere aureo, pag. 185. annô 1519. Albertus de las Casas Generalis, & cum eo Capitulum Provinciale Andalusiæ, an. 1523. Joannes de sancto Geminiano lib. Sermonum, annô 1529. Hugo de Prato, Serm. de Annunt. annô 1540. vel 1522. Balthasar Sorio, in Mariali, annô 1540. Soto de nat. & grat. cap. 7. & ad Rom. cap. 5. annô 1550. Catharinus, Tract. de Concept. cap. 6. annô 1552. Mancius Professor Salmanticensis, annô 1560. Ludovicus Granatensis, annô 1570. Justinianus Antistius, in Additionibus. Balthasar Arias, Stephanus Mendez, Raymundus Pasqual, in Comment. Epist. ad Rom. annô 1595. Alphonsus de Ca-

brera, Tom. 1. pag. 79. annô 1596. Manuel Vagas, Serm. de Incarn. pag. 7. Antonius Navarrus in tribus Concionibus. Pius V. Pontifex Maximus, qui FestumConceptionis præcepit. Guilelmus Pepin, Rosar. aureo Sermone 15. Petrus Lavinius, in Opere de B. Virgine, Gothico charactere exaratô, quod habetur in Camberiensi Collegio Soc. JEsu. Joannes Herold cognomento Discipulus, Serm. 5. de Sanctis. Joannes Wigerius, cap. 18. Instit. Theolog. §. 5. Petrus Auratus celeberrimus Galliæ Ecclesiastes, in Imagine virtutis, cap. 1. 2. & 3. Nicolaus Coiffetau in tabula innocentiæ. Laurentius Guittierez, Serm. de Immaculat. Concept. Plures adhuc sunt tùm pietate, tùm scientiâ præstantissimi ex ordine Prædicat. Doctores, qui Immaculatæ Conceptioni & voce, & calamo, adstipulati sunt, quos passim apud Authores videre est. Nos præsentem paragraphum claudimus adjunctô adhuc testimoniô celebris illius Parisiensis Doctoris Theologi Alexandri Natalis, qui Tom. 2. ad Sæculum 13. & 14. Differt. 16. §. 20. hæc eloquitur: *Antiqui Patres, quos Augustinus adversùs Pelagianos in aciem educit, & Augustinus ipse de peccati originalis debito facilè exponi possunt; cùm enim ex Adamo B. Virgo propagata fuerit, communi lege peccati originalis contrahendi tenebatur, illudque re ipsa contraxisset, nisi singulari Redemptoris servata fuisset beneficiô, &c.* Et ad finem: *Sententiam*, inquit, *de Immaculata Conceptione non solùm ut probabilem & piam, sed ut propriam facultatis nostra Parisiensis doctrinam propugnabimus, si de ea dicendi, scribendive detur occasio.*

Si ergo S. Dominicus ipse, præcipuique ex hoc sacro agmine Doctores pro Virginis nostræ innocentia militant; quis dubitet, eundem sensum, eandemque sententiam S. Thomæ fuisse? Aut hunc desererent, cujus doctrinæ juramentô se adstringunt; nisi crederent, eum ita sensisse? Quisquis ergo B. Virginis inimicus nobis adversaris, prudentiùs agere videberis, si, quemadmodùm ii, qui collabentem jam jam domum vident (quod de muris Plinius scribit) fugo se subducunt, etiam tuam deseras opinionem. Quid enim, ut cum Vincentio Justiniano in addit. ad vitam B. Ludovici Bertrami cap. 3. §. 14. loquamur, contra piam opinionem scribere, aut docere, aut concionari velle, aliud est, quàm malè canere, & in malo cantu durare, atque occasionem dare, ne illud Terentii occinatur: *Frustrà niti, & laborando nihil aliud, quàm odium quærere, extrema dementia est.* Tuæ sententiæ jam desunt Cathedræ, Suggesta, Confessionalia, Libri, jam Regum diademata, jam Episcoporum Mitræ, jam Cardinalium Galeri, jam Pontificum Thiaræ, & ipsamet Concilia, quando Tridentinum omninò protestatum est, non esse suæ intentionis in decreto de peccato originali Deiparam comprehendere.

§. VI.

Sensus Ecclesiæ auctoritati omnium 13
Doctorum præstat. Ergo Beatissima Virgo ex sensu S. Thomæ est immaculatè concepta.

S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 12. *Dicendum est*, inquit, *quòd maximam auctoritatem habet Ecclesiæ consuetudo, quæ semper in omnibus est æmulanda, quia & ipsa auctoritas Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet; undè magis standum est auctoritate Ecclesiæ, quàm auctoritate Augustini, aut Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris.*

Judicet inter nos & Adversarios Angelicus Doctor: ponamus, pro iis omnes illos

illos ſtare, quorum nominibus glorian-tur; pro nobis verò ſolam auctoritatem uſumque Eccleſiæ; cui litem adjudica-bit S. Doctor? Certè ei, cui favet Ec-cleſia. At quis negare auſit pro nobis ſtare Eccleſiam, cùm ab ejus propè in-cunabilis, ipſorumque Apoſtolorum tem-pore ad noſtra usque tempora hæc no-ſtra de immaculato conceptu veritas tradita, transmiſſa, & propagata fuerit.

Et quidem jam in ipſo Apoſtolorum Concilio aſſertam, atque Apoſtolorum doctrinâ Immaculatam Conceptionem B. Virginis confirmatam fuiſſe, teſtis eſt Luitprandus, qui floruit circa an. 946. in Chronico ad annum 676. ubi *Imma-culatam*, ait, *Conceptionem Apoſtoli præ-dicaverunt ubique.* Item Julianus, qui floruit circa annum 1036. Bernardo To-letano Epiſcopo à ſacris Confeſſionibus, in ſuis adverſariis num 395. *Traditio*, inquit, *fuit ab Apoſtolis in Concilium congregatis, B. Virginem Mariam ori-ginali peccatô intactam eſſe.* Et in Chro-nico, ubi agit de Bernardo Archiepiſco-po: *fecit celebrare devotiùs Feſtum Im-maculatæ Conceptionis, quod prædicavit in Hiſpania S. Jacobus, & incæpit ab Apoſtolis hoc in Concilio decernentibus.* Idem habet Flavius Dexter, qui floruit circa finem quarti Sæculi, in Hiſtoria perpetua, ſcilicet, *quòd Jacobi prædica-tione celebretur in Hiſpania Feſtum Im-maculatæ Conceptionis.* Hujus etiam me-minit S. Hieronymus, lib. de Scriptori-bus Eccleſ. ad an. 368. n. 9.

Inſuper hujus Apoſtolicæ Traditionis luculentiſſimum eſt teſtimonium S. An-dreæ Apoſtoli, cujus verba in Epiſtola Presbyterorum Achajæ an. circiter 50mô à morte Chriſti conſcriptâ ſic expreſsè referuntur: *Sicut primus Adam formatus eſt ex terra, ant quam eſſet maledicta, ita ſecundus formatus eſt ex terra Virgine nunquam maledicta.* Hanc Epiſtolam ve-lut legitimam agnoſcunt Surius, 30mô Novembris, Bellarminus, lib. de Script. Eccleſ. Alexander Natalis, ad Sæculum I. S. Bernardus, Serm. 1. de S. Andrea. Indè etſi Gelaſius I. Innocentius. I. Phila-ſtrius, & ipſe S. Auguſtinus, quædam acta S. Andreæ rejiciant; non loquuntur de actis Presbyterorum Achajæ, ſed de qui-busdam actis à Nexocharide, & Leonide Philoſophis, atque à Manichæis & Lucio conſcriptis, quæ fabulis, narrationibus impudicis, necnon Manichæorum errori-bus ſcatent.

Item in Sacello Eccleſiæ Segovienſis, quam fundavit B. Jerotheus S. Pauli di-ſcipulus hæc inſcriptio legitur: *A tem-pore Jerothei B. Pauli diſcipuli, & hujus Civitatis primi Præſulis, illibatam Con-ceptionem ſanctæ Virginis hac Eccleſia tuetur & celebrat.* Vid. Velasquez pag. 339. de Immaculata Concept. Qui pag. 309. etiam refert, in monte ſancto pro-pè Granatam inter alios plumbeos libros unum reperiri à S. Cteſifonte Martyre ac S. Jacobi diſcipulo exaratum, in quo hæc verba leguntur: *Illa Virgo, illa Maria præſervata fuit à peccato originali in primo inſtanti ſuæ conceptionis, & libe-ra ab omni culpa.*

Demum Weſtmonaſterienſis in ſuo Chronico annô 1228. & Galatinus, lib. 7. cap. 4. teſtantur, *celebrationem Con-ceptionis in Eccleſiis Armeniæ, Ægypti, Syriæque, Apoſtolos inſtituiſſe.*

His ritè perpenſis meritò Suarez, Theologus planè graviſſimus & mode-ſtiſſimus, 3 p. q. 27. a. 2. Sect. 6. ſcri-bit: *Hæc veritas à ſanctiſſimis & anti-quiſſimis Patribus, &, ut creditur, etiam ab Apoſtolis tradita eſt.*

Poſt tempora Apoſtolorum multa ſunt & paſſim edita argumenta & exempla, quibus oſtenditur, in Eccleſia perpetuam

Zzzzz 2 de

de Immaculata Conceptione viguisse traditionem.

Sæculô etenim III. S. Cyprianus, lib. de cardinalibus Christi operibus, cap. de Nativit. loquens de B. Virgine: *Spiritu sancto obumbrante*, inquit, *incendium originale extinctum est, nec sustinebat Justitia, ut vas illud electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimùm à cæteris differens naturâ communicabat, non culpâ.* Eodem Sæculo S. Amphilochius Iconii Episcopus, Orat. 4. in Deiparam, quam latinitate donavit Franciscus Combefis Dominicanus, p. 42. *Quid*, ait, *stulte à veritate dissentis? qui enim antiquam illam Virginem sine probro condidit, & secundam sine nota & crimine fabricatus est.*

Sæculô IV. scilicet annô circiter 390. floruit S. Hieronymus (*b*) in cujus Martyrologio mentio fit Festi Conceptionis. Idem in Psal. 77. ait: *Nubes illa*, B. Virgo, *nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce.* S. Augustinus, qui obiit annô 430. lib. de natur. & gratia, cap. 36. *Excepta*, inquit, *B. Virgine, de qua propter honorem Domini, nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem; indè enim scimus, quòd plus gratiæ collatum ei fuerit ad vincendum omni* NB. *ex parte peccatum.* Plura adhuc ex S. Augustino testimonia in decursu hujus Opusculi afferentur. S. Eucharius ejusdem Sæculi author Hom. 2. de Nativit. Domini, asserit B. Virginem per se quidem non esse immunem à peccato originali, at *esse tantùm debitricem.* S. Cyrillus Archiepiscopus Alexandrinus, lib. 6. cap. 15. in Joan. Evang. ait, omnes contrahere peccatum originale, *excepto illo, qui de Virgine natus est, & ejus Matre.* Idem habet Serm. contra Nestorium.

Sæculô V. floruit S. Sabbas Sacrorum Menæorum collector, & Ritualis author. Hic die 12. Febr. Ode 5. die 18. Ode 6. Die 3. Jan. Ode 9. *Deiparam absque nævo, ab æterno mundam, in qua primi parentis lapsus non substitit, pronuntiat.* S. Andreas Cretensis, in Canone Ecclesiast. Ode 3. & 50. *Anna*, inquit, *concepit intemeratam, puram sobolem: hanc ceu solam immaculatissimam beatam dicamus, ejus sanctam Conceptionem colamus.* Floruit Sæculô VI. circa an. videlicet 560.

Sæculô VII. S. Ildefonsus (*c*) (de quo vid. Trithemium, lib. de Scriptor. Eccl.) lib. de partu Virg. *Constat*, inquit, *illam ab omni peccato originali fuisse immunem.* Ante illum S. Isidorus (*d*), in emendato suo Missali Hispanico, quod jussu Concilii Toletani IV. emendârat, octavô Decembris ponit Festum Conceptionis. Item in præfatione hæc habentur: *Dignum & justum est omnipotens Pater tibi in Conceptione Virginis Mariæ, &c.*

Sæculô VIII. S. Joan. Damascenus, qui obiisse perhibetur annô 731. Orat. 2. de Assumptione Virginis: *Hodie*, inquit, *Heden spiritualem novi Adam paradisus suscipit, in quo condemnatio abrogata, ad quem serpens aditum non habuit.* Item Venerabilis Beda, qui annô 735. obiit, in suo Martyrologio ad diem 8. Decemb. ponit *Festum Conceptionis B. Virginis Mariæ.*

Sæculô IX. floruit, ut vult Bellarminus, Idiota, qui in Contemplatione B. Virginis, cap. 2. ait: *Macula peccati sive originalis, sive actualis, nunquam fuit in te Virgo gloriosissima.* Eodem Sæculo Joannes Papa X. approbavit Isidori Missale. Vid. Ambrosium Moralem lib. 12. cap. 19.

Sæculô

(*b*) Obiit annô 420. (*c*) Obiit annô 667. (*d*) Obiit annô 636.

Sæculô X. Fulbertus Carnotensis, in Expositione salutationis Angelicæ: *Electa es*, inquit, *insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tua creationis.*

Sæculô XI. S. Petrus Damianus, Serm. de Assumptione: *Caro Virginis*, ait, *ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit.* S. Anselmus variis locis tuetur Immaculatam Conceptionem, ita ut de eo nullum sit dubium. In Commentariis in 2. Corinth. c. 5. *Omnis*, inquit, *mortui sunt peccato, dempta Matre Dei, sive originalibus, sive propria voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo.* S. Bruno Institutor Ordinis Carthus. in Psal. 105. *Hæc enim incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vita viam agnovimus.*

Sæculô XII. S. Bernardus Abbas Clarevallensis, Serm. de privilegiis S. Joannis Baptistæ, edit. Lugd. annô 1530. ait: *Quicumque de massa prævaricante mundum ingredimur, longam restem originalis peccati nobiscum trahimus; solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, & quæ eum virginalis sui uteri thalamô ignorans virum, & ignota viro terris effudit.* Hæc ultima verba in recentioribus editionibus esse mutata affirmat Cardinalis noster Sfonderatus, at qua manu ignorat. Plura S. Bernardi testimonia referemus infrà §. 10. S. Bernardus Archiepiscopus Toletanus Ordinis S. Benedicti, Serm. 4. super *Salve Regina* hæc eloquitur: *Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis.* S. Norbertus Religionem suam in honorem Immaculatæ Conceptionis, juxta communem & unanimem familiæ suæ traditionem instituit: ita etiam præter Missalia, Breviaria, Processionalia, & Diurnalia Præmonstratensium, necnon Diploma & Privilegium Caroli VII. Francorum Regis, testatur Quintanilla ejusdem Ordinis Generalis, Epist. ad Philippum Regem.

Sæculô XIII. Alexander de Ales integrum librum, teste Guillielmo Borilongo in 3. Sent. dist. 3. scripsit de Immaculata Conceptione. Albertus Magnus lib. de Laudibus Mariæ dicit: *Hæc Virgo sola à communi illa regula excipitur, omnes in Adam peccaverunt.* Et in Bibliis Marianis in Evang. Lucæ: *Væ culpæ*, inquit, *est triplex, scilicet originalis, actualis mortalis, & venialis, sine isto multiplici Væ fuit B. Virgo Maria.* Sed de S. Alberto plura inferiùs. S. Thomam hîc non recensemus, quippe de quo tota hæc Dissertatio est instituta.

Sæculô XIV. floruit Joannes Dunz Scotus, quem Immaculatæ Conceptionis defensio toto orbe celebrem reddidit, *Subtilisque* titulô donavit. Ita Cajetanus in Opusc. de Concept. Suarez Tom. 2. in 3. p. D. Sect. 5. Bellarminus de Script. Eccles. ad Sæculum 13. Waddingus, &c. & post eum sententia de Immaculata Concept. in omnibus Scholis invaluit.

Sæculô XV. S. Vincentius Ferrerius. De eo vide sup. §. 5. & §. 1. Petrus de Alliaco in Meditatione super Salutatione Angelica, hisce B. Virginem alloquitur: *Meruisti .... ut sola esses sine Væ (ut piè creditur) originalis.* Gerson Serm. de Concept. Tom. 4. Operum, consideratione 1ma. *Spiritus*, inquit, *interdum revelat Ecclesiæ vel Doctoribus aliquas veritates .... quas non revelavit prædecessoribus. .... Quapropter dicere possumus hanc veritatem, B. Virginem non fuisse conceptam in peccato originali, de illis esse veritatibus, quæ noviter sunt revelatæ, vel declaratæ tam per miracula, quàm majorem partem Ecclesiæ, quæ hoc modò tenet.* S. Bernardinus Senensis, Tom. 1. Serm. 52. de Salutat. Angelica. *Fuit B. Virgo sine primo Væ, id est sine tyran-*

tyranno concupiscentiæ originalis, quia sine ipso concepta est. . . . Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, prologô in S. Hieronym. *B. Virginem sine originali macula conceptam fuisse nullo modo nego, sed toto animo confiteor.* B. Laurentius Justinianus, Tract. de casto connubio Verbi, cap. 7. *Hæc est originalis pœna delicti, à qua nemo liber extitit: quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine (excepto duntaxat Mediatore Christo JEsu, & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi.* Hoc quoque Sæculô Facultas Parisiensis solemni decretô statuit, ut omnes hujus Falcultatis Doctores Conceptionem immaculatam jurarent. Trithemius in Chronico sui Monasterii Spanhemensis, & in lib. de laudibus S. Annæ egregiè Immaculatæ Conceptioni patrocinatur.

Sæculô XVI. Sanctus Salesius Anicii Sodalitium instituit sub titulo Immaculatæ Conceptionis &c. Transimus aliorum Doctorum nomina, quia ferè innumeri sunt, qui posteà pro Immaculata Conceptione scripserunt.

Ex his patet, quia sententia de Immaculata Conceptione antiquissima est, & à primis Ecclesiæ primordiis ad nostra usque tempora propagata, ut proindè ad eas veritates pertinere videatur, quæ Religioni coævæ sunt. Sed age ostendamus, hanc etiam totius Ecclesiæ mentem esse, id est, omnium Ordinum, omniumque Ecclesiæ membrorum.

Quod Summos Pontifices attinet, clariùs mentem explicare non poterant. Annô 1476. Sixtus IV. jam suprà §. 3. relatus in *Extrav. Cùm præcelsa.* de Reliquiis & venerat. Sanctor. concedit indulgentiam ac remissionem peccatorum iis, qui Missam & Officium Conceptionis B. Virginis in ipso festivitatis die, & per ejus Octavam devotè celebrarint. Innocentius VIII. Diplomate, cujus initium est: *Inter munera.* eximiè collaudat Reginam Catholicam, ob singularem, quem ad Conceptionem B. Virginis Mariæ gerit, devotionis affectum. Alexander VI. in Motu proprio, quod incipit: *Illius qui.* recitato Sixti IV. Diplomate, *auctoritate Apostolica Decernimus*, inquit, *præinsertas litteras, ac omnia & singula in eis contenta, inviolabiliter observari debere.* Julius II. Diplomate, *Ad statum.* annô 1511. regulam constituit observandam à Monialibus sub invocatione Conceptionis; ubi inter alia ait: *Immaculatam Conceptionem venerantes; &c.* Leo X. in Bulla annô 1518. *Pia Christi fidelium.* vocat *Conceptionem immaculatam, &c.* Adrianus VI. Bullâ *Romanus Pontifex.* annô 1522. confirmat Confraternitatem Toletanam in honorem Immaculatæ Conceptionis, in qua primus Confrater erat Carolus V. Imperator. Clemens VII. Officium Conceptionis B. V. M. approbavit. Paulus III. confirmat omnia privilegia Religionis Immaculatæ Conceptionis. Julius III. Paulus IV. & Pius IV. varias indulgentias concedunt Monialibus Conceptionis. Pius V. confirmat Extravagantem Sixti IV. Gregorius XIII. variis Diplomatibus quamplurima Monasteria Conceptionis B. Virginis in Hispania & Indiis ædificari concedit. Sixtus V. in Bulla, *Ineffabilia.* annô 1588. vocat *Conceptionem purissimam.* Clemens VIII. confirmat Sixti IV. & Pii V. Constitutiones de Immaculata Conceptione. Paulus V. in generali congregatione S. Inquisitionis annô 1617. prohibet, ne in lectionibus, conclusionibus, & aliis actibus publicis, *opinio tenens B. Virginem in peccato originali conceptam, doceatur.* Idem in Brevi ad Philippum III. annô 1617. vocat *Immaculatam Conceptionem.* Gregorius XV. annô 1622. prohibet, ne quis in privatis colloquiis audeat affirmare *B. Virginem in peccato originali conceptam esse.* Urbanus VIII. confirmat Religionem

gionem militarem sub invocatione Conceptionis, quam instituit Nivernensis posteà Mantuanus Dux. Alexander VII. annô 1661. renovat Diploma Sixti IV. Pauli IV. Gregorii XV. in favorem Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ: insuper asserit veterem esse Christianorum sententiam, B. Virginis animam in primo instanti creationis suæ à peccato originali præservatam fuisse, & omnes ferè Catholicos id amplecti, &c. Ecce nobiscum sentiunt Summi Pontifices.

Sed nec minùs Universitates, id est, flos omnium Ecclesiæ Doctorum. Tales sunt Universitates Salmanticensis, Complutensis, Vallisoletana, Toletana, Hispalensis, Granatensis, Saguntina, Lexoviensis, Compostellana, Baëzensis, Osnatensis, Cæsar-Augustana, Valentina, Grandensis, Barcinonensis, Tarraconensis, Ilerdensis, Oscensis, Mexicana, Limensis, Conimbricensis, Eborensis, Parisiensis, Moguntina, Viennensis, Oenipontana, Friburgensis, Salisburgensis, Tolosana, Lovaniensis, Bononiensis, Neapolitana, Oxoniensis, Cantabrigiensis, &c. &c. Accedunt omnes sacri Ordines: Ordo Benedictinus, Carthusianus, Cisterciensis, Cælestinus, Præmonstratensis, Augustinianus, Carmelitanus, SS. Trinitatis, Hieronymianus, Seraphicus, Societatis JEsu; &, ut suprà recensuimus, quamplures ex Dominicana Familia. Sequuntur Theologi omnium nationum, Itali, Hispani, Galli, Germani, Poloni, Scoti, Angli, Belgæ, Lusitani, Græci, quorum longum catalogum texit Raynaudus, Tract. de piet. Lugd. ut omittam Hierosolymitanos, Syros, Armenosque citatos à Petro Ojeda, in Apolog. pro Immacul. Concept. cap. 2. Insuper testatur Nicolaus Lancinius Opuscul. 11. c. 13. Omnes Episcopos, qui in Concilio Tridentino deputati erant ad tractandum de Immaculata Conceptione asseruisse B. Virginem fuisse sine peccato originali conceptam, quinque tantùm contradicentibus. Hæc & alia se legisse, & ex originalibus actis Concilii Tridentini descripsisse annô 1599. asserit citatus Nicolaus Lancinius.

Tacemus omnes Principes, Reges, Imperatores, omnesque Christi fideles, qui hanc sententiam tenent, suoque & omnium Clericorum necnon Sacerdotum ore, precibus, & Sacrificiis toto orbe Catholico profitentur. Quis, amabo, est sensus Ecclesiæ, si ille non est, quem omnes populi, omnes Principes, omnes Sacerdotes, omnes Theologi, omnes Academiæ, omnesque Pontifices, non in Scholis tantùm, sed in Eclesiis palam decantant? An non hîc meritò locum habet illa S. Augustini sententia, Epist. 7. ad Marcellinum: *Scripturarum auctoritas necessaria non est, si ipse sensus communis verum esse proclamat.* Et Epist. 99. *Ecclesia ferè tota consentit, quod eam non inaniter credidisse, credendum est, undecumque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas.* Quid ergo te retrahit? cur toti Ecclesiæ piè invitanti manus dare renuis? cur B. Virginem in suo conceptu immaculatam testanti non credis? an ignoras, *quia meliùs omnibus quàm singulis creditur; singuli enim decipere & decipi possunt; nemo omnes, & neminem omnes fefellerunt?* Plinius panegyr. ad Trajanum.

§. VII.

Miracula fieri non possunt, nisi in testimonium veræ doctrinæ. Ergo B. Virgo est immaculatè concepta. 14

S. Thomas Quodlib. 2. a. 6. ita loquitur: *Contingere non potest, quòd quis falsam*

falsam doctrinam annuntians vera miracula faciat, quæ nisi virtute divina fieri non possunt; sic enim Deus esset falsitatis testis, quod fieri non potest. Id ipsum repetit 3. p. q. 47. a. 4. Estque expressa Christi sententia, cùm dicit: *Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.* Si ergo ostendi possit sententiam, quæ favet Immaculatæ Conceptioni, fuisse miraculis confirmatam; ex mente S. Thomæ necessariò sequetur, verum esse, nec falsam esse posse. Age igitur miracula examinemus à viris huc dignissimis recitata.

Primò quidem annô 1484. ut refert Raynaudus, in piet. Lugd. pag. 274. Beatrix de Sylva Lusitana è Parthenone Ordinis Cisterciensis, novum Ordinem Immaculatæ Conceptionis auspicata fuerat, & Diploma Pontificium aquis, dum Româ in Hispaniam pervehitur, mersum, Archi-Episcopô Toletanô, & Episcopô Accitanô, universôque populô mirantibus in scrinio salvum reperit.

Secundò, ut scribunt Joannes Serranus Episcopus Acernensis, Joannes Nierenbergius, in cap. 4. vitæ S. Ignatii. Franciscus de Torres, D. 2. de Concept. c. 4. Sebastianus Abren, in Commentariis ad 1. 2. S. Thomæ, Tract. 15. D. 6. Josephus Minot Canonicus & Vicarius Generalis Ecclesiæ Barcinonensis in publico instrumento ad S. R. E. Cardinales dato die 20. Decembris annô 1653. Christophorus Bernardus de Quiros Inquisitor, cui, ut hoc miraculum examinaret, commissum fuerat. Benedictus Gonenus in Chronico ad annum 1430. Nierenbergius in Parthenone pag. 410. Mauressæ Civitate Hispaniæ quidam Franciscus Mulet Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Vicensis defunctus, paulò antequam humaretur, vivus surrexit, atque novem horas post resurrectionem vixit ad hoc unicè, ut testaretur Immaculatæ Virginis Conceptionem.

Tertiò. Annô 1650. die 13. Decembris P. Franciscus Calderon Soc. JEsu in Epistola, quam ad Europæos scribit, testatur, in Episcopatu Michuacani, sive Tarascorum oppido, quod vocatur Villa de Jauna, trunco per medium scisso insculpta hæc hispanica verba: *Marica concipida sin peccato*, inventa fuisse.

Quartò. Annô 1657. ut Raynaudus in piet. Lugd. pag. 324. refert, Cardinalis Rappaciolus stranguriâ ad mortem usque laborabat, à qua tamen liberatus fuit, postquam schedam, cui sequentia verba inscripta erant: *In tua Conceptione Virgo immaculata fuisti, ora pro nobis Patrem, cujus Filium genuisti*, deglutierat.

Quintò. Ut Marracius cap. 37. *fundatorum Marian.* scribit: Venerabilis Joannis à S. Cruce, quem post S. Theresiam Patrem Carmelitæ agnoscunt, membris post funus purissimæ Conceptionis, quam singulariùs coluerat, imago impressa visebatur.

Sextò. Famianô Stradâ, lib. 7. Belli Belgici, memorante, annô 1585. Navalis Hispanicus exercitus, gravi clade sibi à Batavis intenta, postquam votô se erga Immaculatam Virginem adstrinxerat, feliciter, non sine prodigio, liberatur.

Septimò. Annô 1653. ut narrat P. Pexenfelder in Concionat. Historic. Hist. 99. atque tota Hispania testatur, Leodii urbe Regni Valentiæ, Antonius de Guerro S. Theologiæ Doctor pulcherrimum & candentissimum inter spinas lilium reperit, in quo visebatur imago Immaculatæ Virginis bulbo floris eleganter impressa palliô radiisque vestita, & Dracone ad pedes jacente, &c.

Octavò.

Octavò. Memorat Spondanus ad annum 1350. num. 4. Item Henricus de Hassia Carthusianus ejus temporis Scriptor. Magnum Chronicon Belgicum. Langius in Chronico. Mayerus lib. 13. aliique apud Spondanum. Cracoviæ Monachum quemdam in concione ad populum maculatam in conceptu B. Virginem inclamantem, necdum finito Sermone, subita morte correptum cecidisse.

Nonò. Bellarminus coram Pio V. retulit annô 1617. Naves, quæ signô Immaculatæ Conceptionis caruère, undis mersas fuisse, cæteris feliciter appellentibus.

Decimò. Innumera sanè sunt alia miracula, quæ in nostræ sententiæ favorem afferuntur, è quibus tantùm aliqua (aliter nec chartâ, nec tempore permittentibus) hîc inferere placuit; neque refert, quòd fidem divinam non mereantur, sufficit enim, quòd certa sint, ac ea fide digna, ut sine temeritate negari haud possint; nam, ut optimè dicit Canus, lib. 11. de Loc. Theol. cap. 4. Concluf. 4. *Plerique nostra hac ætate perversè, ne dicam, impudenter res, quas esse gestas viri gravissimi testantur, in dubium vocant, qui, si idoneas causas probabilesque redderent, audiendi quidem essent, cùm verò reddant nullas, contemnendi sunt, ut qui communem hominum sensum exuerint; judiciorum humanorum potissima instrumenta, hoc est, testimonia rejecerint, vitæque Magistram, prudentiæ subsidium, lucem veritatis, Historiam neglexerint, &c.*

§. VIII.

15 ***B. Virginem esse immaculatè conceptam, variis rationibus ex S Thoma plerumque desumptis probatur.***

Prima Ratio. S. Thomas 2. 2. q. 70. a. 2. ad 2. docet: *In dubio Judicem faciliorem esse debere ad absolvendum, quàm condemnandum.* Et in cap. 8. Joannis Lect. 1. ad sententiam tres requirit conditiones: *In sententia*, ait, *debent servari tria, benignitas, discretio, & certitudo.* Id quoque legibus humanis ratum est; neminem videlicet, præsertim in causis criminalibus damnandum esse, *nisi ex probationibus luce meridiana clarioribus planè convictum.* Ita habetur leg. 5. ff. de pœnis. Et leg. *Item mala.* ff. ad leg. Aquil. Et C. *Litteras.* de præsumpt. Docentque omnes Juris-Consulti; & id præsertim obtinet in personis magna dignitate conspicuis, v. g. Episcopis, Cardinalibus, in quibus ne illæ quidem probationes sufficiunt, quæ alioquin in Jure pro plenissimis & certissimis habentur, ut loc. cit. idem S. Doctor docet. Ex qua S. Thomæ omniumque communi doctrina sic argumentum conficitur: Nulla ratione probari potest, prout in solutione Objectionum ostendemus, Dei Matrem fuisse originali peccatô fœdatam. Ergo pronuntianda est innocens, quam nemo nocentem probat: Nam *accusante non probante reus absolvitur.*

Secunda Ratio. Constans est S. Doctoris multisque locis repetita sententia, ut in 3. Sent. D. 3. q. 1. a. 1. Quodlib. 2. ad 3. & in 1. Sent. D. 17. q. 2. a. 4. & 3. p. q. 27. a. 2. ad 2. & Opusc. 61. gradu 10. B. Virginem tanta puritate nituisse, quantam Deus puræ creaturæ conferre potuit. Inde hanc propositionem, *Credendum est B. Virgini collatum esse quidquid conferre potuit:* in 3. Sent. dist. 3. art. 1. concedit S. Thomas. Ex hac hujus Angelici Doctoris toties inculcata doctrina sic formatur argumentum: Deus B. Virginem à peccato originali præservare potuit, utpotè omnipotens. Ergo præservavit; *credendum* quippe *est B. Virgini collatum esse, quidquid conferri potuit.* 16

Aut cur, putas, non præservasset? fortè quia pacto cum Adam inito includebatur? at poterat Deus non includere. Ergo voluit non includere. An quia redimi debuit? at longè perfectior est illa redemptio, quæ casurum præservat, quàm quæ jam lapsum sublevat; ut sup. §. 4. ostendimus. An ut post culpam humilior esset? at crescit ex dignitate humilitas, ut patuit in Christo; longeque major potuit esse humilitas innocentis, quàm reæ: suffecit ergo ad humilitatem potuisse cadere, nisi sustineretur. An quia id divinæ Justitiæ ratio postulabat? At Justitiæ divinæ abundè satisfactum erat, omnibus Adami posteris alienæ tantùm culpæ reis, morte damnatis, cœloque exclusis. An proinde alienum à Justitia dices curare & cavere ne delinquas, & à culpa præservare? Demùm demus & id exegisse Justitiam divinam. At quis ita humanum sensum exuerit, ut credat & dicat Deum cum Matre, quam tamen ut filius, quantùm fas erat, honorare debuerat, justitiâ potiùs & severitate, quàm clementiâ procedere voluisse?

17 Tertia Ratio. S. Thomas pluribus locis, ut in 1. Sent. D. 17. q. 2. a. 4. in 3. Sent. D. 3. q. 1. a. 1. Quodlib. 3. & 3. p. q. 27. a. 5. in Corp. Ibid. ad 1. & alibi sæpiùs docet B. Virginem plus gratiæ à Deo accepisse, sicque à Deo plus dilectam esse, quàm fuerint reliquæ creaturæ omnes. Cui adstipulatur S. Bernardinus Senensis, Serm. 51. cap. 3. dicens: *Christum magis venisse in carne mortali pro B. Virgine redimenda, quàm pro omnibus hominibus, etiamsi omnes cum illa conferrentur:* & ideò eam vocat *primogenitam Redemptoris.* Et Suarez 3. p. tom. 2. D. 18. *Deus*, inquit, *plus amat solam Virginem, quàm relinquos Sanctos omnes.* Ex hac S. Thomæ doctrina sic arguimus: Deus plus dilexit Matrem, quàm omnes alias creaturas, amore quidem non gratuito sed debito & necessario: ex quo enim momento decrevit esse ipsius Filius, decrevit quoque omnem ei amorem, reverentiam, & protectionem præstare, quam Filius parenti præstare tenetur. Atqui amor ex suo conceptu intrinseco expellit à re amata omne malum & indignitatem. Ergo, cùm Deus Matrem ab æterno jam plus quàm cæteras creaturas dilexerit, ab omni peccato, tam originali, quàm actuali, eam præservare debuit; quæ enim peccatô major miseria, aut indignitas? Accedit, quòd Angelos, utpotè quos ab omni peccato præservavit, magis, quàm eam, dilexisset. Ergo non præ omnibus creaturis Matrem Deus dilexit, ut tamen citatis locis docet S. Thomas.

Ratio quarta. S. Thomas 3. p. q. 27. a. 4. probans B. Virginem nunquam venialiter peccasse hæc habet: *Nulla est conventio luci ad tenebras; quia gloria filiorum Patres eorum; quia in malevolam animam non introibit sapientia.* Ad hoc testimonium sic argumentamur: Si potestatem haberes tibi sponsam aut matrem eligendi, quæ nullâ infamiâ unquam laborasset, aut corrupta fuisset, non dubito, quin id faceres. Cur ergo putas Deum, cum intactam & innocentem matrem eligere potuerit, potiùs infamem & corruptam non à lenone quodam impudico, sed ab omnium creaturarum turpissima & vilissima Deique inimicissima, Diabolô videlicet, eligere voluisse, atque in malevolam animam intrare? aut fortè Deus non magis honestatem vel innocentiam amat, quàm homines? 18

Ratio quinta. S. Augustinus, Serm. de Assump. *Nullus dubitat*, inquit, *quin possit Deus Mariam sine corruptione servare. Ergo dubitandum non est voluisse.* 19

Ex

Ex hac S. Augustini regula sic inferimus: Si in nostra potestate, qui B. Virginem amamus, arbitrioque fuisset eam à peccata originali præservare, quis nostrûm eam non præservasset? Multò magis ergo eam Deus præservavit, qui eam magis dilexit, nullâ eum, cur id non faceret, ratione morante, sicut & nulla morabatur, ut ejus corpus incorruptum non servaret: potuit, & decuit. Ergo fecit.

20 Ratio sexta. Dispensavit Deus cum B. Virgine in aliis legibus, putà *in dolore paries, in pulverem reverteris, pronum est cor hominis ad malum ab adolescentia sua, &c.* Et undè? nisi quia Matrem dedecebant. At multò magis dedecuit peccatum; ita quidem, ut B. Virgo maluisset non esse Virgo, quàm semel fuisse maculata tantô malô, quale est peccatum. Ergo Deus etiam quoad peccatum originale, licèt omnes posteri Adæ illud contrahere debuerint, cum illa dispensavit. Primum namque hoc nostræ Virginis votum, primæque preces fuerunt, ne in mundum jam deflorata prodiret. Dicebat illa, cùm primò mundum ingressa est, quod olim Esther ad suum Assuerum: *Si inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex! & si tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo.* Et quid tam justa postulanti aliud Deus responderet, quàm quod Assuerus optanti Reginæ: *Noli metuere, non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Esther, c. 15.

21 Ratio septima. S. Augustinus, Serm. de Assumpt. suprà Ratione quinta citatô: *Nullâ quidem sacrar. Scripturarum, aut SS. Patrum auctoritate cogente, credit Corpus B. Virginis in cineres non fuisse redactum, sed incorruptum mansisse,* ideò tantùm, *quia pertinet ad dignitatem Domini Matris servare honorem; quia nullus dubitat, quin possit Mariam sine corruptione servare. Cur ergo dubitandum est, noluisse? quia in Maria integritate plùs potuisse gratiam, quàm naturam, non est dubitandum.* Ecce juxta S. Augustinum, in pede, id est, in corpore, seu infima hominis parte Cœli Reginam pulvis dedecuit, ac propterea non admisit; quantò minùs admittemus nos vel in ipsa facie, hoc est, in anima saniem & carcinomata, id est, peccatum, quo nihil coram Deo fœdius. Quis proin nescit, si optio Virgini daretur, millies eam cineres potiùs & pulveres corporis electuram, quàm vel semel peccatum?

Ratio octava. Vel B. Virginem esse maculatam originali peccatô nullo modo, vel tantùm dubie, vel certò ex S. Scriptura probari potest. Si nullo modo, quomodò audes damnare quam Deus non damnat? Si dubiè & nonnisi obscurè, quæ pietas? cùm Matrem absolvere licet, & tamen non absolvere, sed potiùs velle damnatam, quàm absolutam. Si autem certò, tunc omnes hæretici sumus: quid hôc absurdius? 22

Ratio nona. Juxta S. Thomam, 1. 2. quæst. 85. Effectus peccati originalis sunt isti: *Inclinatio ad malum seu fomes peccati & concupiscentia, pugna naturæ inferioris cum superiore, ignorantia in intellectu, debilitas seu languor voluntatis in prosecutione boni, ac denique peccatum veniale.* At in B. Virgine nullus peccati originalis effectus fuit, ut quisque apertè dignoscit. Ergo prudenter is non judicat, qui illam peccatô originali maculatam asserit: nisi dicere velis, prudenter de causa judicare illum, cujus nullum, aut saltem causæ omninò repugnantes & contrarios videt effectus, sic imprudentissimum non esse, qui assereret ignem esse naturæ gravis, cùm tamen in eo nullos gravitatis effectus deprehendat. 23

24 Ratio decima. Edic amabo, cur in lege veteri Deus à Sacerdotibus alias duci uxores, quàm Virgines, noluit? cur à Juda Machabæo desuper altari à Gentibus profanato sibi Sacrificium offerri, cur suum Corpus nisi in novum & intactum sepulchrum condi, aliisque, quàm mundissimis linteamentis involvi noluit? Respondebis utique; quia indecens aliter fuisset. At quantò magis indecens fuisset in utero coinquinatæ reclinare, necnon à turpissimè fœdata nasci. Tanta cura pro altari, tanta pro Templo & sepulchro, ne quid indecori & fœdi haberent; & non multò major pro Matre? Aut profanatio aliqua potest unquam pejor fingi peccatô?

25 Ratio undecima. Eccur Deus Matrem, licèt inopem, Nobilem tamen sanguinisque Regii elegit? Dicis, ne contemptui hominibus esset, atque ignobilitate, maculâ illâ indelebili notaretur. At si tanta cura Deo fuit, ut Matrem haberet quoad carnem nobilem, quantò majori curæ ei fuit, ut animâ nobilem, hoc est, originis intactæ, præcellentis, & gratiâ insignis; non verò originis obscuræ, servilis & peccatô fœdatæ? nec enim pejor viliorque conditio, quàm peccatoris. Oportuit ergo carne esse Nobilem, ne Mater contemptui hominibus foret; multò magis oportuit animâ esse Nobilem, ne Angelis, quibus Regina destinabatur, contemptui esset.

26 Ratio duodecima. S. Thomas 1. part. q. 47. a. 2. docet: *Optimi agentis esse producere totum suum effectum optimum, &c.* Ex hac doctrina ita inferimus: Connaturale est omni causæ aliquando nobilissimum effectum producere. Ergo Christus, utpotè perfectissimus Redemptor generis humani saltem aliquando edidit specimen optimæ redemptionis, quæ est redemptio præservativa, ut suprà §. 4. dictum. At quem optima hac redemptione liberavit, si Matrem non liberavit?

Ratio decima tertia. S. Thomas, 3. p. q. 27. a. 5. ex S. Paulo 2. Corinth. 3. docet, Deum dare cuique gratiam proportionatam illi dignitati, ad quam eligitur. Atqui dignitas Matris suæ est major dignitate omnium Angelorum; alia enim est dignitas servi, alia Matris. Ergo cùm Angeli fuerint in statu gratiæ creati, incongruum sanè fuisset, etiam Matris animam in statu gratiæ non creari, &c. 27

Ratio decima quarta. Quantùm fas est & licet, debemus amare & honorare B. Virginem, atque optimè de ea sentire. Atqui licet & fas est, imò blandè nos invitat Ecclesia, ut amemus, colamus, & teneamus B. Virginem innocentem, immaculatam, omnisque peccati originalis expertem esse. Cur ergo nos non colamus, & ubique terrarum innocentem ac omnis peccati expertem deprædicemus? Ais, at dubium est, ne erremus, B. Virginem innocentem prædicantes. Sed Resp. Longè magis dubium esse, imò certum, ex eo, quòd Ecclesia sit infallibilis, quòd erremus eam nocentem dicentes. Si tamen, & qui asserunt sine macula conceptam, & qui negant, errare possunt, malumus cum illis errare qui dicunt innocentem, quàm cum illis, qui peccatricem asserunt. 28

Ratio decima quinta. S. Augustinus, contra Epist. fundam. cap. 4. ait: *Multa sunt, quæ in Ecclesia Catholica justissimè me tenent: consensio populorum & gentium, auctoritas miraculis inchoata, Sedes Apostolica, &c.* Si ergo hæc Augustino convincendo, ut res etiam difficillimas, omnemque humanum captum superantes crederet, suffecêre; quid te retrahit, ut rem persuadendo facillimam, tamque rationi consentaneam, Matrem scilicet à Filio esse præservatam, ne peccatum originale incurreret, non credas? num fortè consensus populorum? 29

num

num omnium Doctorum & Universitatum auctoritates? num Summorum Pontificum Diplomata? num innumera miracula à viris fide dignissimis relata? quibus si credere nolis, oportebit planè te communem sensum exuere, omnemque historicam auctoritatem è medio tollere; sicut enim vanissimum est omnia ac passim, ita stultissimum nihil, & nemini credere. Hæc omnia stant pro Beatissimæ Virginis conceptu immaculato, eique favent, tu solus non favebis?

30 Ratio decima sexta. B. Virgo omnium creaturarum humillima fuit, adeò ut hac potissimùm virtute in Dei Matrem eligi meruerit juxta illud S. Augustini: *Virginitate placuit, humilitate concepit.* Indè Richardus à S. Laurentio occasionem sumpsit, lib. 1. de laudibus Virg. cap. 3. dicendi, *Humilitas Mariæ Regem Cæli traxit ad terram.* Et hoc quoque visum est S. Bernardo, cùm Serm. super *Signum magnum*, *meritò* inquit, *facta est novissima prima, quæ, cùm prima esset omnium, se se novissimam faciebat.* Si humillima, ergo nihil eorum omisit, queis, quantùm citra mendacium licuit, conditionem suam deprimeret, inde est, quòd in *Cantico* suam indignitatem ita describat: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, Græcè Ταπείνωσιν, hoc est, *vilitatem, exiguitatem.* Amabo, si peccatô originali aliquando tenebatur, cur non potiùs ad tantorum Sanctorum Moysis, Davidis, quos S. Paulus & Augustinus imitati sunt, aliorumque exemplum dicebat: *Quia respexit iniquitatem miseræ peccatricis suæ.* Cur cum laudato Psalte Regio etiam originale peccatum non exposuit, & dixit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ergo vel non fuit omnium creaturarum humillima, vel omni peccatô caruit; ideoque nihil de peccato locuta est, ne veritatem mendaciô læderet.

Ratio decima septima. Potissima ratio, quæque omnes alias complecti videtur, est dignitas Matris Dei. De hac ita S. Thomas, 1. p. q. 25. a. 6. *Beata Virgo ex hoc, quòd est Mater Dei, dignitatem habet aliquo modo infinitam, ex bono infinito, quod est Deus, & cujus est Mater.* Idem docuit S. Eucherius, cujus est celebris hæc sententia: *Scire vultis quanta sit Mater? cogitate, qualis sit Filius.* Et S. Anselmus de excellentia Virg. c. 2. *Hoc solùm de B. Virgine prædicari, quòd sit Mater Dei, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest.* Et S. Petrus Damianus: *Attende Seraphim, & videbis quidquid majus est, Virgine minus esse, solumque opificem opus istud supergredi.* Ex hac B. Virginis dignitate omnia ista privilegia Patres, Ecclesia, Theologi deducunt, videlicet: *Quod plùs dilecta à Deo fuerit & sit, quàm omnes Sancti universim, etiam collectivè, sumpti. Quòd, solo Deo excepto, cunctis superior extiterit. Quòd tanta nituerit puritate, quâ major sub Deo intelligi nequeat. Quòd sit immensa gratiarum abyssus. Quòd, quidquid gratiæ vel paucis mortalium collatum fuit, tantæ Virgini denegatum non fuerit. Quòd sine peccato nata. Quòd post partum Virgo. Quòd in Cælos etiam cum corpore assumpta fuerit. Quòd mensura privilegiorum Virginis sit potentia Dei. Quòd omni peccatô veniali caruerit.* Quodque, ut S. Methodius scribit Orat. de Purificat. *Deum sibi debitorem habeat, quia facta est ejus Mater.* 31

Hæc omnia, cùm expressè in sacris Scripturis non habeantur, non aliundè accepta sunt, quàm ex titulo & dignitate Matris Dei: Sicut enim, eo ipso, quòd quis Regem nominet, etsi nihil aliud adjungat, eum potentem, divitem, deliciis affluentem, palatiis, militibus instructum intelligit; sic Evangelium,

cùm Mariam *Dei Matrem* nominat, omnia privilegia, beneficia, & gratias complectitur, quæ puræ creaturæ concedi possunt. Undè fit, quòd, si quæras, cur sine peccato nata sit? Respondeatur, *quia Mater Dei est.* Cur nullo peccato obnoxia? *Quia Mater Dei est.* Cur post partum Virgo, cur in Cœlos assumpta, cur præ omnibus aliis creaturis à Deo dilecta, &c.? *Quia Mater Dei est.*

Hanc Dei Matrem jam olim præfiguraverat stupendum illud Salomonis Templum, quod tantis expensis extructum est, ut auctores, qui de eo scribunt, fateantur iis expensis integrum Templum ex solido auro fieri potuisse; eas enim ad nostram monetam reducens Lorinus, supra quinque millia sexaginta milliones Hispanicorum aureorum conficere, queis totidem milliones talentorum argenteorum respondebant, ait. Quòd si quæras, quo fine tot thesauri, tantaque vis auri & argenti impensa? Hanc unicam causam exponit Salomon: *Non enim homini, sed Deo habitatio præparatur.* Tanti esse ei videbatur Domum Deo adornari, ut nullum aurum, nullæ opes sufficerent. Mater Dei non in Templum tantùm, sed & in Matrem Deo præparabatur; quæ ergo gratiæ, qui thesauri sufficere tam eximio, immensoque operi putas? planè quidquid in terra, quidquid in Cœlo, Deique scriniis est, invenies umbram esse tantæ dignitati comparatum. Quidquid ergo privilegiorum Mariæ collatum est, id omne infra Matrem Dei est. Tandem ex hoc S. Thomæ principio ab omnibus Patribus, Ecclesia, Doctoribus, admisso ita argumentamur: Maternitas est dignitas quasi infinita. Ergo ad eam debuit Virgo disponi per gratiam, non quidem absolutè, id enim est impossibile, sed aliquo modo infinitam, *quantùm* nempè *decuit, nec repugnabat.* Atqui conceptam esse sine peccato & decuit; quid enim rationi magis convenit, quàm non peccasse? aut quid decet, si non decet innocentia? Nec repugnavit; quid enim Omnipotenti repugnat? aut quæ implicantia in hac propositione fingi potest: *B. Virgo nunquam peccavit?* Accedit, quòd *Deus, qui*, ut habet Apostolus, *pro nobis Filium suum dedit, etiam cum illo omnia nobis donârit.* Cùm ergo proprium Filium suum Deus Mariæ dederit, quid non deinceps donavit? Donavit Thesaurum, negavit teruncium? Aut ergo falsa est S. Pauli consequentia, aut verum quod dicimus.

32 Ratio decima octava. S. Thomas 2. 2. q. 106. a. 6. docet, gratitudinis officium esse, ut quis reddat *plura in recompensatione*, aut certè *paria.* Qui ergo voluit esse Filius, voluit quoque non esse ingratus; non quòd Deo obligationem imponamus; sed quia non potest Deus velle repugnantia, rectæque rationi adversa; ut esset, promittere, & promissis non stare; futura prædicere, & non implere; Filium esse, & parentibus ingratum. Qui ergo voluit esse Filius, voluit quoque Matri non esse ingratus. Cùm ergo vitam à Matre acceperit infiniti pretii, debuit quoque gratiam infinitam rependere, hoc est, quanta non repugnat, & decet. Atqui Matrem esse immaculatè & in gratia conceptam & non repugnat, & decet, ut suprà ostendimus. Ergo id quoque Matri suæ dedit.

§. IX.

33 *Refutantur quæ contra Immaculatam Conceptionem B. Virginis ex SS. Scripturis producuntur.*

Opponitur 1mo. ex Epist. ad Rom. cap. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* & cap. 5. *Per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, in quo omnes*

omnes peccaverunt. Et ibid. *Sicut per unius delictum in omnes in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes in justificationem.* Ad Galat. 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato.* Ecclis. 7. *Virum de mille unum inveni, mulierem autem ex omnibus non inveni.* Hi potissimùm sunt Scripturæ textus, quibus immaculatam B. Virginis Mariæ conceptionem maculare conantur adversarii. Sed

Resp. cum S. Thoma 3. p. q. 30. a. 2. ad 2. ubi, *Dicendum*, inquit, *quòd sicut Augustinus dicit in Serm. de Assumptione* (idem etiam habet lib. 1. de nat. & grat.) *Maria vera æstimatione à quibusdam generalibus excipitur; quia nec conceptus multiplicavit, nec sub viri, hoc est, mariti potestate fuit.* Ergo Beata Virgo generalibus regulis & propositionibus S. Scripturæ non comprehenditur, prout etiam ex ejusdem S. Scripturæ variis locis probatur: Eccli. 40. *Omnia quæ de terra sunt, in terram revertentur.* Hier. 6. & 8. *Omnes avaritiæ student.* Philip. 2. *Omnes quærunt quæ sua sunt.* Rom. 3. *Omnis homo mendax, omnes sub peccato sunt, non est justus quisquam.* Psalm. 13. *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Hæc omnia personam adeò eximiam, privilegiatam & exemptam, ut est B. Virgo, nullatenùs complecti possunt. Si ergo istæ propositiones, quæ tamen universales sunt, eam non comprehendunt; cur contendis alias peccati originalis mentionem facientes propositiones eam comprehendere? Cùm Paulus dicit omnes peccasse, ab hac generali oratione Virginem non eximis; at cùm Augustinus, aliique SS. Patres dicunt Beatissimam Virginem nullo prorsùs peccato, nullâ omninò maculâ contactam fuisse, non admittis illam vocem universalem *Nullâ* ad omnia extendi peccata etiamque *Originale.* Ergò ex te habeo, quòd oratio universalis, cùm Virginem damnas, omnia comprehendat; at cùm nos absolvimus non omnia comprehendat: Quanta absurditas! 2do. 1. Corinth. 15. dicitur, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*, & tamen certum est, non omnes de facto *in Christo vivificari*, parvulos videlicet sine Baptismo decedentes. Si ergo ista Pauli propositio, *Omnes in Christo vivificabuntur*, vera est, etsi tam multi excipiantur; quare non item ista vera esse possit, *Omnes in Adam moriuntur*, quamvis una sola non moriatur. 3tio. Quod dictum Ecclesiastis attinet, dicimus illud continere figuram proverbialem, videlicet: multò faciliùs virum bonum & prudentem, quàm fœminam reperiri. Et planè ipse Salomon inter mille suas uxores & amicas, 700. Reginas nempè, & 300. concubinas idipsum expertus est, &c.

§. X.

Respondetur ad SS. Patres. 34

Opponitur 1mo. S. Augustinus, qui in variis locis neminem, si Christum excipias, immunem liberumque fuisse à peccato originali docet: præcipuè, lib. 2. de Bapt. parvulorum, ubi, *Non est*, inquit, *in filiis hominum, nec fuit, nec erit, qui nullo unquam peccato fuerit obstrictus &c.* Item lib. de nat. & grat. cap. 41. *Planè quod commemoravi, per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & antiquos Sacerdotes, & nos, & posteros nostros sententia ista complectitur.* 3tio. Cap. 10. super Genes. ad litt. *Corpus Christi quamvis ex carne fœminæ conceptum, quæ de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat, tamen, quia non in ea sic conceptum fuerat, quomodò fuerat illa concepta, ideò ipsum non fuerat caro peccati.* 4to. In Psal. 34. ità habet:

habet: *Maria ex Adamo mortua est propter peccatum.* Idem alibi sæpiùs docet. Ergo juxta S. Augustinum B. Virgo à peccato originali nullatenùs immunis fuit.

Resp. 1mo. Innegabile esse, quia, ubi Augustinus dicit omnes, Christô exceptô, originali peccatô contaminari, sub tali universali propositione comprehendi Beatissimam Virginem nullatenùs intendit; ubi enim de ea in particulari agit, & in individuo loquitur, semper illam excipit; ut lib. de nat. & grat. cap. 36. ubi ait: *Excepta S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsùs, cùm de peccato agitur, habere volo quæstionem; inde enim scimus, quòd plus gratiæ ei collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.* Et quamvis cit. lib. præcipuè de peccatis venialibus & actualibus agere videatur, agit tamen & de peccato originali; tùm quia omni ex parte, & ab omni prorsùs peccato illam excipit; tùm quia præcipua concertatio cum Juliano, contra quem hîc agit, erat de peccato originali; tùm quia causalis, quam addit, nempe *quæ concepit & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum*, æquè, aut magis locum habet in peccato originali; tùm denique, quia lib. 5. contra Julian. cap. 9. & 15. pro certissima regula ponit, eum, qui nunquam peccatô veniali contaminatus est, etiam originali caruisse. En ejus verba: *Is, qui in adulta ætate peccatum nullum fecit, in infantili ætate peccatum non contraxit, & ideò Christus peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset.* At constat B. Virginem in adulta ætate nullo peccato contaminatam fuisse. Ergo nec in infantili ætate contraxit; consequenter semper à peccato originali immunis extitit juxta S. Augustinum. Item idem S. Augustinus lib. de 5. Hæres. p. 15. Christum Manichæis ita respondentem inducit: *Hanc, quam despicis Manichæe, Mater mea est, sed manu fabricata est mea: undè sordes in domo, ad quam nullus habitator accessit? solus ad eam Dominus, & fabricator ejus venit.* At non solus Deus ad eam venisset, si priùs per peccatum originale à Dæmone corrupta esset, &c. 2do. S. Augustinus non tantùm docet solum Christum peccatô originali, sed & solum omni actuali caruisse; lib. de fide ad Petrum enim sic loquitur: *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, exceptis illis, qui pro Christi nomine suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hîc à malis suis fuerit per pœnitentiam sibi demque conversus.* Et cap. 38. *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, justos atque sanctos homines, exceptis his, qui baptizati parvuli sunt, sine peccato hîc vivere minimè posse.* Idem repetit contra Julian. lib. 5. cap. 9. Item in Enchiridio cap. 6. apertè scribit, *Nullo excepto, parvulos nasci cum peccato originali.* Cùm tamen certum sit B. Virginem, imò & S. Joannem Baptistam sine peccato originali natos esse. Et lib. de nupt. & concup. *Quando Christus in carne nasci dignatus est, solus sine peccato est natus.* Item Epist. ad Optat. de orig. anim. ait, *Neminem nasci ex Adam, nisi vinculô delicti & damnationis obstrictum, neminem inde liberari, nisi renascendo per Christum, tam inconcussè tenere debemus, ut sciamus eum, qui hoc negaverit, nullo modo ad Christi fidem pertinere.* Idem habet lib. Hypognosticon contra secundam blasphemiam Pelagianorum. Ad certum est, ut jam diximus, tùm ex Conciliis, præcipuè ex Tridentino, tùm ex Bullis Pontificum, & totius Ecclesiæ sensu, imò ipsius S. Augustini suprà relati, B. Virginem & sine peccato natam esse, & omni peccatô actuali semper caruisse. Aut ergo hîc Augustinus errat, aut in istis

istis universalibus propositionibus nullo modo involvit B. Virginem. Indè quando Augustinus, aliique Patres solum Christum à peccato originali excipiunt, eo modo loqui dicendi sunt, quo Ecclesia & Scriptura loquuntur, cùm dicunt, *Christum esse solum sanctum, solum bonum, illi soli honorem & gloriam deberi.* Non quòd alii etiam Sancti non sint, sed quòd quidquid Sanctitatis habent, à Deo habeant. Sic à pari Christus solus originali peccatô caruit, non quòd B. Virgo eo etiam non caruerit, sed quia Christus jure proprio peccatô originali caruit, B. Virgo autem ex meritis Christi & privilegiô, adeoque jure alieno. Et ex his patet, quid ad primam & secundam S. Augustini auctoritatem, aliaque ejusmodi loca universalia respondendum sit; dicendum quippe, quòd semper intelligenda & apponenda sit clausula suprà ex S. Augustino relata, scilicet: *Excepta B. Virgine, de qua, cùm de peccato agitur, nullam prorsùs mentionem fieri volumus.*

Ad 3tiam ejusdem S. Augustini auctoritatem dicimus, verum quidem esse, quòd B. Virgo habuerit carnem peccati, id est, in conceptu corporis contraxerit peccatum originale, non quidem quoad culpam, & privationem gratiæ, cujus sola anima capax est, sed quoad qualitatem morbidam & infectivam, id est, quoad vim, quantùm in se est, inquinandi animam Deoque odibilem reddendi & gratiæ extorrem, quamprimùm corpori uniretur, nisi speciali privilegio à solvendo peccati tributo esset exempta. At aliud est habere carnem peccati, aliud animam in peccato concipi. Primùm, eo ipso, quòd B. Virginis caro ex concubitu, in quo peccatum est (*e*), scilicet voluptas & concupiscentia, quæ si non semper in conjugibus peccata sunt, sunt tamen effectus peccati originalis, processerit & formata sit, respectu illius admittere possumus; alterum autem constanter negamus.

Ad 4tam ejusdem S. Augustini auctoritatem B. Virginem quidem propter Adæ peccatum mortuam esse concedimus, si enim iste non peccasset, nec ipsa, nec ullus hominum unquam mortuus fuisset. At minimè ex hoc sequitur fuisse peccatô originali correptam; sunt enim aliquæ pœnæ ex Adæ peccato consecutæ, quæ nec ullam malitiam nec indecentiam moralem complectuntur, ut defatigatio, somnus, persecutiones, mors, &c. & istæ, quamvis sint effectus peccati originalis, manent tamen etiam in iis, qui peccatum originale non contraxerunt; quales sunt Christus & B. Virgo; cùm non sint mala propriè dicta, nec propriè effectus peccati originalis, sed naturæ humanæ ex materia & contrariis ac pugnantibus partibus corporeis compositæ. Nec mors ad peccatum inducit, sed potiùs finit peccatum, estque potiùs effectus gratiæ; cùm sit maximè meritoria, retrahatque à peccato, & ideò, ut jam diximus, in eo etiam fuit, qui nunquam peccavit; sicut ergo non sequitur, illic esse febrim, ubi est calor, cùm calor etiam ab aliis causis provenire possit, præter febrim; ita non sequitur fuisse peccatum, ubi mors fuit, quia mors non à solo peccato, sed etiam ab aliis causis provenit.

Ob. 2do. S. Anselmus, qui lib. 2. 35
Cur Deus homo. cap. 16. sic loquitur: *Licèt ipsa Christi Conceptio munda sit, Virgo tamen ipsa, undè assumpta est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam Mater ejus, & cum originali peccato nata est, quoniam in Adam omnes peccaverunt.* Idem Anselmus, ut

(*e*) Seu potius fomes peccati.

Bandellus in Officio de ſanctificatione B. Virginis lect. 9. refert: in quadam meditatione Deum ita alloquitur: *Animam glorioſæ Virginis Mariæ in macula culpæ originalis creaſti, ſed conſequenter eandem à primaria labe purgaſti, & amictu munditiæ decoraſti, & in ſanctitatis puritate poſteà confirmaſti.* Hæc, ut volunt Adverſarii, Anſelmus. Sed

Reſp. ad 1mum. Quia mala fide hîc citatur Anſelmus: non enim hæc ipſe dixit, ſed Boſo ejus diſcipulus illum interrogans; ad quam interrogationem nihil reſpondet Anſelmus, ſed toto illo capite de innocentia originali B. Virginis abſtrahit, quia ibi non de conceptu illius agebatur, ſed utrum Chriſtus cum peccato natus ſit? Ad quam quæſtionem reſpondet Anſelmus: *Poſtquam conſtat illum hominem eſſe Deum, & peccatorum reconciliatorem, non eſt dubium eum ſine peccato eſſe.* 2do. Quia ſi hoc argumentum aliquid probaret, probaret etiam B. Virginem eſſe cum peccato originali natam, quod affirmare nec Anſelmus unquam ſomniavit. Denique certum eſt, Boſonem loqui non de conceptu animæ, ſed de conceptu corporis; ea enim verba: *In peccatis concepit eam Mater ejus*, de conceptu animæ intelligi non poſſunt, mater enim non generat animam, nec aliud quidquam circa illam facit.

Ad 2dum. Reſpondet Sfonderatus hîc §. 11. hanc ſententiam à Bandello confictam eſſe, atque falsò attributam Anſelmo; cùm nec in proſologio, nec in lib. decem meditat. qui incipit *Evigila*, nec in alio meditationum libro, cujus initium, *Dum conſidero*, nec alibi locorum inveniatur. Porro certum eſſe, quòd Anſelmus pro Immaculata Conceptione ſteterit, habeturque teſtimoniô Concilii Cantuarienſis celebrati annô 1328. in quo fit mentio Sententiæ S. Anſelmi, qua pro immaculato conceptu pronuntiabat. Item Baronius in Notis ad 8. Decembris *Habemus*, inquit, *rei geſtæ*, id eſt, revelationis Abbatis Heluini ob inſtitutionem Feſti Immaculatæ Conceptionis illi factæ (*f*), *hiſtoriam in antiquo codice MS. ex quibus omnibus ſatis compertum habetur, ejuſmodi celebritatem* (Immaculatæ Conceptionis) *in Anglia primò celebrari cœptam, eidemque faviſſe B. Anſelmum.*

Ob. 3tio. S. Bernardus, qui in celebri illa Epiſtola ad Lugdunenſes n. 147tâ illos acriter reprehendit, quòd in ſua Eccleſia Feſtum Immaculatæ Conceptionis celebrare cœperint. 2do. Idem S. Bernardus Serm. de S. Joan. Bapt. cujus initium eſt: *Hodie dilectiſſimi* hæc ait: *Cùm omnes homines in iniquitatibus concepti ſint præter Chriſtum.* 3tio. Ut Bartholomæus Spina part. 4. cap. 9. refert, idem S. Bernardus Epiſt 190. ad Innocentium Papam ait: *Sive ergo reconciliatio, ſive redemptio liberatio eſt de vinculis diaboli, à quo captivi tenebamur, ex quo patet, quia ſi fuit redempta* (B. Virgo) *eam etiam ſub vinculis diaboli fuiſſe, hoc eſt, peccatô.* 36

Reſp. ad 1mum. Quòd in citata Epiſt. S. Bernardus nonniſi de primo conceptu hominis & inanimati ſeu animalis, cùm ſcilicet in utero materno parentum ſanguis commiſcetur, & primæ fibræ humani fœtûs ducuntur, ſermonem habeat, non de ſecundo hominis animati conceptu, de quo tamen hîc tantùm ſermo eſt; quod evidentiſſimè deducitur ex tota ferè illa Epiſtola, in qua ex eo tantùm Feſtum Immaculatæ Conceptionis reprobat, quòd inter amplexus maritales, in queis libido effectusque peccati eſt, ſanctitas eſſe nequeat. 2do. In eadem Epiſtola S. Bernardus aſſerit, quòd credat ortum

(*f*) Vid. Sfonderatum §. 6. pag. 50.

ortum B. Virginis esse sanctum, quia illum summa veneratione celebrandum Ecclesia proponit; *Hæc*, inquit, *mihi de illa cantat Ecclesia*, & *me eadem docuit decantare*, *ego verò*, *quod ab illa accepi*, *securus & teneo*, & *trado*. Si ergo nunc in vivis ageret S. Bernardus, cerneretque totâ Ecclesiâ Immaculatam Conceptionem celebrari, ut olim Nativitatis ejus memoria jam celebrabatur; nonne iterùm diceret ac scriberet: *Hæc mihi de illa cantat Ecclesia*, & *me eadem docuit decantare*. Sique de Virginis innocentia litem illi moveres, nonne itidem intrepidus responderet: *Ego quod ab Ecclesia accepi securus & teneo*, & *trado*. Accedit denique quòd S. Bernardus eandem Epistolam hoc epiphonemate clauserit: *Quæ autem dixi*, *Romanæ Ecclesiæ auctoritati & examini totum hoc reservo*, *ipsius*, *si quid aliter sapio*, *judiciô paratus emendare*. Si ergo jam viveret S. Bernardus, & Ecclesiæ Romanæ de illibato B. Virginis conceptu Diplomata, Exempla, Festa, Conciones, Sententiamque audiret, nonne opinionem suam, si aliquando aliter sapuit, emendaret?

Ad 2dum & 3tium quamquam in promptu & facilè iis responderi posset, tamen, cùm, prout Sfonderatus noster testatur, falsò attribuantur S. Bernardo (nullibi quippe apud eum inveniuntur,) non operæ pretium est, ut illis respondeatur.

§. XI.

37 *Respondetur ad auctoritatem S. Thomæ.*

Quindecim sententiæ apud Sfonderatum ex S. Thoma depromptæ leguntur, quibus Beatissimæ Virginis causa onerari aliquo modo videtur; hæque sententiæ aliquibus adeò claræ visæ sunt, ut malint Cœli Reginam criminis arguere, quàm S. Thomam erroris, quasi verò minus esset illam peccasse, quàm Thomam errasse.

Proin si S. Thomas aliquibus locis B. Virginem maculatam agnoscere videtur, longè pluribus tamen pro ejus Innocentia stare videtur; ut suprà ostensum est: cur ergo non potiùs illius sententiæ accedis, cùm Virgini favet, quàm cùm adversatur? Fortè majori fide dignus est cùm Virginem damnat, quàm cùm absolvit?

At & gravissimis indiciis probari potest S. Doctoris sententias de Immaculato Conceptu fuisse corruptas. Ait quippe P. Wielmus Ord. Prædicat. Episcopus, lib. pro defens. S. Thomæ: *Execrabilius est*, *quòd nequam & scelesti homines quidam*, *vel ad Thomæ auctoritatem enervandam*, *vel*, *ut ego quidem arbitror*, *ad suam aliquam opinionem*, *quæ in controversiam vertebatur*, *tanti viri testimoniis fulciendam & comprobandam egerunt.*

Imò paucis ab obitu S. Thomæ, qui fuit annô 1274. annis jam ejus libros corruptos fuisse habetur ex libro Ægidii Romani ejusdem Discipuli, qui floruit circa annum 1290. cui hic præfixus est titulus: *Castigatorium in corruptorem librorum Thomæ Acquinatis.*

Eodem modo contra corruptores librorum ejusdem S. Thomæ scripserunt Richardus Klapoel, Hervæus Natalis, Guillielmus Messelech, Joannes Parisiensis, Guillielmus Bollonius, Cambertus de Primatiis; item Frater Nicolaus Mendensis, Durandellus, Ugo Archi-Episcopus, &c. de quibus videri potest Chronicon Dominicanorum.

P. Joannes Nicolai in Prologo ad impressionem Parisientem Operum S. Thomæ annô 1663. testatur, *se textus Summæ D. Thomæ non à typographicis tantùm* corru-

corruptelis expurgasse, sed maximè ab affectatis, ac industriâ & studiò relictis, quæ legitimum sensum, vel historicam sinceritatem veritatemque perverterent, hiatus quoque plures & lacunas implevisse ad supplendam seriem textûs, quæ alioquin nulla erat, & lectorem dubium relinquebat, propter non satis plenum sensum, vel in errorem inducebat, propter sensum illegitimum. Si ergo toties, & jam à tot annis doctrina S. Thomæ corrupta est, quis nos certos reddet, non multò magis corrupta fuisse, quæ contra Immaculatam Conceptionem in libris S.Thomæ reperiuntur? Sic in editione Antverpensi per Heerbergium emissa annô 1612. cui præfuit Cosmas Morellus, contra quàm habebatur in aliis editionibus Parisiensi, & Veneta, omissa sunt in 1. Sent. dist. 44. q. unic. ad 3. illa verba: *Immunis fuit à peccato originali.* Eodem modo in antiquis editionibus, S. Thomas in Comment. ad Galat. cap. 3. lect. 6. ita habet: *Mulierem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omninò immunis esset, ad minùs originis, & veniali; excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo Maria, quæ omninò immunis fuit à peccato originali & veniali.* Et tamen in recentioribus exemplaribus hæc ultima exceptio desideratur. Et in Opuscul. 4. de Salutat. Angelic. ut §. 1. ostendimus, non tantùm omissa sunt, quæ Virgini favebant, sed in sensum contrarium omninò commutata. Et in 3. p. q. 27. a. 2. S. Thomas in hodiernis exemplaribus dicit B. Virginem *nec ante animationem, nec in animatione, sed post animationem sanctificatam, & à peccato originali mundatam esse.* At Codex S. Francisci ad muros Hispalenses, & Codex PP. Prædicatorum Massiliensium, nihil habet de puncto animationis; imò, quod maximi momenti est, Joannes Bromiardus Ord. Prædicat. qui florebat circa annum 1260. ut habet Chronicon Prædicatorum, citans hunc ipsum S. Thomæ locum; *S. Thomas*, inquit, 3. p. q. 27. a. 2. *ponit ejus* sanctificationis excellentiam quantùm ad temporis prioritatem, in hoc, quòd sanctificata fuit in sui animatione, id est, in conjunctione animæ cum corpore in utero Matris suæ non antè, &c. quia sanctificatio & mundatio fit per gratiam, cujus subjectum est anima &c. Hæc citatus Bromiardus in *Summa Prædicantium*, verbô *Maria*, a. 2. n. 10. Vides, quia tempore Bromiardi citatus S. Thomæ locus non solùm erat alius, sed è diametro contrarius illi, qui modò legitur. Idque magis adhuc confirmatur ex S. Vincentio Ferrerio, cujus verba sup. §. 5. retulimus, qui domestico suo Codici, quo Summa D. Thomæ continebatur, observationes quasdam manu propria adjecit, & inter alias ad 3. p. q. 27. a. 2. ad 3. hanc habet: *B. Virgo fuit immunis à peccato originali & actuali.* Ergo etiam tempore S. Vincentii locus ille S. Thomæ apertè favebat Immaculato Conceptui. Cùm ergo appareat S. Thomam, quando agit de Mysterio Conceptionis, non semel fuisse vitiatum & corruptum, quæ ex hoc Angelico Doctore producuntur non magis probant, quàm instrumentum probare potest, quod auctum, minutum, erasum, atque mutatum est, cui in humanis judiciis, quando de domo aut agro lis vertitur, nulla fides adhibetur. Attamen

Resp. ad omnes S. Thomæ sententias, quas apud Sfondcratum nostrum, hîc §. 11. pag. 104. require, si unicum locum mox recitandum excipias, una & eadem responsione, qua sup. §. 10. adversariis circa S. Bernardi ad Lugdun. Epistolam satisfecimus, scilicet: S. Thomam locutum fuisse more omnium ferè Patrum, qui de peccato originali loquuntur, cùm dicunt peccatum originale contrahi in prima conceptione, cùm videlicet post conjugalem congressum ex paren-

parentum sanguine in utero materno prima massa recipitur, & formatur futuri fœtûs; non quòd fœtus inanimatus peccati propriè capax sit, sed quòd illa prima massa ex concupiscentia & libidine processerit, quæ ipsa peccatum est, aut certè effectus peccati primi parentis; & quòd maledicta sit à Deo, ex virtute nimirùm primæ maledictionis Adamo inflictæ, & morti obnoxia; & denique, quòd ex ipsa illa Dei maledictione efficaciam habeat inficiendi animam rationalem peccatô originali, hoc est, privandi gratiâ divinâ. Anima enim, cùm immediatè à Deo creetur, non aliundè peccatô originali inquinatur, nisi quia corpori, massæque damnatæ, & à Deo maledictæ unitur, &c. Et hæc est illa *morbida qualitas*, quam antiqui Theologi recensebant, non immeritò arbitrantes, peccatum originale priùs esse in fœtu inanimato, quàm in anima. Nec obest, quòd S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 1. Et de Malo q. 4. a. 3. doceat: *peccatum originale esse in sola anima tanquam in subjecto, non verò in carne:* Nam S. Doctor ibi tantùm loquitur de peccato originali quantùm ad effectum primarium, quod est *privare gratia sanctificante*, cujus sola anima, ut jam sæpiùs diximus, capax est; non autem loquitur quoad alios effectus & denominationes peccati originalis, qui etiam in carne reperiuntur, quales sunt esse *maledictum*, esse *mortalem*, esse *infectivum animæ rationalis, &c.* quæ denominationes, cùm realiter in carne reperiantur etiam ante infusionem animæ, nec ab alia forma, quàm peccati originalis, provenire possunt. Dicendum igitur omninò est, animâ necdum infusâ, jam esse jamque operari peccatum originale in fœtu concepto, quamvis, quoad formalitatem culpæ & privationis gratiæ, in sola anima reperiatur. Et ad hunc sensum loquebantur antiqui Patres ac Theologi; & nos cum illis facilè concedere possumus B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam, si de fœtu, seu conceptu generativo & animali intelligas; secùs, si de conceptu animationis, seu de ipso instanti unionis animæ cum corpore (nam tunc animam peccatô originali correptam firmiter negamus) sermo sit.

Et in conceptu corporis seu seminali SS. Patres admisisse ejusmodi peccatum originale, in promptu esset, ait Sfonderatus, plurimos producere; sed modò, cùm reliqui passim occurrant legentibus, sufficiant S. Anselmus, qui lib. de concept. Virg. & peccat orig. cap. 7. ait: *In peccatis homo concipi potest intelligi, quia ab ipso semine & ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, ut cùm habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam.* S. Augustinus lib. 1. de nupt. & concup. c. 12. *Ut hinc*, inquit, *etiam Christus doceret omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati, quandoquidem sola Christi caro, quæ inde nata non est, non fuit caro peccati.* Idem ajunt de peccato originali S. Damascenus, S. Damianus, S. Vincentius Ferrerius, aliique apud Sfonderatum §. 6. At omnium clarissimè ipsemet S. Thomas, 3. p. q. 14. a. 3. in Corp. ubi, *Caro Virginis*, inquit, *concepta fuit in peccato originali.* Idem supponit, cùm a. 1. q. 83. 2. 2. quærit, *an peccatum originale magis sit in anima, quàm in carne.* Ubi non negat esse in carne, sed magis esse in anima asserit, videlicet quoad principalem suum effectum. Et 3. p. q. 31. a. 7. in arg. *Sed contra: Corpus B. Virginis*, inquit, *totum fuit conceptum in peccato originali, ut suprà dictum est, & ideò secundùm quod fuit in Patribus, fuit peccato obnoxium.* Hîc tamen cum Sfonderato nostro advertendum volumus, quòd si in Corpore Beatissimæ Virginis Mariæ ex laudatorum SS. Patrum, aliorumque

 Theo-

Theologorum antiquorum mente, & sententia, maculam originalem admittere quis velit, Nos non quoad alium effectum concedimus, quàm quoad necessitatem moriendi, debitumque carendi gratiâ, nisi per prævenientem redemptionem præservata fuisset.

38 Tandem pro complemento præsentis Opusculi superest, ut mentem nostram circa textum quemdam S. Thomæ ex 3. Sent. Dist. 3. a. 1. desumptum aperiamus. Ibi, ut volunt adversarii, expressis verbis ait: *Sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia nondum gratiæ capax erat, sed nec in ipso instanti infusionis, &c.* Ex hoc textu inferunt adversarii, S. Thomam apertè innuere primùm post infusionem animæ B. Virginem fuisse à peccato originali mundatam. Unde patet, inquiunt, quia Angelicus Doctor apertè docuit B. Virginem contraxisse, saltem pro aliquo temporis instanti, peccatum originale, & eo correptam fuisse.

Resp. Quòd hæc S. Thomæ sententia vitiata & supposita sit. Id probatur 1mo ex iis, quæ hactenùs de SS. Patrum & S. Thomæ corruptis sententiis diximus. 2do. Quia Nicolaus Eymericus Generalis Inquisitor Arragoniæ in lib. quem contra Immaculatam Conceptionem scripsit, annô 1395. in catalogo Auctorum pro sua opinione stantium: *Duodecimus est*, inquit, *S. Thomas, cujus tempore hæc quæstio nondum erat orta.* Adductisque multis ex S. Doctore testimoniis, hoc solum omittit; quod tamen, si tunc temporis extitisset, ante omnia alia, utpotè potissimum, producere debuisset. Item Cajetanus in 3. p. q. 27. a. 2. *Inter duas extremas positiones*, inquit, *est tertia, quòd fuerit sanctificata in instanti infusionis animæ, cujus opinionis hîc non meminit* (S. Thomas) *quia tempore suo nondum erat adinventa.* Ita de S. Thoma Cajetanus. Quòd si Cajetanus, alioquin huic mysterio infestus, S. Thomam hujus opinionis non meminisse, utpotè suo tempore nondum adinventæ, fatetur; ergò nec Cajetani tempore hæc verba: *Sed nec in ipso instanti infusionis*, extabant. Demùm Bandellus, quo nemo ardentiùs B. Virginis innocentiam persecutus est, cap. 33. omnes S. Thomæ sententias suæ opinioni faventes congessit, hac una præterita, quæ tamen in eadem q. & art. continetur, quem pro se citat Bandellus, omissis tamen decretoriis illis verbis: *Sed nec in ipso instanti &c.* Hæc omisisset Bandellus, si ea in S. Thoma reperisset? Ergo tempore Bandelli in S. Thoma non extabant. 3tio. Hanc ipsam quæstionem, & iisdem fermè verbis repetit in 3. p. q. 27. a. 2. S. Thomas; ubi tamen in veteribus & legitimis exemplaribus, quæ annô 1260. legebantur, non solùm ea verba: *Sed nec in ipso instanti infusionis ipsius animæ*, non habentur, verùm etiam idem Angelicus Doctor apertè pro Immaculato Conceptu pronuntiat, ut suprà præsenti paragraphô ex Bromiardo, qui non diu post S. Thomam floruit, annotavimus. Si ergo, teste Bromiardo, auctore omni exceptione majore, hæc sententia corrupta est in 3. part. Quid mirum, idem quoque in libris sententiarum factum fuisse? 4to. Verba illa prolata ex 3. Sent. sensum habent planè repugnantem, tantoque Auctore indignum: *Sanctificatio*, inquit, *B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animæ, quia nondum gratiæ capax erat, &c.* Si capax non erat, quid ergo sibi vult illud *decenter?* quod enim impossibile est, illud nec decenter, nec indecenter fieri potest. Ex his habetur manifestè, quia locus citatus ex 3. Sent. est suppositititius, atque S. Doctori aliundè additur.

Tandem

Tandem demus S. Thomam non fuisse corruptum, neque unquam nisi de conceptu animationis locutum; Demus eum nunquam pro Immaculata Conceptione scripsisse; quid inde sequitur? Eum tunc, cùm vivebat, temporis Virginis Beatæ innocentiam impugnasse? esto. Sed certum est, si nunc viveret, ex principiis, quæ ipse statuit, sententiam nostram amplexurum. Ipse enim docuit, ***non agi Festum nisi de Sancto.*** Ipse professus est, *B. Virginem idcirco credi sine peccato originali natam*, *quia Ecclesia celebrat Nativitatis ipsius Festum.* Atqui hæc ipsa ratio pro Conceptione ipsius militat. Si ergo S. Thomas audiret, quæ tunc non audivit, & videret, quæ tunc non vidit; planè, nisi principiis à se ipso positis contraire vellet, crederet, quæ tunc non credidit, scriberetque, quæ tunc non scripsit; id nobiscum fatetur Joannes à S. Thoma Thomistarum nobilissimus, dum in 1. p. D. 2. de doctrina S. Thomæ a. 2. ita scribit: *Postquam Ecclesia Romana celebrat Festum Conceptionis loquendo in vi doctrinæ D. Thomæ, oportet vice versa de his sententiis censere, & sic D. Thomas censeret.*

Et hisce tandem Manuali nostro finem imponimus. Arbitramur equidem satis clarè nervoseque probatum & ostensum hactenùs esse, Thoma nec accusatore, nec hoste, sed ultrò etiam amico ac patrocinante Beatissimam Virginem Mariam Dei genitricem nullis unquam peccati sive originalis, sive actualis, laqueis irretitam fuisse. Cui sit Laus & Honor.

Finis Tomi tertii.





ERRATA

Tomi tertii Theologiæ Universalis.

IN TRACTATU I.

Pag.	Col.	Lin.	
11.	2.	29.	*post* dolorosum *adde* fugiens
15.	1.	28.	antecedcns *lege* antecedens
25.	2.	27.	arbitrium *lege* arbitrium
29.	2.	33.	reperitur *lege* experitur
42.	2.	21.	confideral *lege* confiderari
64.	2.	34.	moralitr *lege* moraliter
70.	1.	8.	bonum *lege* bonam
120.	2.	1.	medianti *lege* meditanti

IN TRACTATU II.

14.	in not.	5.	oft *lege* eft
18.	1.	2.	ab *lege* ob
20.	2.	7.	furerentur *lege* furarentur
26.	in not.	1.	oppouat *lege* opponat
29.	1.	26.	alliud *lege* aliud
78.	2.	6.	confulerat *lege* confuluerat
85.	1.	17.	potiticas *lege* politicas
94.	2.	2.	falfum *lege* falfam
98.	1.	41.	*post* fub pœna *adde* privationis
105.	1.	8.	quem *lege* quam
111.	2.	8.	*ante* fidelium *pone* æternam
112.	2.	17.	*post* Canonibus *adde* tum ex
118.	1.	8.	exigerit *lege* exigeret
Ibid.	2.	19.	flrmantur *lege* firmantur

IN TRACTATU III.

16.	2.	7.	effentam *lege* effentiam
17.	2.	10.	Cogma *lege* Dogma
18.	2.	13.	habent *lege* habet
23.	2.	ult.	proponat *lege* proponit
30.	2.	12.	Hicnque *lege* Hincque
48.	1.	32.	ab *lege* ob
52.	2.	37.	converfationem *lege* conferva-tionem
55.	1.	16.	folus *lege* folius
60.	2.	36.	2do. *lege* 4to.
74.	1.	5.	moralis *lege* mortalis
82.	2.	12.	qua *lege* quia
85.	2.	25.	minus *lege* magis
100.	1.	38.	*ante* valere *pone* non
101.	1.	4.	henignè eft *lege* benignè &

IN TRACTATU IV.

Pag.	Col.	Lin.	
5.	1.	5.	quo *lege* qua
23.	1.	43.	fidei *lege* fide
23.	2.	16.	illum *lege* illud
36.	2.	26.	hunc *lege* hanc
46.	1.	26.	boum *lege* bonum
51.	2.	31.	*post* mutatio *adde* fit
59.	2.	ult.	id *lege* is
75.	1.	31.	ter *lege* te
84.	1.	14.	facta *lege* facto
164.	1.	15.	ipfo *lege* ipfa

IN TRACTATU V.

18.	in not.	3.	illus *lege* illius
21.	1.	43.	Quia *lege* Qui
22.	1.	1.	nullam *lege* nullum
Ibid.	2.	35.	è *lege* à
27.	1.	42.	fiilium *lege* filium
Ibid.	2.	3.	fit *lege* fi
29.	1.	20.	pertendum *lege* petendum
36.	1.	28.	3to. *lege* 3tio.
38.	1.	24.	magis *lege* magnis
40.	1.	37.	Germancium *lege* Germanicum
Ibid.	2.	19.	præbeat *lege* præbet
41.	2.	23.	cùm *lege* num
43.	1.	4.	inequeant *lege* nequeant
45.	2.	18.	noluit *lege* nolit
46.	1.	13.	opponitit *lege* opponitur
49.	1.	29.	Hinc *lege* Huic
Ibid.	2.	23.	favebant *lege* favebant
54.	2.	13.	cnm *lege* cum
55.	2.	21.	*ante* quia *pone* tum
62.	2.	24.	dominus *lege* domus
65.	1.	4.	nullam *lege* nullum
Ibid.	2.	35.	rationabiliter *lege* irrationabi-liter
67.	2.	11.	eommercium *lege* comercium
72.	1.	6.	*post* injuftè *pone* incuffus
76.	2.	19.	poffitivo *lege* pofitivo
80.	2.	26.	invitiò *lege* invito
85.	2.	8.	hbent *lege* habent
101.	2.	2.	falem *lege* faltem
108.	1.	15.	nemon *lege* nemo
111.	1.	25.	qui- *lege* quin
112.	2.	28.	quod *lege* quoad
120.	1.	34.	tunc *lege* hunc
122.	2.	7.	Id eo *lege* ideò
126.	1.	7.	Locatur *lege* Locator
136.	1.	12.	cui *lege* qui
141.	1.	9.	vel *lege* quæ
142.	1.	5.	tacitum *lege* tacitam
Ibid.	Ibid.	14.	follet *lege* folet

E R R A T A.

Pag.	Col.	Lin.	
142.	1.	25.	antidotalis *lege* antidoralis
144.	2.	6.	donationes *lege* donationis
Ibid.	Ibid	31.	pon *lege* non
148.	1.	36.	teltas *lege* teftes

In Appendice ad Tractatum V.

163.	in not.	4.	dona *lege* dono
173.	2.	2.	principatiori *lege* principaliori
178.	1.	29.	*post* jam *adde* ad
187.	2.	28.	refciendi *lege* refcindi
198.	2.	37.	fierit *lege* fuerit
201.	1.	38.	obriut *lege* obruit
203.	2.	28.	tibi *lege* fibi
204.	1.	32.	pœnus *lege* pœnis
219.	1.	21.	illus *lege* illius
224.	2.	17.	Faciendo *lege* Tacendo
233.	2.	38.	ad effe *lege* adeffe
Ibid.	Ibid.	44.	debeas *lege* debeat
234.	2.	29.	murò *lege* mutuò
240.	2.	32.	miuta *lege* minuta

IN TRACTATU VI.

20.	1.	44.	contractum *lege* contactum

Pag.	Col.	Lin.	
21.	1.	41.	Extorquendo *lege* Retorquendo
65.	2.	17.	infantinm *lege* infantium
80.	1.	ult.	actual *lege* actuale
Ibid.	2.	38.	pauperibuss *lege* pauperibus
81.	1.	16.	&. *lege* &c.
89.	2.	3.	*post* pœnas *adde* injuriis
94.	1.	14.	cuisque *lege* cujusque
105.	1.	2.	incestofo *lege* incestuofe
108.	2.	14.	confumatur *lege* confummatur
111.	2.	7.	tollitur *lege* tollit
112.	1.	15.	artificio modò *lege* artificiofo modo
119.	2.	17.	credere *lege* crederet
124.	2.	28.	ejusqe *lege* ejusque
131.	1.	20.	folla *lege* fola
137.	2.	22.	Moralis *lege* Mortalis
170.	1.	35.	renuntirae *lege* renuntiare
200.	2.	40.	Ecclefiaftiam *lege* Ecclefiafticam

IN MANUALI SFONDERATO.

218.	2.	8.	fugo *lege* fuga
232.	2.	39.	Ad *lege* At

